CONTROVERSIARVM TAM INTER EPISCOPOS & Regulares, quam inter Regulares & Laicos,

OPVS

IN DVAS PARTES DIVISVM.

IN PRIORI,

Quidquid ex Sacri Concilij Tridentini Decretis, Constitutionibus Summorum Pontificum, & determinationibus Apostolicis, de suis fontibus verbatim exscriptis, Ordinariæ Iurisdictioni tribuitur.

Quidquid etiam, circa illam indecisum adhuc, occurrere solet in dies; per varias Quæstiones, ex grauissimorum Authorum sententia, plenè & planè resoluitur.

IN POSTERIORI,

Controuersiæ, quæ inter Regulares, & Laicos, circa acquisitionem, retentionem, & recuperationem bonorum, mouentur in omni foro, accuratissimè enucleantur.

Cum Iudicibus locupletissimis: Quorum primus quæstiones decisas; alter res notatu dignas facillimè demonstrat.

Authore LAVRETO DE FRANCHIS, Neapolitano, Sacræ Theologiæ, ac I. V. Doct: Prot: Apost: Vicario Generali Auenionensi.

Cum licentia Superiorum.

AVENIONE, Ex Typographia I. Bramereau, Anno 1632.

Deinde CRAC. In Officina Andreæ Petricouij, S. R. M. Typographi. Anno M. DC. XLIII.

Eminentißimis, ac Reuerendißimis Dominis,

FRATRI ANTONIO,

Tituli Sancti Honuphrij,

Ac

D. FRANCISCO BARBERINO,

S. R. E. CARDINALIBVS.

LAVRETVS de FRANCHIS, Vicarius Generalis Auenionensis, Felicitatem.

NOn diu anceps fui (EMINENTISSIMI DD. *) cuinam hunc meum librum ex vetere consuetudine, nostris etiam approbata temporibus, consecrarem. Debebatur*

felicißimo, augustißimoq́; nomini vestro. Debebatur opus in controuersijs inter Episcopos, & Regulares dirimendis, Religiosißimo viro, Fratri Antonio Cardinali S. Honuphrij, Religiosæ disciplinæ Magistro, Religiosorum præsidio, Religionis decori, & in Vrbe orbis Principe Roma, Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium Directori. Cui enim congruentiùs huiusmodi Regularium Controuersiæ dirigi poterant, quàm illi, qui in Sancta Religionis agricolatione diù versatus, tàm vberes sanctitatis fructus reportauit, vt eos iure optimo Sanctißimus D. N. Vrbanus VIII. in Apostolicum horreum inferri voluerit. Quòd si iudex operis, & arbiter adhibendus erat: quis meliùs huiusmodi materias iudicare, & arbitrari poterit, eo, qui ob varias animi dotes, & longam,

recon-

reconditamq́; talium rerum experientiam, eas multis adhinc annis prudentissimè, sanctissimeq́; tractat: Qui saluberrimis monitis, cœlestibusque consilijs Religiosos ad omnem puritatem, pietatemque informat, & Christianarum virtutum vbertate, & frequentibus Sanctimoniæ exemplis, illustrat. Debebatur tibi quoq; (Amplissime Cardinalis Barberine*) hoc opus, plurimis titulis; vt cui dudum à me conscripta opera libens, volens dicauissem, nunc iterata noua laboris dedicatione, noua, & vetera continuata meæ humillimæ seruitutis obsequia, non dissimili animi propensione, deuotioneq́; deuouerem. Imò non decens modò, sed necesse omninò erat: tum, quia noui Atlantis Patrui sapientissimi, & vigilantissmi Pontificis Maximi, Nepos maximus, onus tuis virtutibus subleuando,*

totius Christianæ Religionis negotia, singulari sapientiâ, parique prudentiâ in dies tractas, summa cum tua laude, nominisq; immortalitate: Tum, quia deferendum erat literatorum Mæcenati, piorum laborum tam studioso fautori, qui omnes ità sibi deuincit, vt ignores, quid diligas, aut admireris potiùs, an in vno Principe supremam dignitatem, an in optimo bonorum omnium Mæcenate maximam humanitatem, & vbiq; relucentem bonitatem. Qui cæteras virtutes vno veluti compendio continet, easq; ita adæquat sui nominis ac famæ claritudo, vt quæ potiorem sibi in animo suo locum vendicauerit, iudicare difficillimum sit. Et verò cui, vel decentiùs, meliorîq; titulo, huiusmodi mei in hac Auenionensi Ciuitate libenter suscepti, ac alacriter pro communi bono tolerati

labores,

labores, & controuersiæ decisæ, consecrari poterant, quàm eius Legato dignißimo, qui pacis studio delectatur, qui nihil iucundius, chariusq́; optare, vel in votis habere potest, quàm, vt controuersiæ omnes penitus tollantur, nemo lædatur, iustitia administretur; & quod Cæsaris est, Cæsari, & quod Dei, Deo, æquißimâ manu reddatur: alter alteri sua conferat studia, atque ità mutuo quisque amore decus decori addere, & maius hinc inde reddere, cœlesti quadam æmulatione contendat. Debebatur denique vobis (EMINENTISSIMI CARDINALES, *) vt descensurus in campum Vestræ magnitudinis, vt generoso, ac intrepido animo, ita experto in huiusmodi controuersijs audiendis, fineq́; debito decernendis corroborarer: vbi enim creuit in vobis maiestas, creuit cum maiestate facilitas, im-*

macula-

maculatæ vitæ probitas, in ſubleuandis hominum miſerijs miſericordia, & in diuino cultu Religio. Et quantò eſtis Celſiores, ac Eminentiores, tantò ad omnes homines fouendos humaniores, ac tales, qui poſteris exemplar proponatis, ad imitandum. Accedat, quòd, opus hoc meum in omnium aſpectum, lucemq; prodiens nudum, & inerme, ſi patronum, defenſorem, vindicem, & aſſertorem deſiderat: ſupremæ Veſtræ authoritatis præſidio, contra maledicos, mordaces Zoilos, & æmulos, communietur, & Veſtri nominis ſplendore illuſtrabitur. Propulſabuntur contumeliæ: & iniuriæ, quas fortaſsè inferre parabunt maleuoli, repellentur: Nemo enim me lacerare præſumet, nemo mihi quicquam detrahere, cum Veſtro potentiſsimo patrocinio, auguſtaq; tutelâ munitum perſpexerit. Felix ſanè liber erit,

cui

*cui nascenti duo tam celebres, tamq; eximij Patroni contingunt, quiq; inter fulgentes dignitatis purpuras receptus, ab omni fascino inuidiæ vendicatur. Quis enim aspiciat, & despiciat? quis nominis in eo vestri admirandam maiestatem suspiciat, qui continuò eum beneuolus non suscipiat? Fauete ergo (*EMINENTISSIMI DD.*) atque fouete opellam hanc meam; neque grauemini suscipere istud, qualecunq; munusculum. In dono donantis, deuotißimum animum spectate, neque meam tenuitatem, ac imbecillitatem, sed vestram in fastigio tam excelso eminentem benignitatem considerate. Quò enim in altiori dignitatum apice collocati estis, eò humillimi vestri seruuli, leuiora munera offerentis & consecrantis, studium, lætiori vultu, atque hilaritate complectimini. Solent enim Magnis Prin-*

)( )(*cipibus*

*cipibus, qui aliorum opibus non egent, subditorum munuscula nullius pretij, esse grata. Hoc namque maiestas habet singulare praeconium, vt maxima quaeque assueta largiri, non aspernetur, quae minima. Valete diu (*EMINENTISSIMI CARDINALES,*) vobisque crescentibus annis, continuatae felicitates accrescant.*

AVTHOR

Candido Lectori.

HÆres attonitus (Candide Lector) ad primam mei operis frontem, & tacitâ mente reuoluis, quid me causæ impulerit, vt has in vnum congestas Controuersias, & tibi, & luci darem. Odiumnè, inquis, in illud vitæ genus, quod Regulis adstrictum Religionem vocant? an in illos hominum cœtus, qui illam arctiorem viuendi rationem amplexi, Regularium appellationem promerentur, & gloriam? Æternum à me Numen, illud omen auertat. Enimverò vitam Religiosam, veluti Dominicum agrum, mirâ virtutum varietate vernantem, vnde copiosi in vniuersam Ecclesiam, in dies, promanant fructus, semper aspexi, & suspexi. Viros verò, qui abiectis vanitatibus, huic temporali vitæ renunciârunt, charitatemque sectantes, & Spiritualia æmulantes, suaui Religionis nexu, diuinæ Maiestati præ cæteris hominibus arctiùs illigantur, & quibus cœlitùs datum est tam sanctum vitæ genus sortiri, non tantùm ab ineunte ætate colui, sed dignos semper pro suis singularibus meritis iudicaui, quos Sedes Apostolica & peculiari præsidio (vti pro sua benignitate facit) protegeret, & eximijs quibusdam beneficijs, atque priuilegijs exornaret.

Mei igitur instituti rationem (ne te diutiùs pendulum faciam) planam habe. Cùm Vicarium Generalem in aliquot Principibus, siue Metropolitanis Ecclesijs, per triginta, & eò ampliùs annos, egerim, & in alijs Ecclesiasticis muneribus fuerim occupatus; in quibus sanè necesse fuit, vt huiusmodi contentiones frequenter versarem, atque in illis longâ exercitatione versatissimus redderer. Hinc factum, vt non pauci Religiosorum cœtuum Præsides, (Pij planè illi viri) dissidiorum osores, fraternæque dilectionis, in qua summa perfectionis Christianæ sita est, perstudiosi, ad me frequenter accesserint, enixeque rogârint, vt vniuersas has Controuersias, quæ Episcopos inter & Regulares, reliquosque hominum ordines, quacunque ratione intercedere solent, siue actoribus Regularibus, siue defensoribus, in vnum volumen compingere ne grauarer. Nec non & illis adiungere singulas Summorum Pontificum, de suis fontibus verbatim exscriptas Constitutiones, atque diplomata, quæ eorum priuilegia vel coarctant, vel explicant, vel declarant, vel moderantur: ad graues dissensiones in posterum vitandas, quæ vel ex eorum Diplomatum ignoratione, vel ex difficultate ad eorum lectionem accurrendi, oriebantur. Quid enim decorum magis, quàm in mystico illo, planeque diuino Ecclesiæ corpore, ab ipsamet æterna Sapientia coagmẽtato ac concinnato, cernere membra omnia suis quæque officijs intenta? inquè tanta actionum varietate, mirum concentum reddere, ex quo sacrum illud cor-

pus sem-

pus semper vigeat, vireat, & perennet. Quid ad aspectum amænius, quàm cernere illud cœleste syrma, tot, tantisque Ordinibus distinctum, quibus illud diuini digiti asperserunt? Rerum verò omnium pulchritudo, atque venustas, ab Ordine extitit. Sint in specula Episcopi, & oculorum instar gregem regant, ac dirigant. Sint Regulares in suis muneribus assidui, & se meminerint Episcoporum cooperatores esse, non contradictores: & quemadmodum eorum est euangelizare pacem, & bona; ita in pacis, & quietis amœnitate, cum omnibus viuere, & sub vno, eodemque Christi vexillo militare. Sint quoque reliqui inferiores secularium Ordines, quique sua sorte contenti. Seruent suum Ius Episcopi, suum seruent Regulares, seruent & reliqui Ordines. Seruent omnes suum Ius, omnesque cæteris suum Ius illibatum reddant; & mira omnium animorum consensio in Ecclesia existet. Vt igitur ad tantum, tamque expetitum Bonum, aliquid ex me conferrem; vniuersas huiusce generis Controuersias in hunc redegi librum, vt ad illum quisque possit ex occasione confugere, in quo nullo negotio reperiat collectum quidquid de hoc argumento fuit authoritate Apostolicâ varijs locis, ac temporibus decisum, & à grauissimis Doctoribus sparsim disputatum. An tua, in hoc labore meo, æquârim vota, tuum est, Pie Lector, iudicium; certè meas æquaui vires; per arduum enim est multa in pauca cogere, omittere nihil, breuitatemque cum perspicuitate iungere. Si quid verò minùs cautè, vel ad de-

licatiorum palatum parum conditum exciderit, sincero animo causam ipsam age, sine contentionis studio lege, & corrige. Id totum tuæ censuræ, cùm in tuâ benignitate plurimum fiduciæ reponam, lubens, volensque subijcio, vt mihi cum Dauide gloriari liceat, Corripiet me Iustus in misericordia, oleumque peccatoris non impinguet caput meum. Quoniam verò, etiam teste D. Hieronymo, nusquam desunt maleuoli, nullumque à liuoris morsu intemeratum opus: mecum D. Augustino solabor, sentias quidquid voles de Augustino, quidquid libebit; sola me in oculis Dei conscientia non accuset.

ATTESTATIO.

IVssus, ab Illustrissimo, & Reuerendissimo Domino, MARIO PHILONARDO, Rom: Prolegato, & Archiepiscopo Auenionensi, ac Militiæ Pontificiæ Superintendente Generali, vt legerem atque censerem Opus *Controuersiarum, tam inter Episcopos, & Regulares, quàm inter Regulares, & Laicos*, Authore Perillustri, & Reuerendissimo Domino, LAVRETO de FRANCHIS, Neapolitano, Sacræ Theologiæ, ac I. V. Doctore, Protonotario Apostolico, & Auenionensi Generali Vicario; legi & perlegi illud diligenter, & prætérquàm quòd nihil offendi, quod sit ab Orthodoxa fide, & bonis moribus alienum, tantam ex eius lectione vtilitatem, atque iucunditatem cepi, vt ex ingenti Christianæ, ac literariæ Reip: bono esse iudicem, si prælo mandetur; Non solùm, quia implicatissimæ, frequentissimæuè Quæstiones, consummatissimo iudicio, ac stylo planè erudito, reuoluuntur, atque resoluuntur in eo, quas vix reperire sit alibi: sed etiam quia Ecclesiastica Hierarchia, non parum per illud asseritur & illustratur, dum facilitate, ac felicitate mirâ, nobis aperit, quomodo, omni contentione semotâ, muneris nostri partes, in pace, & iustitiâ obeamus. In cuius rei fidem, huic breuiculo me subscripsi. Auen. 5. Cal. Sept. Anno 1632.

Lud: Crosetus, in Vniuersitate Auen. Iuris Can: Regens.

ATTESTATIO.

EGo subsignatus, authoritate & iussu Illustrissimi, & Reuerendissimi D. MARII PHILONARDI, Archiepiscopi, & Prolegati Auen: & Militiæ Pontificiæ tam in dicta Ciuitate Auen. quàm in vniuerso Comitatu Venaissino Præfecti, & Superintendentis Generalis, vidi ac diligenter perlegi li-

legi librum hunc, qui inscribitur de *Controuersijs tam inter Episcopos, & Regulares, quàm inter Regulares, & Laicos*, Authore Reuerendissimo D. LAVRETO de FRANCHIS, Sacræ Theolog: necnon I. V. D. Proton: Apost: & Vicario Generali Auen: Opus sanè perutile, & necessarium omnibus in vtroque foro versantibus. Vbi nihil omnino indiscussum relinquitur, quod ad propositam materiam spectat, ex quo quisque, iuxta sui officij debitum, qualiter se gerere debeat, summâ cum facilitate accipiet, vt meritò Thesaurum Catholicæ Religionis iurè nuncupem. Vbi tria illa omnibus scribentibus perquàm necessaria concurrunt, materia grauis & vtilis, ordo perspicuus & facilis, denique industria summa, & mirabile authoris acumen, ac iudicium, tàm in inuestigandis, quàm in solertissimè enodandis, & resoluendis Quæstionibus. In cuius rei fidem, & testimonium me subscripsi, hac die 30. Aug. 1632.

Henricus de Laurentijs, in Studio Auen. in Iure Pont. Reg. Ord.

APPROBATIO.

VIsis Approbationibus Doctorum, ab Illustrissimo & Reuerendissimo D. Archiepiscopo, & Vicelegato Auenionensi deputatorum, permittimus impressionem huiusmodi Libri, quem ob Doctrinam, & pietatem Authoris, Reipublicæ Christianæ reputamus vtilissimum. 30. die Augusti, Anno Domini 1632.

F. Dambrucus, Inquisitor Gener. Auen.

MATERIÆ
ET QVÆSTIONES
HVIVS PRIMÆ PARTIS,
Controuersiarum inter Episcopos, & Regulares.

IN quibus Regulares & Moniales exemptæ, ex Sac: Conc: Trident: Decretis, Locorum Ordinarijs subduntur. *à fol: 1. vsque ad 11.*

QVÆSTIONES.

An Regulares circa ea, in quibus subduntur locorum Ordinarijs, vel ab illis compelli possunt vigore Conc: Trid: possint excommunicari. fol: 12.

BVLLA Gregorij XIII. per quam fuit facta reductio Constitut: Pij V. recol: memoriæ; pro mendicantibus, & alijs Regularibus, contra locorum Ordinarios, ad terminos iuris, & Conc: Trid. *fol: 13.*

QVÆSTIONES.

In fol: 15. à num: 1. vsque ad 3.

1. *Quæ sunt huiusmodi Bullæ Pij Quinti, reuocatæ per Gregorium XIII.*

2. *An Bulla eiusdem Pij V. circa declarationem portionum assignandarum Vicarijs perpetuis Ecclesiarum Parochialium, Monasterijs, Beneficijs, Ecclesijs, vel locis pijs perpetuo unitarum, fuerit reuocata per Gregorium XIII.*

 3. *Num*

3. *Num eleemosynæ altaris funeralium, & similes, computandæ sint in incertis, in portione assignata Vicarijs perpetuis ad præscriptum d. Bullæ Pij V.*

BVLLA Gregorij XIII. super præcedentia in processionibus. *fol: 16.*

QVÆSTIONES.

In fol: 17. à num: 1. vsque ad 17.

1. *Qui ad Processiones accedere teneantur.*
2. *Quid si vltra dimidium milliare à Ciuitate distarent.*
3. *An Sacerdotes inseruientes Ecclesijs Religionis Equitum Hierosolymitanorum, Processionibus interesse teneantur.*
4. *Quid si Religiosi ex priuilegio eis concesso habent, vt non teneantur ire ad Processiones, si ab Episcopo vocati pluries accessissent, an debeant iteratò eodem modo accedere.*
5. *Quæ dicantur publicæ Processiones.*
6. *An debeant vocari, & sit necessaria ipsa vocatio.*
7. *Ad quem pertinet constituere, quò, & quà Processiones dirigi debeant.*
8. *In Processionibus, qui Regulares, alios Religiosos præcedere debeant.*
9. *An præcedentia inter Fratres mendicantes, vt illi præcedant, qui Priores sunt in loco, habeat locum in Prioritate vnius horæ, vel diei.*
10. *An recusantes accedere, possint compelli censuris Ecclesiasticis.*
11. *An Regulares teneantur accedere ad Ecclesias extra propria Monasteria pro celebratione orationis 40. horarum.*
12. *An Confraternitates laicorum, existentes intra Claustra Regularium, teneantur accedere ad Processiones, & orationes 40. horarum, indictas ab Ordinario loci.*
13. *An possint Regulares facere Processiones extra Ecclesiam.*
14. *Quis potest componere differentias, & controuersias in Processionibus ortas; & quomodo, & quis inter Confraternitates laicorum.*
15. *In controuersijs præcedentiarum, lite pendente, quis manuteneri debeat.*

16. An

16. *An Confraternitates laicorum, teneantur accedere ad Processiones.*

17. *An Confraternitas, quæ prius quàm altera saccis vsa est, ad Processiones accederet sine sacco, præcedentiæ prærogatiua gaudebit.*

QVÆSTIONES.

in fol. 24. num. 1. vsque ad 3.

1. *Quæ fuit finalis causa prohibitionis huius Astrologiæ iudiciariæ?*
2. *Num prohibitio iudiciariæ Astrologiæ, liget etiam in foro conscientiæ interiori eos, qui asserunt, aut protestantur, id certò non affirmare, vt in §. 3. Bullæ supradictæ?*
3. *Cur illam protestationem, & declarationem, non obstare voluit hic Pontifex?*

QVÆSTIONES.

In fol: 33. num: 1. vsque ad 13.

1. An Religiosus, contra quem Episcopus procederet vigore supradictæ Bullæ in §. 3. poterit exemptione ab Ordinariorum iurisdictione forsan specialiter obtenta, se tueri.

2. Ista Constitutio in qua parte nouum ius contineat.

3. An Regularis, manens extra Claustrum de licentiâ sui Superioris, si delinquat, possit ab Ordinario loci puniri.

4. Quid obseruetur in praxi ab Ordinarijs locorum, cum Regularibus degentibus intra Claustra, qui inueniuntur extra Claustra notoriè delinquentes cum populi scandalo.

5. An qualitas, quòd Regularis extra Claustra degens, notoriè & scandalosè deliquerit, sit probanda, vt Episcopus obtineat in illum iurisdictionem virtute Concilij.

6. An Regularis, qui iniuriam infert Episcopo, vel Vicario iurisdictionem exercenti, & eius aures offendit in illo actu iurisdictionis, eam turbando, possit ab eodem Episcopo, vel Vicario puniri, sine remissione ad suum Superiorem.

7. Quomodo Episcopi aliquando appellentur Ordinarij, aliquando Diœcesani: & an iurisdictio illorum sit fundata in iure communi.

8. An Regularium priuilegia perdantur, si illi irregulariter viuunt, & quid, si ob non vsum.

9. An exempti ab Ordinarijs, & suppositi Conseruatoribus, possint Ordinariorum iurisdictioni se submittere.

10. An Episcopus, punire possit Regulares discedentes à suis conuentibus sine licentiâ suorum Superiorum, cum prætextu ad Superiores accedendi.

11. An Episcopus possit impedire Mendicantes quærere per ciuitatem, & Diœcesim, eleemosynas superfluas.

12. An Religiosi committentes fraudem circa exemptiones sibi concessas, & quomodo puniantur.

13. An ad dictam pœnam consequendam, satis sit probare contrauentionem d. Clem: vel etiam probandum sit, quòd dolo sit contrauentum.

BVLLA

BVlla Clem: VIII. in qua ſtatuitur, quòd in crimine Aſſaſſinij contra perſonas Eccleſiaſticas, declaratio ſpectat ad Iudicem Eccleſiaſticum, & contra milites, aliaſque perſonas Conuentuum, & Hoſpitalis S. Io: Hieroſolymitani, pertineat ad eorum ſuperiores, adiuncto Epiſcopo loci, antequam Iudices Seculares aliquam declaratoriam deſuper ferant, vel ad pœnarum executionem deueniant. *fol. 38.*

QVÆSTIONES.

in fol. 40. à num. 1. vſque ad 20.

1. Quæ fuerit potiſſima cauſa huius Pontificiæ conſtitutionis?

2. Quid ſentiebant Doctores ante hanc Pontificiam declarationem?

3. Quinam dicantur Aſſaſſini, & quid ſi occiſus non ſit Chriſtianus?

4. An Aſſaſſini hodie reperiantur in illo genere, de quo diſponitur in cap. 1. de homicidio. in 6.

5. Quid ſi ad vindicandam iniuriam, ſuis manibus Petrus aliquem interficiat, & pecuniâ mediante aliquos alios ad ſibi auxiliandum inducit, eritne patratum crimen Aſſaſſinij?

6. Quomodo conſtare debeat, ſi pecunia pro homicidio fuerit data?

7. An mandans, & mandatarius, probari debeant, ſi detur corpus Aſſaſſinij?

8. An Aſſaſſinij crimen detur, ſi mandans interfuerit homicidio?

9. An Aſſaſſinium probetur, etiamſi interuenerit promiſſio pecuniæ, & etiamſi fuerit facta ſine aliqua ſcriptura?

10. An Aſſaſſinium inducatur, ſi committatur homicidium pro complacentia alicuius?

11. An Aſſaſſinium inducatur per ſimplicem pollicitationem, & an requiratur mutua promiſſio, & obligatio?

12. An, vt inducatur Aſſaſſinium, requiratur, vt promiſſio fuerit acceptata, & etiam promiſſio certa?

13. An, vt inducatur Aſſaſſinium in non ſubiecto, requiratur datio, vel promiſſio & quidem in filio, vel alio ſubiecto non cadat Aſſaſſinium?

14. An promiſſio facta pro expenſis damnis intereſſe, pro homicidio committendo, inducat Aſſaſſinium?

15. *An probetur Assassinium per indicia, & coniecturas?*

16. *An processus, factus contra personam Ecclesiasticam coram Iudice laico, probet?*

17. *An Confessio facta per Clericum coram Iudice laico, sufficiat ad condemnandum, etiamsi sponte confessus fuerit?*

18. *Testes examinati per Iudicem incompetentem, an possint se referre ad primum examen: vel potiùs teneantur deponere per extensum?*

19. *An processus informatiuus Iudicis laici, saltem sufficiat ad examinandum Ecclesiasticum coram Iudice Ecclesiastico?*

20. *An Episcopi possint stare processui, fabricato per curiam secularem, super qualitate Assassinij, & similibus, vt in Bulla Gregorij XIV. ad effectum remittendi ad ipsam Curiam secularem delinquentes.*

DECRETVM Clem: VIII. prohibens Litaniarum vsum, præter in Breuiarijs, Missalibus, Pontificalibus, & Ritualibus contentas, & Litanias de Beata Virgine in sacra æde Lauretana decantari solitas, aut à Sacra Congregatione Rituum approbatas. *fol. 48.*

QVÆSTIONES.

In fol. 49. à num. 1. vsque ad 2.

1. *Litaniarum nomen vnde sumptum?*
2. *Quid est, quod fertur de Litanijs maioribus?*

DECRETVM Clem: VIII. in quo damnat, & prohibet propositionem, qua dicitur licere per literas, seu internuncium, Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absolutionem obtinere. *fol. 50.*

QVÆSTIONES.

In fol. 50. à num. 1. vsque ad 3.

1. *Quid si quis sit inter infideles, vel in carceribus secretis?*

2. Quid

2. Quid si non per internuncium, sed per interpretem?

3. An possit infirmus pœnitens, tempore pestis, siue alio periculo mittere peccata sua Confessario, per literas sigillatas, & Confessarius in his priuatim ea legere, & deinde in præsentia eiusdem Confessarij stans à longè, dicere se de his omnibus accusare; & Confessarius possit illum absoluere?

QVÆSTIONES.

In fol: 61. à num: 1. vsque ad 5.

1. Nunquid Confratres, volentes ingredi Confraternitatem, debeant personaliter adire locum, vbi sunt Patres adscribendum deputati?

2. Si Confraternitas statuerit, ne quis eam intret, nisi certum sibi persoluat, valeret, nec ne?

3. An peccans conceptâ spe de consequendis Indulgentijs Confraternitatis cui est adscriptus, poterit eas consequi?

4. An Confrater, pro altero Confratre suæ Confraternitatis, qui arduis est negotijs occupatus, valeat consequi indulgentias?

5. An Indulgentia concessa visitantibus certis festiuitatibus, semel, vel tantùm eadem die, acquiri possit?

DE

DECRETVM Sacræ Congreg: Conc: Trid: emanatum super ordinatione Regularium. fol. 62.

QVÆSTIONES.

In fol. 63. à num. 1. vsque ad 42.

1. *Quid debet adferre Episcopo Regularis Ordinandus?*

2. *An in Ordinatione Regularium, dispensatio super interstitijs pertineat ad Episcopum, vel superiorem Regularem?*

3. *An fieri debeat mentio in literis dimissorialibus superiorum Regularium, vt super interstitijs dignetur dispensare Episcopus ordinans, attentâ necessitate, & vtilitate Ecclesiæ, vel Religionis?*

4. *Quomodo intelligatur arbitrium, Episcopo concessum, in dispensando super interstitijs?*

5. *An Episcopus ordinans, tacitè aliquem dispensare censeatur: & quid si ipse Ordines non conferat, sed dimissorias concedit?*

6. *Quæ dicatur Ecclesiæ necessitas, vel vtilitas, vt sufficiens causa reputetur ad dispensandum?*

7. *An circa Annum interponendum ab vno ad alterum Ordinem Sacrum, attendendus sit annus Ecclesiasticus, vel Solaris?*

8. *Clericus secularis, vel Regularis, ordinatus cum literis dimissorijs falsis, quam pœnam incurrat: & quid si celebrat in Ordine sacro?*

9. *An dimissoria ad Ordines suscipiendos ab alieno Episcopo, ita requiratur, vt non sufficiat Episcopo promouenti cognitam esse personam pro idoneo?*

10. *Quid si proprius Episcopus ratificet promotionem ab altero Episcopo factam, absque literis dimissorialibus?*

11. *An in literis dimissorialibus, sint exprimendi Ordines sacri?*

12. *An expirent literæ dimissoriales, per mortem concedentis?*

13. *An Episcopus, cui diriguntur literæ dimissoriales, debeat examinare Clericos seculares, vel regulares de vita & moribus?*

14. *An Sacrosancti Trid: Conc: decretum sess: 23. c. 7. de reform: (quo Episcopis iniungitur, vt antequàm ad sacrorum Ordinum ministerium ordinandi accedant, summâ diligentiâ, inter alia inquirant ea,*

quæ

quæ ad genus Ordinandorum ſpectant) nouum Ordinis impedimentum induxerit?

15. *Si quis, non ſuſcepto Sacramento confirmationis, ad Ordines promoueatur, num incurrat aliquam cenſuram, vel pœnam?*

16. *Quæ ætas præſcripta eſt ſingulis Ordinibus, & an incepta, vel completa?*

17. *Prima Tonſura, poteſtne quolibet die conferri?*

18. *Minores Ordines, & ſacri, quo tompore conferri poſſunt: & quare potiùs in Sabbato, quàm alijs diebus Ordines ſacri conferuntur?*

19. *Quæ ſcientia requiratur in Ordinandis?*

20. *An miniſtrans in ſacris Ordinibus ante ætatem fiat irregularis, & quid in minoribus?*

21. *Quid ſi quis habuerit literas dimiſſoriales ſpeciales, vt à tali Epiſcopo Ordinibus inſigniri poſſit, ſi ab alio ordinetur, incurrat aliquam pœnam?*

22. *An Ordinatus ante ætatem ſacris Ordinibus, ſit ſuſpenſus vſque ad ætatem legitimam, vel perpetuò, ita, vt indigeat Papæ diſpenſatione?*

23. *An Ordinatus ante ætatem, qui potuit, & debuit ſuis parentibus credere, ſit excuſatus?*

24. *Si quis ſacris ordinetur ante legitimam ætatem, & propter bonam fidem à principio, ob quam à ſuſpenſione ipſo facto liberatus fuerit; ſi poſtea aduenerit mala fides, & ſciens ſe non habere legitimam ætatem, celebrauerit, contrahat irregularitatem?*

25. *Epiſcopus Ordinans non ſubditum ſuum, quam pœnam incurrit, & quando non incurrat?*

26. *Furtiuè Ordinari quis dicatur?*

27. *Furtiuè Ordinatus, an poſſit in ſuſcepto Ordine miniſtrare, & ad ſuperiorem aſcendere?*

28. *Si Epiſcopus, tempore quo confert Ordines, dicat ſe non intendere ordinare non examinatos, & approbatos, qui ſe ingerit, eritne Ordinatus?*

29. *An Epiſcopus, qui ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ antequam Ordinare incipiat, præcipit, ne aliquis accedat ad Ordines ſine dimiſſorijs, & alijs requiſitis, & poſtea eos abſoluit, & diſpenſat,*

prout est videre in Pontificalibus, si quis illorum esset innodatus aliqua censura Ecclesiastica, vel irregularitate, possit & valeat cum illa absolutione absolui, & cum illa dispensatione dispensari?

30. *An promoti ad Ordines minores ante legitimam ætatem, sint suspensi?*

31. *Ordinatus in sacris ante legitimam ætatem, & sic suspensus, an efficiatur irregularis, concelebrans cum Episcopo in actu ordinationis?*

32. *An qui ordinatur non seruatis interstitijs, sit suspensus, vel irregularis?*

33. *An ordinatus sacris Ordinibus metu, teneatur continere?*

34. *An Religiosus, ante professionem se promoueri faciens ad Ordines sacros, sit suspensus ipso iure ab exequutione ordinum susceptorum?*

35. *An Regularis teneatur accipere attestationes Ordinum susceptorum ab Episcopo ordinante?*

36. *An Episcopus ordinans ignaros, vel homines malæ vitæ, vel nullam in hoc, aut paruam, faciens diligentiam, peccet mortaliter?*

37. *An Episcopus admittens ad Ordines non sibi idoneos notos in doctrina, sine examine, debeat deponi; & quid legatur de S. Leone Papa, & quid aduertat in hoc S. Bernardus?*

38. *Quæ mala oriantur ex ordinatione indignorum?*

39. *An propter penuriam aliorum, possint non idonei ordinari?*

40. *An Episcopus ordinans sacris sine titulo, peccet?*

41. *An Ordines bis suscipiens, aut conferens, efficiatur irregularis?*

42. *Non promotus ad Presbyteratus ordinem, celebrans Missam, quam pœnam incurrat.*

Tenor Constitut: Bull: Pij V. contra Religiosos non professos, ad Ordines promotos, prætextu Religionis.

QVÆ-

QVÆSTIONES.

In fol. 85. à num. 1. vſque ad 4.

1. *An Epiſcopi, ante huiuſmodi decretum, poterant prohiberi ab exemptis eligere Baldachinum in eorum Eccleſijs, & ipſis inuitis, exercere ea, quæ continentur in ſupradicto decreto.*

2. *Quæ ſunt potiſſimæ cauſæ, ob quas Regulares negligentes, vel nolentes permittere erigi Baldachinum in eorum Eccleſijs Epiſcopis, debeant excommunicari.*

3. *Baldachinum quid ſit.*

4. *Sedes Epiſcopalis, ſiue Thronus Epiſcopalis, quid ſignificet.*

BVLLA Clementis VIII. quæ Ordinarijs locorum prohibet licentiam concedere, cuicunque etiam Mendicantium Ordini nouos Conuentus erigendi, niſi vocatis, & auditis aliorum Conuentuum Procuratoribus, & alijs intereſſe habentibus, & causâ cognitâ. *fol. 87.*

CONFIRMATIO, & ampliatio Conſtitutionis Clement: VIII. facta à Gregorio XV. circa nouorum Conuentuum Regularium erectionis. *fol. 89.*

REVOCATIO Vrbani VIII. quarumcunque licentiarum à ſuis Prædeceſſoribus conceſſarum, loca Regularia erigendi, non ſeruatâ formâ Conſtitutionis Clementis VIII. ac prohibitio de cætero erigendi abſque licentiâ Ordinariorum, & decretis Conc: Trid: nec non Clem: VIII. & Gregorij XV. conſtitutionibus non ſeruatis. *fol. 91.*

QVÆSTIONES.

In fol. 96. num. 1. vſque ad 22.

1. *Si Regulares vellent mutare de vno loco ad alium Ciuitatis, an requiratur licentia Ordinariorum.*

2. *Quid si solummodò vellent ampliare.*

3. *An supradicta Bulla Clementis VIII. de non concedenda licentia mendicantibus noua ædificare monasteria, comprehendat hospitia.*

4. *An Episcopus concedere possit licentiam construendi noua Monasteria, absque causæ cognitione.*

5. *An appellatione Conuentuum comprehendatur Congregatio Regularium.*

6. *Vt construatur Monasterium non mendicantium, quantum de iure assignandum sit.*

7. *An quis cogi possit vendere domum propriam pro conseruanda, vel amplificanda Ecclesia.*

8. *An Episcopus possit quem cogere ad vendendum suum pro reædificatione Monasterij, vel loci pij, & an pro Claustro, & scholis fabricandis.*

9. *An Episcopus compellere valeat vicinum ad vendendum Religiosis seruitutem altiùs non tollendi, etiam viâ publicâ intermediâ.*

10. *An cogere possit Episcopus vicinos ad vendendum domos pro ampliatione hospitij Religiosorum.*

11. *An habens domum communem, si mandet in ea construi Ecclesiam, teneatur socius inuitus vendere partem suam.*

12. *An priuilegium concessum Ecclesiæ, & locis pijs, vt possit cogi vicinus ad vendendam domum pro eorum ampliatione, possit Episcopus extendere etiam ad locationem.*

13. *An valeat Iudex secularis arbitrari, an vicinus possit cogi ad vendendum, consideratis circumstantijs ad mouendum arbitrium.*

14. *An legatum factum Monasterio, vel Ecclesiæ construendæ, debeat tradi cum fructibus medij temporis.*

15. *An si legatum sit factum pro aliquo pio loco construendo, possint exequutores si bona relicta ab alijs detinentur, auocare à quolibet possessore.*

16. *An debeatur legatum factum Monasterio, vel alteri pio loco construendo, si adhuc locus ædificij non esset designatus.*

17. *Monasterium, vel collegium, si cœptum esset & non perfectum, an habeatur pro perfecto, vt possit capere donationes sibi factas.*

18. *An construens Monasterium, vel Ecclesiam, sine consensu Episcopi, possit deinde habere.*

19. *Si testator mandat Ecclesiam construi in fundo suo, an censeatur donâsse totum fundum Ecclesiæ.*

20. *An legatum dotis factæ Ecclesiæ construendæ, debeatur statim ante consummationem.*

21. *An Episcopus possit prorogare tempus à testatore statutum ad constructionem Ecclesiæ.*

22. *An certus Religiosorum numerus cuicunque Monasterio, Conuentui, ac domui Regulari, præfigendus sit.*

DECRETVM Pauli V. vt certus Religiosorum numerus cuicunque Monasterio, & domui Regulari, præfigendus sit. *fol: 104.*

BVLLA Pauli V. reuocatoria facultatum Superioribus quorumcunque Ordinum, & Religiosorum, quoquo modo concessarum, cognoscendi causas suorum subditorum ad officium sanctæ Inquisitionis hæreticæ prauitatis quomodolibet pertinentes. *fol: 107.*

QVÆSTIONES.

In fol: 113. à num: 1. vsque ad 5.

1. *Quæ fuit potissima causa huius Constitutionis.*

2. *An Episcopus sine Inquisitore, & Inquisitor sine Episcopo, procedere possint, & quando possint.*

3. *Quid agendum est in causis, vbi Episcopus, & Inquisitor, insimul procedunt, & inter se discordant.*

4. *An Regulares, qui pro fidei negotio ad Sanctum Officium recurrerint, seu confugerint, vel in eo testimonium veritatis perhibuerint, possint à suis Superioribus grauari?*

5. *An in causis ad S Inquisitionem hæreticæ prauitatis spectantibus, Iudices, & Officiales, gratis omnia expedire debeant.*

CONSTITVTIO Gregorij XV. decretis Conc: Trid: adiuncta, circa exemptorum priuilegia. *fol: 116.*

DECLARATIONES Sacr: Congr: Conc: super dicta Constitutione Gregorij XV. *fol: 123. & seqq.*

QVÆSTIONES.

Ad Prædicatores spectantes, de quibus in dicta Bulla GREGORII XV. fit mentio.

In fol: 128. à num: 1. vsque ad 16.

1. Prædicator quomodo præsentare se debeat Ordinario, vt habeat licentiam concionandi.

2. An Prædicatores ante omnia teneantur emittere fidei professionem.

3. An locorum Ordinarij, possint examinare Prædicatores super doctrina, & an de vita, & moribus.

4. An possit admitti Religiosus, vel Clericus Sacris non initiatus, si tamen sit idoneus, & an Prædicatio sit actus Ordinis.

5. An Prædicare olim Laicis fuerit permissum.

6. An idoneo præsentato ad Prædicandum, possit Episcopus denegare licentiam; & an sine rationabili causa suspendere à Prædicatione.

7. An possit nominatim suspensus, vel interdictus, prædicare.

8. A quibus debent cauere Concionatores.

9. Ad quem spectat munus eligendi Concionatorem, & ei tribuere eleemosynam.

10. An possit Episcopus compellere ad præstandum eleemosynam laicos, qui eam præstare tenentur, vel solent.

11. An Parochus facultatem prædicandi in eius Parochia dare possit.

12. An Episcopus non eligens idoneos Prædicatores, peccet mortaliter.

13. An ipse Episcopus non prædicans in eius Ciuitate, vel Diœcesi, peccet mortaliter, & quando teneatur prædicare.

14. *Prædicatio Episcopi, qualis esse debeat.*
15. *Prædicatio Sancti Ioannis Chrysostomi qualis fuit.*
16. *Hæreses ortæ, ob Prædicationem Episcoporum non habitam.*

QVÆSTIONES.

Ad Abbatissæ electionem spectantes, ad præscriptum dictæ Bullæ Greg: XV.

In fol. à 133. num. 1. vsque ad 17.

1. *Quas qualitates habere debeat Abatissa, vt eligi possit.*
2. *A quibus eligi debeat.*
3. *Per quod tempus eligi debeat.*
4. *An si in Monasterio non reperiatur Monialis, quæ habeat necessarias qualitates præscriptas à Concilio Trident: pro Abbatissa, possit ex alia Religione eligi.*
5. *Quomodo eligi debeat.*
6. *An eligi possit illegitima, vel corrupta.*
7. *An sit magis expediens, Abbatissarum electio perpetua.*
8. *Electa, num etiam confirmanda, & benedicenda.*
9. *An Episcopus & superior Regularis, qui præsunt electioni, possint Claustra Monasterij ingredi tempore electionis, si electio non potest Canonicè fieri, vel ex aliqua alia iusta causa.*
10. *An Abbatissa, electa à maiori parte, si appellatio interponatur de electione facta ab alia parte Monialium, quæ electioni non consensit, teneantur interim Moniales contradicentes obedire Abbatissæ.*
11. *An liceat Episcopo in vim constitutionis sanct. mem. Greg. XV. de exemptorum priuilegijs, punire Regulares, qui ad Abbatissæ electionem procedunt ante tempus ipsi Episcopo significatum, aut die electionis eidem nullatenus prænunciata.*
12. *An Bulla Greg. XIII. de Abbatissis eligendis, comprehendat etiam alias officiales Monasterij, ita vt absoluto triennio non possint ampliùs perseuerare in officio.*

13. *An Abbatissa temporalis sit benedicenda.*

14. *An Abbatissa sit capax potestatis spiritualis.*

15. *An Abbatissa ius habeat suspendendi, videlicet Clericos suæ Iurisdictioni subiectos.*

16. *An penes Abbatissam sit potestas iubendi, & imperandi aliquid, quo Monialium conscientiæ teneantur.*

17. *Tenor Constitutionis Greg. XIII. fel. recod. circa electionem Abbatissarum in vniuersa Italia.*

QVÆSTIONES.

Ad redditionem computorum ab Officialibus Monasterij ab Episcopo exigendam, spectantes, iuxta Const. Greg. XV.

In fol. 141. à num. 1. vsque ad 13.

1. *Electio Officialium, qui bona Monasterij administraturi sunt, ad quem spectat.*

2. *An Officiales Monasteriorum teneantur conseruare bona introitus, & census ipsorum Monasteriorum intus dicta Monasteria.*

3. *An valeat quietatio Abbatissæ tempore infirmitatis facta procuratori in detrimentum Abbatissæ, quæ ei successit & Monasterij, & quid si sit quietatio generalis.*

4. *An factâ exequtione in bonis debitoris, impediatur fieri exequutio in personam, etiam per carcerationem, & an è contra.*

5. *An solutionis exceptio possit opponi post sententiam in exequutione.*

6. *An debitor condemnatus pœnâ debiti, & parti ad certam summam pro interesse, si petat se admitti ad luitionem pœnæ in corpore, eò quòd non habet in ære, sit audiendus.*

7. *Procurator, seu Administrator Monasterij, si durante administratione efficiatur pauper, an teneatur satisdare, aliâs remoueri possit.*

8. *An Administratores Ecclesiarum, & locorum piorum, effecti diuites post administrationem, præsumantur quæsiuisse bona, & subtraxisse de redditibus Ecclesiæ, & locorum piorum.*

9. An

9. *An Procurator Monasterij, seu Ecclesiæ, aut Capituli, qui non exegit à debitoribus, teneatur de suo.*

10. *Vt Procurator possit repetere expensas in lite, quæ concurrere debent.*

11. *Quid si non habeat mandatum, an repetat quæ vtiliter expendit pro Ecclesia.*

12. *Quid si vtiliter cepit, sed succumbit in lite, an repetat expensas.*

13. *Quid si negotia Ecclesiæ gerens cum mandato, incidat in Latrones.*

REVOCATIO Greg. XV. quarumcunque electionum, de Iudicibus Conseruatoribus hactenus factarum: & noua de eis, eorumque electionibus in posterum faciendis, dispositio, vbi dubium exortum super nonnullis verbis dictæ reuocationis per sacram Congr: Conc: Trid: declaratum, recensetur. *fol. 146. 147.*

QVÆSTIONES.

In fol. 152. num. 1. vsque ad 7.

1. *Conseruatores Religionum quando possunt suam iurisdictionem alteri delegare.*

2. *An possint absque insertione suarum facultatum citare.*

3. *An sint Iudices ordinarij, vel delegati.*

4. *Si Conseruatorum suæ Religionis foro in aliqua causa Prælatus non vtatur, an sibi præiudicet.*

5. *Conseruatoribus suppositi, & ab Ordinarijs exempti, an possint se iurisdictioni Ordinariorum submittere.*

6. *Ab huiusmodi Conseruatorum sententijs, seu grauaminibus, ad quem dabitur appellatio.*

7. *An Constitutio præfata Gregorij XV. de Conseruatoribus edita, afficiat Religionem Hierosolymitanam.*

BVLLA Greg. XV in qua fit confirmatio, & ampliatio constit. Pij IV. æditæ contra Sacerdotes, in confessionibus Sacramentalibus pœnitentes ad turpia solicitantes. *fol. 154.*

DECLARATIONES factæ per sacram Congreg. super præfata Bulla. *fol.159.*

QVÆSTIONES.

In fol. 160. à num. 1. vsque ad 4.

1. *Num hæc pœnalis Constitutio, loquens de tentantibus mulieres, locum habeat etiam contra tentantes adolescentes de vitio nefando, ex maioritate rationis.*

2. *An credatur testi vnico, quando est impossibile, vel difficillimum alios inuenire, & quid moneant Doctores in hac materia sollicitationis.*

3. *An credatur pœnitenti contra Confessarium, si dicat reuelâsse eius confessionem.*

4. *An Confessarij, qui sollicitauerunt ad turpia in actu confessionis, vel ante, vel postea, per quamcunque gratiam factam, vel faciendam, possint restitui, vt valeant Confessiones secularium audire, & quid si abiurârunt aliâs secretè, vel publicè.*

DECRETVM Gregorij XV. vbi confirmando Decretum Pauli V. in quo mandauit, quòd nemo audeat in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & alijs quibuscunq; actibus publicis asserere, quod Beata Virgo fuerit concepta cum peccato originali, & contrafacientes voluit, & declarauit subiacere debere, & subiecerit censuris, & pœnis in Constitutionibus suorum prædecessorum, & sua, ipso facto incurrendis, extendit, & ampliauit etiam ad priuata colloquia, & scripta. *fol.162.*

QVÆSTIONES.

In fol.167. à num.1. vsque ad 3.

1. *Cur in dicto Decreto dicitur, articulum de conceptione Beatæ Mariæ Virginis, non fuisse à sancta Sede Apostolica diffinitum, vel ab ea aliter ordinatum, si in Synodo Basiliensi, Sess. 36. iam diffinitum fuit B. Virginem absque peccati originalis maculâ conceptam fuisse.*

2. Cur

2. *Cur ab Ecclesia nihil adhuc de fide diffinitum circa hunc articulum Conceptionis B. Mariæ Virginis.*

3. *An Fratribus Ordinis Prædicatorum sit aliquid indultum à Sede Apostolica, vt inter se tractare possint de materia eiusdem Conceptionis B. Mariæ Virginis.*

BVLLA Gregorij XV. contra maleficos, Sacrilegos cum Diabolo pactum facientes, & à Sede Apostatando alios lædentes. *fol. 168.*

QVÆSTIONES.

In fol. 170. num. 1. vsque ad 17.

1. *Sortilegium quid sit.*
2. *Quotuplex est sortilegium.*
3. *Dæmon quot modis dicatur implorari Sortilegijs.*
4. *Sortilegi quot modis possint infirmitates prouocare.*
5. *Quot modis potest contingere maleficium.*
6. *Qualiter viris, & fæminis contingat; & quæ sit differentia.*
7. *An maleficium impediat respectu omnium.*
8. *Ex quibus signis potest cognosci maleficium.*
9. *An ad tollendum maleficium, liceat vti vanis rebus.*
10. *An liceat vti vanis rebus, protestando animum esse non vtendi illis tanquam vanis, & à Dæmone institutis.*
11. *Vnde dignosci possit, quæ media sint licita, & quæ vana.*
12. *An liceat petere, à malefico parato, vt maleficium maleficio soluat.*
13. *An liceat petere, non explicando, vt maleficio soluat, quando alio modo nescit soluere.*
14. *Maleficia ob bonum finem, an sint permissa.*
15. *An sit tolerandum, maleficium maleficio tollere.*
16. *An quando medio licito potest maleficium solui, liceat petere à Dæmone, vt soluat.*
17. *An possit interrogari malefica; An norit in quo maleficiũ consistat; & si id didicerit à Dæmone, fas sit, ea scientia vti ad maleficiati medelã.*

DEcreta sacræ Congreg: Concilij, de Regularibus Apostatis, & eiectis. fol. 179.

QVÆSTIONES.

In fol. 184. à num. 1. vsque ad 21.

1. An Regulares eiecti à Religione teneantur se præsentare coram Episcopo loci, & illius obedientiæ se subdere.

2. An sint tuti in conscientia, si non emendent.

3. An ad Episcopum pertineat perquirere, si iustè vel iniustè sint eiecti.

4. An teneantur obseruare, existentes in seculo, tria Religionis substantialia, & essentialia vota.

5. An teneantur proprijs manibus laborare.

6. An quidquid acquirant, sibi acquirant, an Monasterio.

7. An si sint Subdiaconi, vel alio sacro Ordine insigniti, ad alios possint promoueri.

8. An possint cogi à superioribus, ingredi Religionem.

9. An si eiecti conuertantur, atque humiliter exposcant habitum, teneantur necessariò Prælati Regulares ad Ordinem recipere.

10. An restitutio degradatorum, & solemniter eiectorum ab Ordine, reseruata sit Prælatis Religionis, an potiùs Summo Pontifici.

11. An si aliquis Religiosus vagatus sit extra claustra, & postea redijt ad Monasterium, ibique decedat, bona illius extra claustra acquisita applicentur Cameræ, vel Monasterio in quo vixit.

12. Quid, si aliquis Religiosus Apostata transiuit ab vno Ordine ad alium, & ab illo redijt ad statum secularem, in quo multa bona acquisiuit.

13. An Regularis renuncians Episcopatui, si ad claustra non redierit, dicatur Apostata.

14. Quæ in iure prohibentur Apostatis.

15. Apostasia, quos habet effectus.

16. Quæ debent concurrere, vt quis dicatur Apostata à Religione.

17. An de Iure sit iudicandus Apostata verè, & propriè, deferens habi-

habitum laicalem, sed non constat an habuerit animum deserendi Religionem.

18. An dicatur Apostata, qui dimisit habitum ob Prælatorum rigorem, animo citò illum assumendi.

19. An Regularis deferens habitum suæ Religionis subtus habitu alterius Religionis, sit censendus Apostata.

20. Quæ Bullæ Summorum Pontificum, & sacræ Constitutiones loquuntur contra Religiosos Apostatas, aut malè translatos, vel extra claustra vagantes.

21. Pœna, quæ datur Apostatis.

DECRETVM, Apostolicum, quo conceditur, & præscribitur facultas Ordinarijs circa accessum Regularium ad Monasterium, ad colloquendum cum eis. *fol. 192.*

QVÆSTIONES.

In fol. 194. à num. 1. vsque ad 3.

1. An excommunicatio Episcopi, lata contra alloquentes Moniales, procedat etiam in alloquentes cum Monialibus exemptis, & Regularibus subditis, quæ Episcoporum Iurisdictioni non subsunt, existentibus intra Diœcesim.

2. An Regularis, absque legitima licentia accedens ad Monasterium Regularibus subiectum, ibique, in loco colloquendi destinato cum Moniali colloquens, à Diœcesano Episcopo, tanquam Sedis Apostolicæ Delegato, coerceri, & puniri possit.

3. An Episcopus carcerare, & punire possit Regulares alloquentes Moniales ipsi Episcopo subiectas, sine licentia ipsius.

BVLLA Vrbani VIII. contra malè ad sacros, vel minores Ordines, seu Clericalem characterem ordinantes, & malè ordinatos. *fol. 197.*

QVÆSTIONES.

In fol. 200. à num. 1. vſque ad 9.

1. An Clerici, vtentes falſis Dimiſſorijs, ignorantes eſſe falſas, & illas recipientes à viro probo, & bonæ opinionis, puniantur pœnâ in ſupradicta Bulla contenta.

2. An Clericus ordinatus à non ſuo Epiſcopo ſine falſis dimiſſorijs, incurrat pœnam præfatæ Conſtitut.

3. An Ordinarius poſſit ratificare ordinationem ſui ſubditi, factam ab alio Epiſcopo; & quid requiritur; & an in præiudicium tertij.

4. An Epiſcopus ſibi non ſubdito ordines conferens cum ſpe ratihabitionis proprij Epiſcopi, ſuſpenſionem incurrat.

5. An Epiſcopus ordinans alienum Clericum, excuſetur à ſuſpenſione, ſi probabiliter ignorauit Clericum à ſe ordinatum, eſſe alterius Diœceſis, ſed communiter habitum de ſua Diœceſi.

6. Quæ concurrere debent, vt quis poſſit ordinari ab alieno Epiſcopo ratione domicilij.

7. An Ordinandus, etiam Epiſcopo ordinanti non ſubditus, irretitus aliquâ cenſurâ Eccleſiaſticâ, vel irregularitate, habeat aliquod releuamen, vel beneficium per abſolutionem, vel diſpenſationem, qua vtitur Epiſcopus in principio ordinationis.

8. An laicus, fabricans falſas dimiſſorias, poſſit puniri ab illo Epiſcopo, cuius iuriſdictio offenſa eſt in fabricatione dictarum dimiſſoriarum.

9. Quid ſi laicus incepit falsò ſcribere dimiſſorias, ad perfectionem tamen non deductas.

DECRETVM Vrbani VIII. quoad imagines nondum à Sede Apoſtolicâ Canonizatorum, vel Beatificatorum cum radijs, ſplendoribus, & laureolis proponendas, vel tabellas, & luminaria ad eorum ſepulchra apponenda, & cum atteſtationibus deſuper proponendis, recipienda, & aſſeruanda, ſiue eorum miracula in imprimendis libris enarranda. *fol. 205.*

QVÆSTIONES.

In fol. 209. à num 1. vſque ad 15.

1. Quid ſit miraculum.

2. Quæ requiruntur ad verum miraculum.

3. Quare fiunt miracula.

4. Quomodo probentur, & an per teſtes ſingulares.

5. An miracula poterunt directè à teſtibus probari.

6. An teſtes deponentes de miraculis, debeant, etiam non interrogati, reddere cauſam ſcientiæ, & de ſingulis circumſtantijs reſpondere.

7. Miracula, quomodò ſunt examinanda.

8. Quomodo differant miracula inter gratias.

9. Quomodo, & quando debeat, vel poſſit miraculum publicari.

10. Quid debeat facere Epiſcopus, quando offeruntur miracula patrata in aliqua Eccleſia, tàm ſeculari, quàm Regulari.

11. An ad alium, præter Epiſcopum, ſpectet miraculorum recognitio.

12. Quæ pœna eſt publicantibus noua miracula, ſi non ſint approbata à Sede Apoſt: & examinata ab Ordinarijs, & quid ſi miracula eſſent falſa.

13. An liceat in Altari Domûs priuatæ retinere imaginem alicuius Sancti non Canonizati.

14. In quibus conſiſtit his temporibus practica, & modus Canonizandi.

15. Decretum ſacræ Rituum Congregationis ſeruandum in recipiendis informationibus pro cauſis Beatificationum, & Canonizationum ſeruorum Dei.

QVÆ-

QVÆSTIONES.

In fol 222. à num. 1. vsque ad 12.

1. *An crimen falsi, dicatur difficilis probationis.*
2. *An probari possit per coniecturas, & per præsumptiones: & quæ sint.*
3. *Quando hoc sit verum.*
4. *An moneta cusa, vel falsa, debeat per testes concludenter probari.*
5. *Stampæ, icones, & alia instrumenta apta ad cudendum monetam, & diminuendam, quod indicium faciant contra retinentes.*
6. *An bona fama, tollat indicium, quod resultat ex inuentione penes aliquem dictorum instrumentorum.*
7. *An requiratur, quòd actus sit consummatus in casu falsæ monetæ, quando per facientem non stat, quò minùs consumetur.*
8. *Monetam falsam alterius Principis cudens, sed non ad perfectam formam vt expendi valeat, quâ pœnâ sit puniendus.*
9. *Falsam monetam penes se habens, vel expendens, non ostenso authore, an puniatur tanquam fabricator monetæ; & quid, si doceat de Authore non expresso nomine, quando est bonæ famæ.*
10. *Quot modis potest moneta adulterari.*
11. *An Aurum, vel Argentum Alchimicum possit vnquam vendi pro vero auro, & argento.*
12. *An possit quis tuta conscientia expendere falsam monetam, quam habuit ab alio.*

BVLLA Vrbani VIII. in qua fit reuocatio indultorum & priuilegiorum omnium, etiam per modum communicationis concessorum, Militijs, Hospitalibus, Collegijs, Capitulis, Religionibus, Societatibus, Congregationibus, & Ordinibus quibusuis, tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, cæterisque locis pijs, & eorum, siue earum respectiuè personis audiendi secularium personarum confessiones absque Ordinarij examinatione, & approbatione. *fol. 227.*

QVÆ-

QVÆSTIONES.

In fol: 231. à num : 1. vſque ad 12.

1. An Confeſſarij approbati ad Confeſſiones audiendas ab Epiſcopo Prædeceſſore, ſine temporis præfinitione, poſſint ab Epiſcopo ſucceſſore iterum examinari.

2. An Confeſſarij poſſint approbari ad tempus.

3. An Epiſcopus poſſit impartiri licentiam Regularibus audiendi Chriſtifidelium Confeſſiones, etiamſi illi non exponantur examini.

4. An Confeſſarij, qui abiurauerant de vehementi, poſſint admitti ampliùs ad audiendas Confeſſiones, & quid ſi de leui tantùm.

5. An approbatus ad audiendas confeſſiones ab vno Ordinario, poſſit eas audire in alio Epiſcopatu.

6. Confeſſarij electi vigore priuilegiorum Confraternitatum, an debeant eſſe approbati ab Ordinario.

7. An Confeſſarij poſſint, abſque incurſu pœnæ abſoluere, ab hæreſi priore mentali.

8. Sacerdos audiens Confeſſiones abſque licentiâ Ordinarij, quam pœnam incurrit, & quid, ſi non eſſet Sacerdos.

9. Epiſcopus non eligens idoneos Confeſſarios in Cathedralibus, an peccet mortaliter.

10. Quomodo ſe gerere debeat Sacerdos, quando non poteſt audire totam confeſſionem pœnitentis: puta in bello, vel naufragio, in peſte, vbi moriuntur multi ſimul.

11. An facultas eligendi ſibi Confeſſarium idoneum ab Ordinario approbatum vigore Bullæ Cruciatæ ſanctæ, extendatur etiam ad Regulares vtriuſq; ſexûs, & cuiuſcunq; Ordinis.

12. An Confeſſarij tàm ſeculares, quàm regulares, poſſint abſoluere à caſibus Epiſcopalibus vigore diplomatum conceſſorum alicui loco, Religioni, vel Vniuerſitati.

DECLARATIO Sacræ Congreg: Regularium, ne Confeſſarij tàm Seculares, quàm Regulares, poſſint abſoluere

 à caſi-

à casibus reseruatis, vigore diplomatum concessorum alicui loco, vel vniuersitati. *fol. 243. & seq.*

REVOCATIO licentiarum quarumcunque, legendi, & habendi libros prohibitos, facta à S.D.N. Vrbano VIII. *fol. 245.*

QVÆSTIONES.

In fol: 248. à num: 1. vsque ad 8.

1. *Quænam sunt pœnæ contra hæreticorum libros, vel cuiusuis Auctoris scripta, propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, damnata, aut prohibita, legentes, aut habentes.*

2. *Quas pœnas incurrunt, qui libros, alia de causa prohibitos, legerint, vel habuerint.*

3. *Si quis compertus esset habere libros prohibitos, num se defendere posset, si diceret retinuisse ad confutandum.*

4. *Quid si quis damnatus Author viueret & alia opera in futurum componeret, censerenturne etiam damnata absq; noua prohibitione.*

5. *An prohibitio legendi libros hæreticorum, vel de fide, comprehendat etiam libros non impressos.*

6. *Quid de libris Catholicorum cum Scholijs, vel adnotationibus hæreticorum.*

7. *An suspectio hæresis, oriens ex retentione librorum hæreticalium, procedat in hæredibus, qui non perquisiuerunt omnes angulos domûs defuncti, penes quem erant Scripturæ suspectæ.*

8. *An Episcopi absque Inquisitore possint cognoscere, decidere, definire, & terminare causas illorum, apud quos reperiuntur libri prohibiti, non sapientes manifestam hæresim.*

QVÆ-

QVÆSTIONES EIVSDEM Authoris, ad hanc etiam controuerſiarum materiam ſpectantes, ordine ſequenti.

Quæ-

petat etiam Superioribus Regularibus, iura Episcopalia habentibus, in locis sibi subditis? *fol: eodem.*

Quæstio XXX.

An Regulares, vel alij impedientes Episcopos vti suis insignijs, quæ sibi de Iure, vel de consuetudine, debentur, possint censuris affici? *fol: 280.*

Quæstio XXXI.

An Clerus tam Secularis, quàm Regularis, teneatur processionaliter obuiam ire Episcopo ingrediendi Ciuitatem, vel Diœcesim; & quid si Episcopus alicui Ecclesiæ exemptionem concedat, quæ tamen priùs ire solita erat, concessio huiusmodi valida sit? *fol: 281.*

Quæstio XXXII.

An Episcopus præcedere debeat Prælatum Religionis exemptum, in Monasterio exempto, in Diœcesi Episcopo existente? *fol: 282.*

Quæstio XXXIII.

An Regulares Ecclesiam iniustè, ac notoriè possidentes, possint ab Episcopo spoliari de facto, absque citatione? *fol. 283.*

Quæstio XXXIV.

Si Regulares habeant aliquam Ecclesiam cum Iurepatronatûs, an possint illam sibi appropriare, vel in ea nouum censum imponere, aut antiquum augere? *fol. 284.*

Quæstio XXXV.

An Regulares, Societates erigendi facultate muniti, possint extra eorum Ecclesiam dictas Societates erigere, citra Episcopi consensum? *ibidem.*

Quæ-

Quæstio XXXVI.

An Regulares poſſint reformari ab Ordinario, vt eant bini, bini? *fol: 284.*

Quæſtio XXXVII.

Bonorum Religionis deletæ, & extinctæ, diſpenſatio ad quem pertinet? *fol: 285.*

Quæſtio XXXVIII.

Qua de cauſa ſancitum ſit, nè noua Religio inſtituta in Eccleſiam inducatur ſine Romani Pontificis authoritate. *ibid.*

Quæſtio XXXIX.

An induentes habitum nouæ Religionis ſine licentiâ, poſſint ab Epiſcopo puniri, & ſic etiam geſtantes habitum Regularem, cùm non ſint Regulares? *fol. 287.*

Quæſtio XL.

An Viri, & mulieres exercentes theatralia, poſſint habitum Regularium deferre? *ibidem.*

Quæſtio XLI.

An Eremitæ ſint Regulares, & de foro Eccleſiæ; & an ſubſint Iuriſdictioni Epiſcoporum, in quorum Diœceſi commorantur? *ibidem.*

Quæſtio XLII.

An licentia Epiſcopi, vel eius Vicarij, quæ interuenire debet in renunciatione facienda à Nouitijs intra duos menſes proximos ante Profeſſionem, debeat eſſe in ſcriptis, & an ſemper præcedere debeat; & an ſufficiat, quod ſit petita, etiãſi non

Quæſtio XLIII.

Quæſtio XLIV.

Quæſtio XLV.

Quæſtio XLVI.

Quæſtio XLVII.

Quæstio XLVIII.

An Nouitij, qui non sunt aliquo Ordine insigniti, eximantur ex vi Nouitiatûs à solutione gabellarum, si vel ipsi propria bona, vel Monasterium, vel quiuis alius nomine ipsorum, ea vendat, aut commutet? *fol.297.*

Quæstio XLIX.

An Nouitius, absque iusta causa expulsus, ius habeat agendi contra Religionem, ne expellatur? *fol.298.*

Quæstio L.

An Nouitius, à Monasterio recedens, teneatur soluere expensas, in suis alimentis à Monasterio consumptas? *ibid.*

Quæstio LI.

An Nouitius possit accusare, transigere, & pacem inire, siue sibi, siue suis iniuria irrogetur, & legitimè standi in iudicio personam habeat? *fol.300.*

Quæstio LII.

An Nouitio interfecto, Ius accusandi, & pacis ineundæ, & compositionis accipiendæ, pertineat ad Monasterium, vel ad quem? *ibid.*

Quæstio LIII.

An Patre, aut Filio Religiosi, secularibus, interfectis, Religioso, vel Monasterio competat ius accusandi, aut pacis ineundæ; & an pretium pacis possit consequi Monasterium? *fol.301.*

Quæstio LIV.

An iniuria facta Monacho ante Religionis ingressum, vel ante illum, eius Pater, aut Filius occisi sunt, competat Religioso, vel Monasterio Ius pacis ineundæ, aut accusandi? *ibid.*

Quæ-

Quæstio LV.

An Religioso interfecto, vel aliâs læso, competat Monasterio, vel Religioso læso ius accusandi, & pacis ineundæ, & consequenter capiendæ pecuniæ, ob quam remissio mortis aut iniuriæ conceditur? *fol: 302.*

Quæstio LVI.

An Nouitius, possit eligere sepulturam? *fol. 305.*

Quæstio LVII.

Nouitius, si moriatur absque sepulturæ electione, vbi sit sepeliendus? & quid, si esset in proposito redeundi ad seculum? *ibid.*

Quæstio LVIII.

Quibus expensis, sepeliendi sint Nouitij? *fol: 306.*

Quæstio LIX.

An teneatur Monasterium soluere expensas ab alio factas in funere Nouitij defuncti extra Monasterium, vbi ex superioris obedientia erat? & quid si Nouitius ille patrimonio careat, ac parentes eius superstites sint, ac diuites? *fol: 307.*

Quæstio LX.

An Religiosus viator, mortuus in hospitali, vel aliqua domo priuatâ, debeat sepeliendus deferri ad suum Conuentum, vel in Parochialem Ecclesiam? & quid de Clerico seculari peregrino dicendum est? *fol: 307.*

Quæstio LXI.

An Religionis Prælatus, possit sibi eligere sepulturam? & an finitâ Prælaturâ sit sepeliendus in loco electo? *fol: 310.*

Quæstio LXII.

Si testator, in loco vbi commoratur, sepulturam elegerit in seculari Ecclesia, cui pro anima sua reliquerit deinde in

 alio

alio loco decedat, ibique in aliqua Religiosorum Ecclesia sepeliri voluerit; an dicti Religiosi sint admissibiles ad petendum legata Ecclesiæ seculari priùs relicta. *fol: 311.*

Quæstio LXIII.

An pactum, iuramentum, votum, vel fides interposita ad suggestionem Regularium, vel Clericorum, de eligenda sepultura, vel electa non mutanda, sint prohibita sub aliqua pœna? *fol. 312.*

Quæstio LXIV.

Quot testes requirantur ad probandam electionem sepulturæ: & an per testes singulares probetur? *fol: 313.*

Quæstio LXV.

An Episcopus possit astringere hæredes defunctorum, vt in funeralibus conuocare debeant Clericos, vel Religiosos Parochiæ tantùm, exclusis alijs? *ibid.*

Quæstio LXVI.

An corpora defunctorum, tradita perpetuæ sepulturæ in Ecclesia Seculari, vel Regulari, possint transferri de loco ad locum sine licentiâ Episcopi? *fol: 314.*

Quæstio LXVII.

An Regulares Mendicantes, quando vocantur ad funus, possint deferre crucē, inuito Parocho, per eius Parochiam? *ibid.*

Quæstio LXVIII.

An quoties cadauera fidelium ad Ecclesiam Fratrum Mendicantium deferuntur, officia mortuorum, & reliqua officia, quæ in huiusmodi ministerio circa cadauera adhiberi solent, debeant à Clero, vel ab ipsis Fratribus obiri, & peragi? *folr. 53.*

Quæstio LXIX.

Purificatio mulierum post partum, benedictio ouorum, & Domorum, ad quem spectat? *ibid.*

Quæ-

Quæstio LXX.

An debeatur quarta funeralis à Regularibus, si Rex, Princeps, vel quiuis alius sepeliatur in vno loco, & in alio postea fiant pro eo solemnes exequiæ? *fol: 316.*

Quæstio LXXI.

An charitatiuum subsidium, exigi possit ab exemptis, & à Monasterijs Regularium virorum, & mulierum? *ibid.*

Quæstio LXXII.

An Regulares sint exempti à Decimis persoluendis? & quid si priuilegio Apostolico sint effecti immunes, priuilegium intelligatur solùm de Decimis personalibus, an etiam de prædialibus? *fol. 318.*

Quæstio LXXIII.

An priuilegium, concessum à summo Pontifice Regularibus, Decimas non soluendi, solùm eximat eos, quibus datur à Decimis soluendis ex ijs prædijs, quæ eo tempore, quo priuilegium impetrârunt, & possidebant: an etiam à Decimis ex prædijs, quæ postea in ipsorum dominium deuenerunt? *fol: 321.*

Quæstio LXXIV.

An Coloni, qui prædia Religiosorum conducunt, vt ea colant, parte vnâ fructuum sibi retentâ, & alterâ ipsis Religiosis solutâ; sint liberi, & exempti à Decima soluenda? *fol: 322.*

Quæstio LXXV.

An prædia, si quæ Religiosorum ordo in emphyteusim habeat, libera quoque sint à Decima, ea item, quæ ab alijs conducta habet? *fol: 323.*

Quæstio LXXVI.

Quænam pœnæ Iure communi constitutæ sint contra eos, qui Decimas non soluunt? *fol: 324.*

Quæstio LXXVII.

Quam pœnam incurrant Religiosi, quicunque sint, qui Decimas debitas, & ad ipsos Iure aliquo, vel causâ legitimâ non pertinentes, sibi vendicant tanquam proprias, vel dolis, vel malis artibus vsurpant? *fol: 325.*

Quæstio LXXVIII.

An Religiosi, qui aliqua verba dicunt, vt retrahant audientes à solutione Decimarum, incurrant aliquam pœnam? *ibid.*

Quæstio LXXIX.

An Religiosi Confessores, & Prædicatores, teneantur facere conscientiã confitentibus de Decimis soluendis? *fol: 326.*

Quæstio LXXX.

An possit denegari sepultura ob Decimam non solutam? *ibid.*

Quæstio LXXXI.

An Religiosi priuilegiati super Decimis noualium, teneantur soluere Decimas de terris nouiter cultis, si Parochiali Ecclesiæ aliquid primò soluebatur? *fol: 327.*

Quæstio LXXXII.

Si animalia propter bellum fugiant de vna Parochia ad aliam, & ibi pariant; cui Parochiæ est soluenda Decima de eis? *fol: 328.*

Quæstio LXXXIII.

Religiosi priuilegiati super animalia, an animalia, quæ commiscentur cum animalibus ipsorum Religiosorum, sint priuilegiata? *ibid.*

Quæstio LXXXIV.

An debeatur à Religiosis, vel alijs, quarta Episcopalis de dote Ecclesiæ; & quando censeatur aliquid pro dote? *fol. 329.*

Quæ-

Quæstio

Quæstio C.

An Religiosis, officium Aduocati, & Procuratoris, interdictum sit in Curijs Ecclesiasticis, & laicalibus. Et an in casibus in quibus, permissum sit, tunc exigatur vtilitas Monasterij, Ecclesiæ, & licentia etiam Conuentûs; vel sufficiat solùm sui superioris tacita permissio, & an satis sit Episcopi licentia. Et quando nec superior regularis, nec ipse Episcopus licentiam huiusmodi concedere possint? *ibid.*

Quæstio CI.

An si, post litem contestatam, procurator alicuius ingrediatur Religionem, possit causam illam prosequi? *fol: 354.*

Quæstio CII.

An Religiosus, possit esse procurator pro aliquo laico Patrono, vel Principe; vel magno defensore, seu vtili amico Monasterij? Et quid si is, contra quem constituitur, dicat non versari vtilitatem Monasterij? *fol: 355.*

Quæstio CIII.

An Religiosus, qui fuit insignis Aduocatus, possit postulare, vt ex eius lucro subueniat Ecclesiæ, ære alieno grauatæ? *ibid.*

Quæstio CIV.

An Religiosus, qui in seculo erat Tabellio, si conficiat instrumentum, sit validum: & an exigatur superioris licentia: & an Monasterium conueniri possit, vt Religiosus, ante Notarius, instrumenta compleat, & signet, quæ in seculo confecerat, vel in suo Protocollo breuiter & succinctè conscripserat, vt postea per otium, quoties opus sit, latiùs extenderet? *fol: 356.*

Quæstio CV.

An Regularis, vt parentum necessitati subueniat, è Monasterio exire possit; & an absque licentia sui Superioris? & quid, si illius permissio interueniat, habitum regularem de-

Quæ-

Quæ-

FINIS.

IN QVIBVS REGVLARES EX Sac: Conc: Trident: Decretis, Locorum Ordinarijs subduntur.

CAP: I.

PRÆCEPTO sancti Concilj Tridentini *Sess. 25. de Regularib.: cap. 22.* constitutum est; vt omnes, & singuli Canones, qui de Regularibus præscribuntur, in omnibus Monasterijs, Cœnobijs, Collegijs, & Conuentibus quorumcumque Monachorum, & Regularium, quamprimùm executioni mãdentur: ideò breui complectar, quicquid in sacris eiusdem Concilij Decretis, & Canonibus, ad Monachos, Religiosos, & Moniales spectat.

Primò. Quod ad Religiosos pertinet, *Sess. 4. in decreto de vsu, & editione sacrorum librorum.* sic habetur: Non liceat Fratribus imprimere, seu imprimi facere libros de rebus sacris, sine approbatione Ordinarij, & licentiâ suorum Superiorum.

Secundò. *in Sess. 5. de Reformat. cap. 1.* Episcopus oppor-

tunis remedijs cōpellat, vt Lectio sacræ Scripturæ habeatur in Monasterijs Monachorum, vbi commodè fieri potest, si Abbates in hoc negligentes fuerint.

Tertiò. *Sess. 5. de Reformat. c. 2.* Vt non minùs ad prædicationem, quàm Lectionem, Christianæ Reipublicæ necessariam, habendam, omnes animarum curam habentes, etiā si quauis ratione exemptos sese esse prætendant, Episcopus compellat.

Ibid: Regulares cuiuscunque Ordinis, sine licentiâ Superiorum Ordinis, & benedictione Ordinarij, etiam in Ecclesijs suorum Ordinū, prædicare non possint: in alijs autem Ecclesijs, vltrâ licentiam Superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur; & in illis, contradicente Episcopo, prædicare non præsumant.

Ibid. Si aliquis prædicator (quod absit) errores, aut scādala disseminauerit in populum, etiamsi in Monasterio sui vel alterius, Ordinis prædicet, Episcopus ei prædicationem interdicat: quòd si hæreses prædicauerit, contra eum secundum iuris dispositionem, aut loci consuetudinem, procedat; etiamsi prædicator ipse generaliter, vel specialiter, exemptum se esse prætendat.

Quartò. *in Sess. 6. de Reformat. cap. 3.* Regularis, extra Monasteriū degens, etiā sui Ordinis priuilegij prætextu, tutus non censeatur, quominùs, si deliquerit, ab Ordinario loci, tanquam super hoc à Sede Apost: delegato secundùm canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat.

Quintò

Quintò. *Sessione vltima. de Regularibus. cap. 14.* Si Regulares, qui intra claustra Monasterij degunt, etiam Episcopo non subiecti, & extra ea, notoriè deliquerint, vt populo scandalo sint, intra terminum ab Episcopo præfigendum, à suo Superiore seuerè puniātur, & de punitione Episcopū certioré faciat: sin minùs, à suo Superiore officio priuetur, & delinquēs ab Episcopo puniri possit.

Sextò. *in Sess. 7. de Reformat: cap. 8.* Locorum Ordinarij Ecclesias quascunque, quomodolibet exemptas, auctoritate Apostolicâ singulis annis visitare teneantur, & opportunis iuris remedijs prouidere, vt quæ reparatione indigent, reparentur; curâ animarum, si qua illis immineat, alijsque debitis obsequijs minimè defraudētur: appellationibus, priuilegijs, consuetudinibus, etiā ab immemorabili tempore præscriptis, Iudicum deputationibus, penitùs exclusis.

Septimò. *Sess. 21. cap. 8.* locorum Ordinarij visitent & corrigant Monasteria, in quibus non vigeat Regularis obseruantia; & beneficia quæcunque, qualitercunque cōmendata, visitent; & curent, vt reficiantur, quæ restauratione indigent; & animarum cura, & alia debita obsequia rectè exerceantur.

Octauò. *in Sess. 22. Decreto de obseruandis, & vitandis in celebratione Missæ.* Cuiusuis generis mercedum conditiones, pacta, & quicquid pro Missis nouis celebrandis datur, atque importunæ & illiberales eleemosynarum exactiones, potiùs quàm postulationes, aliaque huius-

 modi

modi quæ à simoniacâ labe, vel certè turpi quæstu, non longè absunt; omninò prohibeãtur ab Ordinarijs locorũ.

Nonò. *in eadem Seß. & decreto.* Episcopi in suis Diœcesibus interdicant, ne cui vago, & ignoto Sacerdoti, Missas celebrare liceat.

Decimò. *in ead. Seß. & decreto.* Non patiatur Episcopus priuatis in domibus, atque omninò extra Ecclesiam, & ad Diuinum tantùm cultum dedicata Oratoria, ab eisdem Ordinarijs designanda, & visitanda, Sanctum Sacrificium Missæ à Secularibus, aut Regularibus quibuscumque peragi; ac nisi priùs qui intersint decenter composito corporis habitu, declarauerint se mente etiã ac deuoto cordis affectu, non solùm corpore adesse.

Vndecimò. *ibid:* Caueatur, ne Sacerdotes alijs, quàm debitis, horis celebrent; neuè ritus alios, & alias cæremonias, vel preces, in Missarum celebratione adhibeant, præter eas, quæ ab Ecclesiâ approbatæ, ac frequenti & laudabili vsu receptæ sunt.

Duodecimò. *ibidem.* Quarumdã Missarum, & candelarum certum numerum, qui magis à superstitioso cultu, quàm à verâ Religione inuentus est, Episcopi omninò ab Ecclesia remoueant.

Decimotertiò. *in Seß. 22. cap. 4. de Reformat.* Quicunque in Cathedrali vel collegiali, seculari vel Regulari Ecclesiâ diuinis mãcipatus officijs, in Subdiaconatûs ordine saltem constitutus non sit, vocem in huiusmodi Ecclesijs in Capitulo non habeat; etiamsi hoc sibi ab alijs liberè fuerit concessum.

Decimoquartò. *in Seſſ. 24. c. 10. de reform.* Abbatibus, & alijs quibuſcumque, quantumuis exemptis, non liceat in poſterum intra fines alicuius Diœceſis conſiſtentibus, etiamſi nullius Diœceſis, vel exempti eſſe dicantur, cuiquam, qui Regularis ſubditus ſibi non ſit, tonſuram, aut minores Ordines conferre.

Decimoquintò. *in eadem Seſſ. cap. 12.* Nullus, etiam Regularis, ad Subdiaconatûs Ordinem ante vigeſimum ſecundum; ad Diaconatûs ante vigeſimum tertium; ad Presbyteratûs ante vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum promoueatur. Regulares quoque nec in minori ætate ordinentur: priuilegijs quibuſcumque, quoad hoc, excluſis.

Decimoſextò. *in eadem Seſſ. cap. 13. & 14.* Promoti ad Subdiaconatûs Ordinem, ſi per annum ſaltem in eo non ſint verſati, ad altiorem gradum, niſi aliud Epiſcopo videatur, aſcendere non permittantur.

Decimoſeptimò. *in Seſſ. 23. c. 12.* Sine diligenti Epiſcopi examine Regulares non ordinentur: priuilegijs quibuſcumque, quoad hoc, penitùs excluſis.

Decimooctauò. *in ead. Seſſ. 13.* Duo ſacri Ordines, eodem die, etiã Regularibus, non conferantur: priuilegijs, atque indultis quibuſcumque conceſsis non obſtantibus.

Decimononò. *in eadem Seſſ. c. 15.* Sine approbatione Epiſcopi, nullus, etiam Regularis, poſsit Confeſsiones ſecularium, etiam Sacerdotum, audire.

 Vige-

Vigesimò. *in eadem Sess. c. 17.* Sacri altaris ministeria non nisi per constitutos in dictis Ordinibus exerceantur.

Vigesimo primò. *in Sess. 24. de Reformat: cap 2.* Synodi Diœcesanæ quotannis celebrentur: ad quas exempti etiam omnes, qui aliâs, cessante exemptione, interesse deberent, nec Capitulis Generalibus subduntur, accedere teneantur. Ratione tamen Parochialium, aut aliarum Secularium Ecclesiarum, etiam annexarum, debeant hi, qui illarum curam gerunt, quicunque illi sint, Synodo interesse.

Vigesimo secundò. *Sess. 25. de Regular.* Monasteria, nõ erigãtur sine Episcopi, in cuius Diœcesi construẽda sunt, licentiâ priùs obtentâ.

Vigesimo tertiò. *eadem Sess. cap. 4.* Non liceat Regularibus, à suis Conuentibus recedere, etiam prætextu ad Superiores suos accedendi; nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint: aliâs qui sine prædicto mandato, in scriptis obtento, repertus fuerit, ab Ordinarijs Locorum, puniatur, vt sui instituti desertor.

Vigesimo quartò. *ibidem.* Qui studiorum causâ ad Vniuersitates mittuntur, in Conuentibus tantùm habitent: alioquin ab Ordinarijs contra eos procedatur.

Vigesimo quintò. *in Sess. 25. de Regularib: cap. 12.* Censuræ, & interdicta, ne dum Sede Apostolicâ emanata: sed etiam ab Ordinarijs promugata, mandante Episcopo, à Regularibus in eorum Ecclesijs publicentur, atque seruentur.

Vigesimo sextò. *ibidem.* Dies festi, quos in Diœcesi sua Episcopus seruandos præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus, seruentur.

Vigesimo septimò. *ead. Sess. de Regul. c. 13.* Controuersias omnes de præcedentia, quæ persæpè cum scandalo oriuntur inter Ecclesiasticas personas, tam Sæculares, quàm Regulares, in processionibus publicis, & in alijs similibus, Episcopus, amotâ omni appellatione, & non obstantibus quibuscumque, componat.

Vigesimo octauò. *ibidem.* Exempti omnes, tam clerici Seculares, quàm Regulares, etiã Monachi, ad processiones vocati, accedere compellantur; exceptis ijs, qui in strictiori clausurâ perpetuò viuunt.

Vigesimo nono. *eadem Sess. de Regular. c. 15.* In quacunque Religione, tam virorum, quam mulierum, professio non fiat ante decimum sextum annum expletum; nec qui minori tempore quam per annum, post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur: alioquin professio nullam obligationem inducat ad quoscunque effectus.

Trigesimò. *ibidem. c. 16.* Nulla renunciatio, aut obligatio antea facta, etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuscunque causæ piæ, valeat, nisi cum licentiâ Episcopi, siue eius Vicarij fiat intra duos menses proximos, ante professionem: ac non aliàs intelligatur effectum suũ sortiri, nisi secutâ professione.

Trigesimo primo. *Sess. vlt. de Regular. c. 19.* Quicunque

que Regularis prætendit se per vim, & metum ingressum esse in Religionem, aut ante ætatẽ debitam professum fuisse, aut quid simile; non audiatur, nisi intra quinquẽnium tantùm à die professionis, & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario. Quòd si antea spontè habitum dimiserit, nullatenus ad allegandum quamcumque causam admittatur, & tanquam Apostata puniatur.

Trigesimo secundo. *Sess. 25. de Reformat. c. 13.* Quibuscunque in locis iam ante annos quadraginta, quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali, aut Parochiali Ecclesiæ, solita esset persolui, ac postea fuerit ex quocunque priuilegio Monasterijs concessa; posthac integro iure, & eadem portione qua anteà solebat, eidem Ecclesiæ persoluatur: non obstantibus quibuscunque priuilegijs etiam Mari Magno, nuncupatis.

IN QVIBVS MONIALES exemptæ, ex Sacr. Conc. Trident. Decretis locorum Ordinarijs subduntur.

1. IN *Seff. vlt. de Reg. c. 5.* Episcopi in omnibus Monasterijs, sibi subiectis ordinaria; in alijs verò Sedis Apost: auctoritate, Clausuram Sanctimonialium, vbi violata fuerit, diligenter restituant; & vbi inuiolata est, conseruari maximè procurent.

2. *Ibidem.* Nemini Sanctimonialium liceat post professionem exire è Monasterio, etiam ad breue tempus, quocumque prætextu: nisi ex aliqua legitima causa, ab Episcopo approbanda.

3. *Ibidem.* Ingredi intra septa Monasterij nemini liceat, cuiuscunque generis, aut conditionis, sexûs, vel ætatis fuerit, sine Episcopi, vel Superioris licentia, in scriptis obtenta; sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda.

4. *Ibidem.* Monasteria Sanctimonialium extra mœnia Vrbis, vel oppidi, curent Episcopi, & alij Superiores, si ita videbitur expedire, vt ad noua, vel antiqua Monasteria intra vrbes, vel oppida reducantur.

5. *Eadem Seff. de Regular.: c. 6.* Electio Superiorum quorumcumque, & aliorum Officialium, ac Generalium, & Abbatissarum fiat per vota secreta; ita vt singulorum eligentium nomina nunquam publicentur.

6. *Eadem Seff: c. 7.* Abbatissa, & Priorissa, & quocumque alio no-

alio nomine Præfecta, vel Præposita, appelletur, eligatur, non minor annis quadraginta, & quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit. Quòd si his qualitatibus non reperiatur in Monasterio, ex alio eiusdem Ordinis eligi possit. Si hoc etiam incommodum Superiori, qui electioni præest, videatur: ex his, quæ in eodem Monasterio annum trigesimum excesserint, & quinque saltem annis post professionem rectè vixerint: Episcopo, vel alio Superiore consentiente, eligatur. *Ibidem.* Duobus Monasterijs nulla præficiatur.

7. *Ibidem.* Is, qui electioni præest Episcopus, siue alius Superior, Claustra Monasterij non ingrediatur: sed ante cancellorum fenestellam vota singularum audiat, & excipiat.

8. *Sess: 25. de Regular. c. 8.* Redigere in Congregationes Monasteria Sedi Apost: immediatè subiecta, si ipsi Religiosi negligentes fuerint, Episcopi possunt, & illis etiã præesse *dicta sess. c. 9.*

9. *Eadem Sess: de Regularib. c. 9.* Monasteria Sanctimonialium, Sanctæ Sedi Apostolicæ immediatè subiecta, ab Episcopis gubernentur: quæ verò à deputatis in Capitulis Generalibus, vel ab alijs Regularibus reguntur, sub eorum cura, & custodia relinquantur.

10. *Eadem Sess: c. 10.* Attendant diligenter Episcopi, & alij Superiores Monasteriorum Sanctimonialium, vt in Constitutionibus earum admoneantur Sanctimoniales, vt saltem semel singulis mensibus confessionem peccatorum faciant, & Sacro sanctam Eucharistiam suscipiant.

11. *Ibidem.* Præter ordinarium Confessarium, alius extraordinarius ab Episcopo, & alijs Superioribus, bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat.

12. *Ibidem.* Sanctissimum Christi Corpus, intra Chorum, aut septa Monasterij Monialium, & non in publica Ecclesia conseruetur: non obstãte quocunque indulto, aut priuilegio.

13. *Eadem Sess: de Regular. c. 11.* in Monasterijs, seu domibus virorum, seu mulierum, quibus imminet cura animarum perso-

personarum secularium, præter eas, quæ sunt de illorũ Monasteriorum, seu locorum familia: personæ, tam regulares quàm seculares, huiusmodi curam exercentes, subsint immediatè in his, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cuius Diœcesi sunt sita. Excipit verò Concilium ibi quædam Monasteria.

14. *Eadem Sess: c. 16.* Ante professionem nihil recipiatur de bonis nouitij, etiam sponte oblatum à parentibus, vel propinquis, vel curatoribus, excepto victu, & vestitu Nouitij illius temporis, quo est in probatione: sub pœna anathematis dantibus, & recipientibus.

15. *Ibidem.* Finito tempore Nouitiatûs, Superiores, Nouitios, quos habiles inuenerint ad profitendum admittant, aut eos è Monasterio eijciant, & vt abeuntibus ante professionem omnia restituantur, quæ sua erant, Episcopus per censuras Ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat.

16. *Eadem Sess: de Regular. c. 17.* Puella, quæ habitum Regularem suscipere voluerit, maior duodecim annis sit; non ante eum suscipiat.

17. *Ibidem.* Nec postea ipsa, vel alia professionem emittat, priusquàm explorauerit Episcopus, vel eo absente, vel impedito, eius Vicarius, aut aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus, Virginis voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat, quid agat.

18. *Ibidem* Ne professionis tempus Episcopus ignoret, teneatur præfecta Monasterij eum ante mensem certiorem facere: aliàs quamdiu Episcopo videbitur, ea ab officio suspensa sit.

19. *Eadem Sess: de Regul. c. 18.* Eos, qui cogunt mulieres ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum, vel ad emittendum professionem, & qui sanctam virginum, vel aliarum voluntatem, vel accipiendi, vel voti emittendi, quocunque modo, sine iusta causa, impedierit, sancta Synodus anathemati subijcit.

QVÆSTIO.

An Regulares circa ea, in quibus subduntur locorum Ordinarijs, vel ab illis compelli possunt vigore Conc. Trid. possint excommunicari? Et dicendum est, posse excommunicari; si quidem Conc. Trid. in c. final. Sess: 25. de Regular. *mandat obseruari omnia decreta de Regular. non obstantibus priuilegijs: & deputat exequutores Episcopos. & cum nulla sit habenda ratio priuilegiorum, nec Concilium restringat modum compellendi, remittitur arbitrio ipsius Episcopi.* l. 1. ff. de iure de lib. *nec priuilegium tollit hoc arbitrium, quod Concilium concedit Episcopus. Facit etiam Bulla Pij quarti, per quam abrogantur omnia Priuilegia contraria Conc. Trid. & in casibus Concilij videtur offendi iurisdictio Episcopi: quo casu ad iudicem offensæ iurisdictionis pertinet cognitio, non ad proprium. Et ratione offensæ iurisdictionis quis, aliàs non iudex, efficitur iudex,* notata in c. 1. de noui oper. nũciat. & in c. Ecclesiæ sanctæ Mariæ. de Constit. *& idem probatur in* l. nullum C. de testib: *& tenet* Dom. de Franchis Decis. 147. *Et dum datur Authoritas, datur & coercio. & concessa iurisdictione, censentur concessa omnia, sine quibus exerceri non potest.* l. 2. ff. de Iurisd. omn. Iud. c. præterea. de Off. Deleg.

BVLLA GREGORII XIII. fel. record. per quam fuit facta reductio Constitut: Pij quinti, recol: memoriæ, pro Mendicantibus, & alijs Regularibus, contra locorum Ordinarios, ad terminos iuris, & Conc: Trid.

GREGORIVS EPISCOPVS seruus seruorum Dei.

In tan-

IN tanta rerum, & negotiorum mole, qua Rom: Pont. ex omnibus mundi partibus assiduè premitur, vix vitari potest, ne aliqua interdum exiliant, quibus posteà recognitis necesse est moderationis remedium adhibere. Cùm itaque aliàs fel. rec. Pius Papa V. Prædecessor noster, auditis grauaminibus, quæ fratribus ordinum Mendicantium, ab Ordinarijs locorum & Parochialium Ecclesiarum Rectoribus multis inferri dicebantur, super sacris concionibus, & lectionibus habendis, confessionibus audiendis, pœnitentijs iniungẽdis, fratribus ad Ordines promouendis, celebratione Missarum, Cura animarum, Sacramentorum administratione, sepulturis, quarta funeralium, legatis, donationibus, eleemosynis, collectionibus, alijsque huiusmodi Iuribus: nec non decimis, & diuersis oneribus, ac etiam super statu, & regimine Sanctimonialium ipsis fratribus subiectarum, formatione processuum, censurarum publicatione, processionibus, præcedentiâ, locorum acquisitione, cæterisque alijs rebus tunc expressis, multa per quasdam suas literas pro dictis fratribus non modo statuerit, sed & quæ iam in Conc. Trid: decreta fuerant ad hæc pertinentia declarauerit, multaque præterea priuilegia eisdem decimo septimo Kal: Iunij Pontificatûs sui anno secundo, & deinde ea omnia diuersis alijs ordinibus, & congregationibus Regularium non Mendicantium, etiam per modum communicationis concesserit: Postea per quandam suam Constitutionem de vicarijs perpetuis in Parochoialibus Ecclesijs vnitis, per ordinarios locorum instituendis, & portione illarum vicarijs assignanda editam, alia super constitutione fratrum eorundem ad exercitium curæ animarum in eius parochialibus Ecclesiis, quæ domibus, & locis suis vnita sunt, decreuerit: Demum animaduerso quòd ea omnia multis dubitationibus inuoluta, magnisque difficultatibus obstructa, multas, magnasque dissensiones, altercationes, & lites inter prædictos locorum Ordinarios & fratrum ipsorum ordines, non sine graui diuini cultûs, & animarum detrimento, ac populorum scandalo, concitauerant, contra ac ipse sperabat, & præter suam expectationem, vt qui interdum conquereretur multa aliter, alioque sensu à se prolata fuisse, quàm literis expressa essent. Cupiens his mederi incommodis, primùm illa omnia quæ regularibus aliorum ordinum, quàm Mendicantium communicauerat, & secundùm præmissa concesserat Motu proprio restrinxerit: Deinde plenius prouidere volens prioribus literis à se quo ad ipsos Mendicantes magna in parte moderatis, & omnes, & quascunque alias literas, quæ de

alijs ordinibus & congregationibus extra Mendicantium ordines de obseruantia nuncupatos emanauerant, omnino aboleuerit, causas omnes iam de his etiam in Romana curia pendentes ad se aduocando, lites extinguendo, ac formatos super illis processus, latasque sententias annullando, quemadmodum alijs suis literis in registro proximè compertis, nunquam tamen publicatis, plenius continetur. Postremò circa confessariorum Regularium, etiam Mendicantium, approbationem iuxta Concilij prædicti decretum faciendam, etiam multiplici literarum, & constitutionum editione procedit, præsentibus & futuris discriminibus occurrere volentes; De nobis attributæ potestatis plenitudine statuimus, & ordinamus prædictis & alijs omnibus literis, & Constitutionibus, quæ ab eodem prædecessore eisdem de rebus pro quorumcunque Regularium etiam Mendicantium ordinibus, & congregationibus quomodolibet emanârunt, ac omnibus & quibuscunque in eis contentis, eam deinceps disputationem atque decisionem pro subiecta materia futuram esse, quæ siue ex iure veteri, siue ex sacris d. Concilij decretis, siue alias legitimè ante dictarum literarum, & constitutionum editionem erat, & si ipsæ non emanassent futura fuisset, ad quam dispositionem, & decisionem, suumque pristinum, & integrum statum, ac terminum illa omnia reducimus. Quin etiam tollimus & abrogamus omnia irritantia, & alia decreta; nec non prohibitiones, declarationes, mandata, & quæcunque alia, ipsis literis, & constitutionibus apposita, & alias eorum occasione, vel causa factis, his nostris statuto, ordinationi, & reductioni, aduersantia, quibuscunq; illa sint concepta formulis, ac præseruationibus, declarationibus, modificationibus, restitutionibus, mentis attestationibus, derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacissimis, & inuiolabilibus clausulis, etiam motu, & potestatis plenitudine similibus, & ex certa scientia, etiam pro conseruatione status regularis, & ex quibuscunque alijs vrgentissimis causis quotiescunque roborata. Decernentes illa omnia pro nullis, & infectis haberi, omnesque supradictos illarum vius, commodo, & effectu carere: ac omnes lites, controuersias, quæ coram quibusuis iudicibus, siue ordinarijs, siue commissarijs, etiam causarum Palatij Apostolici Auditoribus, & S. R. E. Cardinalibus, etiam de Latere Legatis, prædictarum literarum, & constitutionum occasione super præmissis iam motæ sunt, nec dum decisæ, aut finitæ, vel etiam quæ iam decisæ sunt, si modò tractum habeant successiuum, easque rursus, & inter quoscunque excitari in posterum contingat, secundùm prædictam

ctam

ctam dispositionem, nec aliter decidendas: futura verò dubia, & difficultates, quandocunque, & vbicunque orientur, ad nos, & Sedem Apostolicam, vbi & cætera, quæ ad decreta dicti Concilij pertinent quotidie declarantur, omnino referenda esse; nec non irritum, & inane quidquid secus super his, per quoscunque, scienter vel ignoranter contigerit attentari, Mandamus, &c. Non obstantibus, &c. Datum Romæ, &c. Anno Incarnationis Dominicæ 1572. Kalend. Martij. Pontificatûs nostri Anno primo.

QVÆSTIONES.

1. *Quæ sunt huiusmodi Bullæ Pij Quinti fel. rec. reuocatæ per Gregorium XIII?*

2. *An Bulla eiusdem Pij Quinti circa declarationem portionum assignandarum Vicariis perpetuis Ecclesiarum Parochialium, Monasterijs, Beneficijs Ecclesijs, vel locis pijs perpetuo vnitarum, fuerit reuocata per Gregorium XIII?*

3. *Num Eleemosynæ altaris, funeralium & similes, computandæ sint in incertis in portione assignata Vicarijs perpetuis ad præscriptum d. Bullæ Pij V?*

Ad primum, *prædictæ Pij Bullæ reuocatæ per Greg. XIII. sunt infra scriptæ. Prima.* Et si mendicantium Ordines, *edita de anno 1567. in Bullario nouo 228. Altera quæ incipit:* Ad hoc nos Deus. *de anno 1571. fol. 234.*

Ad secundum, *quamuis Greg. XIII. asseratur reuocâsse prædictam Bullam ad exequendum: tamen mox compertum est, quòd postmodum idem Gregorius ore reualidauit hanc Pij Bullam, dummodo cum fratre, seu Religioso Vicario ad nutum amouibili per Monasterium pro subeunda animarum cura assignando, vnus duntaxat alius Religiosus extra Claustra maneat, & non plures: prout Sacra Conc. Tridentini Congregatio declarauit pro interpretatione* cap. 7. sess. 7. de reform. *Ita scribit* Gonzal. sup. 8. Regul. Cancel. de mensib. & alternat. glos. 5. § 4 num. 79. *Vbi propterea subdit hanc Pij Bullam hodie seruandam fore.* pag. mihi 146. *Et ita testatur Cherubinus in Compendio Bullarij, in Bulla dicti Pij, ad exequendum. XLVII.* tom. 2. fol. 85.

Ad

Ad tertium, *resp. Non quia intelliguntur de incertis, quæ habent quandam certitudinem: vt sunt decimæ frumenti, vini, alijque fructus, emolumenta, & obuentiones, quæ penes titularem sunt incertæ, quantum ex illis præcipere possit.* adscripta per Rebuff. de Cong. port. num. 83, 85. & sequent. & Leon. in suo Thesaur. for. Eccles. 2. cap. 16. de visit. num. 6. & dictus Dominus Cherubinus loco supra citato.

BVLLA GREGORII XIII. fel. reccord. super præcedentia in processionibus.

GREGORIVS EPISCOPVS seruus seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXposuit, *& infra.* De nobis attributæ potestatis plenitudine, volumus, & Apostolica auctoritate decreuimus, quod quicumque ex dictis Fratribus mendicantibus inter se de præcedentia huiusmodi contendentibus, aut Confraternitatum prædictarum, inter quos lites & causæ præmissorum occasione ortæ iam sint, seu oriri contigerit in futurum: qui in quasi possessione præcedentiæ, seu iuris præcedendi sunt ij, (quibuscumque reclamationibus, protestationibus, appellationibus, & alijs subterfugijs prorsus remotis, & cessantibus, & postpositis) in processionibus tàm publicis, quàm priuatis præcedere debeant: quandò verò non probetur, aut non constet de quasi possessione præcedentiæ huiusmodi inter Fratres quidem mendicantes ij, qui antiquiores in loco controuersiæ; inter Confratres verò inter se litigantes ij, qui prius sacris vsi sunt; in processionibus tàm publicis, quàm priuatis præcedere debeant: ita vt, si contigerit noua Monasteria, aut domos alicuius Ordinis Mendicantium erigi in loco, in quo alterius ex dictis mendicantibus Monasteria, aut domus prius erecta, & institura sint, ille Ordo, qui prius Monasterium, seu domum in loco habuerit, præcedat.

QVÆ-

QVÆSTIONES.

1. Qui ad processiones accedere teneantur?

2. Quid si vltra dimidium milliare à ciuitate distarent?

3. Et an Sacerdotes inseruientes Ecclesiis Religionis Equitum Hierosolymitanorum, processionibus interesse teneantur?

4. Quid si Religiosi, ex priuilegio eis concesso, habeant, vt non teneantur ire ad processiones; si ab Episcopo vocati pluries accessissent, an debeant iteratò eodem modo accedere?

5. Quæ dicantur publicæ Processiones?

6. An debeant vocari, & sit necessaria ipsa vocatio?

7. Ad quem pertinet constituere, quò & quà processiones dirigi debeant?

8. In processionibus, qui Regulares, alios Religiosos præcedere debeant.

9. An præcedentia inter Fratres mendicantes, vt illi præcedant, qui priores sunt in loco, habeat locum in prioritate vnius horæ, vel diei?

10. An recusantes accedere possint, compelli censuris Ecclesiasticis?

11. An Regulares teneantur accedere ad Ecclesias extra propria Monasteria, pro celebratione orationis 40. horarum?

12. An Confraternitates laicorum, existentes intra Claustra Regularium, teneantur accedere ad processiones, & orationes 40. horarum indictas ab Ordinario loci?

13. An possint Regulares, facere processiones extra Ecclesiam?

14. Quis potest componere differentias, & controuersias in processionibus ortas: & quomodo, & quis inter Confraternitates laicorum?

15. In controuersiis præcedentiarum, lite pendente, quis manutenen debeat?

16. An Confraternitates laicorum teneantur accedere ad processiones?

17. An Confraternitas, quæ prius quàm altera saccis vsa est, ad processiones accedens sine sacco, præcedentiæ prærogatiuâ gaudebit?

Ad primum. *Exempti omnes, tam Clerici seculares, quàm Regula-*

res quicumque, etiam Monachi ad publicas processiones vocati, accedere tenentur; iis tantùm exceptis, qui sub strictiori clausurâ perpetuò viuunt. Conc. Trid. sess. 25. de Regul. c. 13. *aut illis conuentibus (qui collegia nuncupantur) qui nec in choro cantant, nec ad mortuos accedunt: sed tantùm studiis, & lectionibus vacant. vt in* Bulla Pij V. Et si Mendicantium.

Ad secundum. *Sacerdotes, etiam inseruientes Ecclesiis Religionis Equitum Hierosolymitanorum, compelli possunt accedere ad publicas processiones. Nullæ enim immunitates Religioni Hierosolymitanæ concessæ obstant, quo minùs eius Sacerdotes inseruientes Ecclesiis, vocari debeant ad processiones: ac nisi accedant, etiam compelli; prout sæpè declarauit* sacra Congreg. Conc. Trid.

Ad tertium. *Religiosi, si vltra dimidium milliare à ciuitate distant, non sunt compellendi ad processiones accedere.* Gratian. dec. 235. *Aloysius* Ricc. in decis. Cur. Archiep. Neapol, 131.

Ad quartum. *Respondeo quòd non, tum quia priuilegium est facultatis, & possunt ire, si volunt, & si nolunt abstinere; tum quia precariò videntur iuisse, & sic nullum ius Episcopo acquisitum, vt in specie determinat* Calderin. in cons. 8. sub tit. de regular. *quem refert, & sequitur* Felin. in c. dilectus, sub num. 7. de off. ordin.

Ad quintũ. *publicæ Processiones, seu litaniæ, sunt tres in iure. Prima diui Marci: die secunda Rogationũ: c.* Rogationes. de consecr. dist. 3. *Tertia Corp. Christi:* Conc. Trid. sess. 13. c. 5. & Can. 6. Clem. vnica. de reliquijs & venerat: Sanct. Conc. Mogunt: Can. 33. *Itẽ secundum consuetudinem antiquam locorum, soliti sunt accedere, vel quæ pro bono pacis Ecclesiæ, vel pro victoria contra infideles indicuntur, prout in dicta Bulla Pii V.* Et si Mendicantium 5. *postremo. Similiter publicæ processiones dici possunt, quæ fiunt propter bonum publicum, prout in vacat: Ecclesiæ Cathedr. pro bono impetrando à Deo Pastore.* Conc. Trid. sess. 24. c. 1. de reform. *Ex quo maius sumitur argumentum, vacante sede Apos. tunc enim fieri debent publicæ processiones pro obtinendo à Deo Pont. Optimo, Ecclesiæ Vniuersalis Pastore, propter bonum vniuersale totius Christianæ Reipub. Item Processiones publicæ sunt,*

 quæ

quæ fiunt in Iubilæis, in aduentu noui Legati, vel Episcopi, aut imminente peste, aut alio flagello. Panorm. in c. nimis praua. el secundo. de excessibus Prælatorum. n. 3. & 5. *& remittitur arbitrio Episcopi, quæ sint istæ processiones indicendæ pro bono publico, vel ex magna causa: prout decreuit sacra Congreg. Conc. Trid. Et denique publicæ processiones dicuntur, vbi adest Prælatus.* Conc. Prouin. Neapol. c. 38 *de processionibus.*

Ad sextum. *Concilium Tridentinum dicit quod debent vocari: & hoc rationabiliter; primò non solum, vt si ire nollent, non excusarentur, sed ad hoc, vt sciant horam, qua processio fieri debeat; vel vocari virtualiter, vt quia sciunt diem consuetum, & sic non opus est vocari actu semper: & quod vnica monitio sufficiat,* glos. in cap. *si Episcopus. 18.* dist. Affli: in Constit. *inconsutilem.* num. 56.

Ad septimum. *Ad Episcopum, cum Concilio Capituli, pertinet constituere, atque edicere quò, & quà processiones dirigi, quasue ad Ecclesias perduci debeant: prout declarauit sacra Congregatio.*

Ad octauum. *In processionibus Religiosorum, illi debent præcedere, qui sunt antiquiores in loco; & quamuis de anno 1593. fertur sacram Congreg. declarâsse in huiusmodi præcedentiis seruandum esse, quod in vrbe seruatur, prout refert* Quaranta, in verbo præcedentia. *De mandato postea fel. rec. Pauli V. cum multæ exortæ fuissent controuersiæ inter Regulares de anno 1615. 4. Aprilis, eadem sacra Congregatio in vna Agrigentina, mandauit seruari dictam Bullam Greg. XIII. prout ex originali subscripto bon. mem. Card. Galli (cuius copia autentica seruatur in Curia Archiep. Neap.) latius constat.*

Ad nonum. *Respondeo affirmatiuè: ex eo, quia prioritas, seu præuentio, causatur non solùm per vnum diem anterioritatis,* glos. in cap. *si eo tempore 45.* verbo iam de elect. in 6. *sed etiam ratione vnius horæ, &* glos. in verbo die obligant. in l. si pluribus 89. §. fin. de solutionibus & in cap. duobus. 14. in verbo si non appareat. de rescriptis. *Et non solùm vnius horæ, prioritas, sed etiam vnius puncti, vel momenti, facit præuentionem.* Menoch. de arbitr. Iudic. cent. 1 casu 48. n. 3. Cassad. decis 20. n. 1. fin. *Quantũ temporis sit vnum punctum,*

 &

& momentum. Io. Andre. in c. 1. n. 7. & Abb. n. 7. de causa poss. & propriet. *dicunt: Punctum esse quartam partem vnius horæ, & momentum decimam partem vnius puncti: & sic hora habet quatuor puncta, & quadraginta momenta.* Ricc. in praxi. variar. resolut. 113.

Ad decimum. *Quando Regulares nollent ire ad processiones indictas ab Episcopo.* sess. 25. c. 13. de Regular. & sacr. Congreg. declar. 32. *censuit, Regulares, qui non accedunt ad processiones ab Episcopo indictas, posse ab eo puniri per censuras, & pœnas arbitrarias, & alia iuris remedia. & ita testatur* Zerola in praxi Episcopali, in verbo Excom. causæ materialis, n. 4. *& ita quoque fuisse decisum in Curia Episcopali Papiæ affirmat* Macera, decis. 15. n. 2.

Ad vndecimum. *Declarauit sacra Congreg. non teneri Regulares accedere ad Ecclesias extra propria Monasteria pro celebratione orationis 40. horarum; sed quando toti populo dicta oratio indicitur, tenentur in propriis Ecclesiis huiusmodi orationi vacare. Ita testatur* Genuensis in praxi Curiæ Archiep. Neapol. cap. 64. n. 3.

Ad duodecimum. *Nonnulli tenent, Confraternitates posse vocari, & non posse compelli, & quòd Confratres magis conscientiæ suæ ac pietati satisfacerent, si Episcopo ad processiones publicas eos vocanti, morem gererent. Alij indistinctè tenent, posse compelli; quia Confraternitates quoad temporalia non subsunt Episcopo, secus verò quoad spiritualia. Et ita fuisse decisum Papiæ.* Macer. eiusd. Curiæ, decis. 66.

Ad decimum tertium. *Regulares, & si non subsint Ordinariis locorum.* c. 1. de Priuigil. Triuis. decis. 33. *tamen quoad processiones, benè subsunt Episcopis.* C. nimis graue. de excess. Prælat. *quod intellige de processionibus publicis secundum* Caler. cons. 8. de reg. in fin. Rub. cons. 22. Monal. cons. 83. n. 1. Gratian. decis. 383. *Tum secundò quia facere processiones extra Claustra, sapit aliquid iurisdictionis, quæ exerceri prohibetur absque contemptu Ordinarij. Tum tertiò quia tum Abbas potest facere illam in suo territorio, sed Monasterium Abbatis dicitur tamen eius territorium, secundum* Zabar. in Clem. 2. n. 1. de statu Monach. Sapia ad Panor. in cap. *ad Monasteria.* de vit. & honest. Cleric. Alban. cons. 17. *Igitur extra dictum locum fieri nequit-*

quit. Vnde secundum Graff. conf. 20. de regular. *haberetur, posse regulares facere processiones intra Claustra suarum Ecclesiarum, & per 30. passus extra Claustra:* text. in cap. *antiquitus.* 17. q. 4. *& ita esse de communi obseruantia in omnibus ciuitatibus in processionibus, quæ singulis annis fiunt, Rosarij, Conceptionis, & huiusmodi, solum illæ fiunt intra Claustra, & ambitum Monasterij, nisi aliter conderetur in eorum priuilegijs, iuxta notata in* cap. porrò, & cap. complantare. de priuilegiis. *facit etiam ad hoc* text. in cap. *certum est:* de consecr. dist. 1. *propterea dictæ processiones non possunt fieri à Regularibus vltra girum suarum Ecclesiarum, seu Monasteriorum. Vnde hodie, præsumentes facere processiones extra Claustra, & giros prædictos, solent excommunicari.*

Ad decimum qaartum. *Per Episcopos sunt dirimendæ controuersiæ, quæ incidunt circa præcedentiam processionũ.* Conc. Trid. sess. 25. canon. 12. de Regular. Capell. Tholotan. decis. 483. Ann. alleg. 9. Huttier. lib. 1. pract. quæst. cap. 12. Nau. Cons. 8. de offic: ord. *quæ dicantur publicæ processiones, vide* Capel. vbi supra. Graff. de arbit: confess. lib. 2. cap. 59. *& Episcopi, breui manu, summariè ac de plano, sine strepitu & figura Iudicij, expediant vniuersa, amotâ omni appellatione ad effectum suspensiuum. Ad Episcopos etiam spectat definire controuersias, quæ inter Confraternitates laicorum, quando accedunt ad processiones, oriri solent: quemadmodum inter Ecclesiasticos potest, iuxta* d. c. 13. *Et quod ad Episcopum spectet, facit, quod laici in omnibus actionibus spiritualibus, & concernentibus cultum diuinum, subsunt iudicio Episcopi.* Bar. in l. fi. ff. de colleg. illicitis, *quo ad temporalia, iudicibus laicis. sequitur* Nauar. cons. 3. de foro compet. *vbi declarans, quæ sint istæ actiones spirituales: & censet esse actum confitendi, communicandi, audiendi Missas, sepeliendi mortuos in loco sacro, vel non sacro, cum illis, aut illis ceremoniis. Item præscribere modum, & ordinem incedendi in processionibus, comitandi: sanctiss. Sacramentum, deferendi habitum. Idem tenet* Ioan. Vinc. de Anna. *doctor eximius, in suo singulari tertio, dicens, non potuisse Concilium Neap. iudicare super præcedentia in processionibus inter certas Confraternitates laicorum, cum sit causa spiritualis, quamuis inter laicos.*

Ad decimum quintum. *Respond. quod is præcedat, qui tempore litis motæ possidet*, ex Cap. cum Ecclesia Sutrina. de causa possess. & proprietatis. *& ex latè traditis per* Annam in alleg. *131. vbi in præcedentiis, vltimus status attenditur: & generale est, quòd quis defendi debeat in possessione sua, donec alius doceat de suo iure.* Bal. d. cons. 442. Vldaric. Zas. cons. 7. n. 62. lib. 2. allegans cap. *in primis*. 2. q. 1. in cap. *appellatum*. 2. quæst. 6. cap. *præsentium*. 7. q. 1. *esset enim pe- tere exequutionem ante sententiã: quæ nimia properatio reprobatur in* l. 1. C. de execut. rei iudic. Bero. q. 57. n. 2. l. *defensionis facultas*. C. de iure fisci. lib. 10. *imo nec fiscus potest, lite pendente, priuatum, cum quo contendit, re ipsa, de qua tractatur, priuare. optima* glo. in l. *res quæ*. ff. de iur. fis. l. vlt. C. eod. tit. l. litibus. C. de agric. & cens. vbi Part. Guid. Pap. decis. 366. tex. in c. 1. si de inuestit: inter Dom. & Vassal. oriat. *cum aliis, quos adducit* Couarr. lib. *1*. var. resol. c. 16. n. 8. vers. 2.

CONSTIT: FEL: RECORD: SIXTI V. contra exercentes artem Astrologiæ iudiciariæ, & alia quæcunque diuinationum genera, librosque legentes, vel tenentes.

IN qua Summus Pontifex enarrat nefanda mala artis magiæ, negromantiæ, Astrologiæ iudiciariæ, & similium. §. 1. *Quibus extirpandis Ordinarij non plenè satisfecerunt*, §. 2. *Eam ergo prohibet, præterquàm circa Agriculturam, Nauigationem, & rem Medicam: aduersus Contrauenientes, etiam id se non certò affirmare asserentes, ab Ordinarijs, & Inquisitoribus seuerius Canonicis pœnis, & alijs, eorum arbitrio, animaduerti iubet*, § 3. *Librosque de his tractantes retineri vetat*, § 4. *De huiusmodi diuinationum, ac sortilegiorum materia, extant plures aliæ Apostolicæ constitutiones, Inno. VIII & aliorum Pont. Vt asserit Cherubinus in Bullario Romano in hac Bulla* fol. 510.

SIX-

SIXTVS PAPA QVINTVS.

COELI, & terræ creator Deus, &c. Hac perpetuò valiturâ Constitutione, Apostolica auctoritate statuimus, & mandamus, vt tam contra Astrologos, Mathematicos, & alios quoscunque dictæ Iudiciariæ Astrologiæ artem, præterquàm circa Agriculturam, Nauigationem & rem Medicam, in posterum exercentes; aut facientes iudicia, & Natiuitates hominum, quibus de futuris contingentibus successibus, fortuitisque casibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus, aliquid euenturum affirmare audent; etiam si id se non certò affirmare asserant, aut protestentur; quàm contra alios vtriusque sexus, qui supradictas damnatas, vanas, fallaces, & perniciosas diuinandi artes siue scientias exercentes profitentur & docent, aut discunt; quiuè huiusmodi illicitas diuinationes, sortilegia, superstitiones, veneficia, incantationes, ac præmissa detestanda scelera, & delicta, vt præfertur, faciunt, aut in eis se quomodolibet intromittunt; cuiuscunq; dignitatis, gradûs, & conditionis existant; tam Episcopi, & Prælati superiores, ac alii ordinarii locorum, quam Inquisitores hæreticæ prauitatis vbique gentium deputati, etiamsi in plerisque ex his casibus antea non procedebant, aut procedere non valebant, diligentiùs inquirant, & procedant, atq; in eos seuerius Canonicis pœnis, & alijs eorum arbitrio animaduertant: Prohibentes omnes & singulos libros, opera, & tractatus huiusmodi Iudiciariæ Astrologiæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chyromantiæ, Necromantiæ, Artis magicæ, aut in quibus Sortilegia, Veneficia, Auguria, Auspicia, execrabiles incantationes, ac superstitiones continentur, ac vt supra in memorato Indice interdictos, sub censuris, & pœnis in eo contentis, à quibuscunque Christi fidelibus legi, aut quomodolibet retineri, sed illos Episcopis, ordinariis locorum, vel Inquisitoribus prædictis præsentari, & consignari debere: & nihilominus eadem auctoritate statuimus & mandamus, vt contra scienter legentes, aut retinentes libros, & scripta huiusmodi, seu in quibus talia continentur, similiter ijdem Inquisitores liberè, & licitè procedant, ac procedere & pœnis condignis punire, & coercere possint. Non obstantibus, &c. Romæ, die Ianuarii. 1586.

QVÆ-

QVÆSTIONES.

1. *Quæ fuit finalis causa prohibitionis huius Astrologiæ iudiciariæ?*

2. *Num prohibitio iudiciariæ Astrologiæ, liget etiam in foro conscientiæ interiori eos qui asserunt, aut protestantur, id certò non affirmare, vt in* § 3.

3. *Cur illam protestationem, & declarationem non obstare voluit hic Pontifex?*

Ad primum. *Summus Pont. Sixtus, in dicta sua Bulla, multa mala narrat, quæ ex Arte Astrologiæ Iudiciariæ & magicæ, negromantiæ & similium proueniunt: nos infra scriptas rationes etiam adducimus, vt possint conuinci ab Ordinariis, vnitatis obseruantium superuacuè huiusmodi astrorum Constellationes.*

Ad secundum. *Resp. Controuersa videtur ista quæstio, cum pro negatiua,* Soar. Valenc. & Martin. del Rio. *pro affirmatiua verò* Sanc. *nec non. sol: &* Graff. *allegati à* Farinac. de Hæretic. quæst. 181. §. 1. sub n. 59. *Cum quibus ipse transire videtur: & ego etiam, quia prælegi* Soar. *in loco per* Farinac. *citato, quæ probat in hac prædictione reperiri culpam, saltem ratione scandali & prohibitionis Ecclesiæ.*

Ad tertium. *Resp. ratio esse potest, vltrà iam proximè dicta, vel quia etiam ille modus prænunciandi futura, est perniciosus Reipublicæ, cùm eadem incommoda, & vanæ inuestigationes ex illa sequantur: vel quia semper præsumitur, ea verba proferre ad occultandam malitiam, & diuinationem. Vel certè quia est etiam vera diuinatio, prout inquit Soar. vbi supra.* Tom. 1. de Relig. lib. 2. de superstit. cap. 11. num. 30. *& ex rationibus infrascriptis, &c.*

Primò, cœlestia corpora non possunt esse causa per se operationum liberi arbitrij: & possunt ad hoc dispositiuè inclinare, quatenus imprimunt in corpus humanum, & per consequens in vires sensitiuas, quæ tamen obediunt rationi: sed nulla necessitas ex hoc imponitur libero arbitrio. D. Thom. 2. 2. q. 95. ar. 6. *in corpore.*

Secundò, impressiones corporum cœlestium indirectè & per accidens ad intellectum & rationem pertinere possunt, in quantum tam intel-

intellectus, quàm voluntas, aliquo modo ab inferioribus vires accipiunt, quæ organis Corporeis alligantur. idem 1. par. quæst. 115. arg. 4 & 6.

Tertiò, mores hominum à dispositionibus siderum variari dispositiuè & contingenter possunt, & stellæ per constellationem influentiæ inclinant. Astens. lib. 1. tit. 12.

Quartò, corpora cœlestia, & constellationes homines quandoque ad vitia, quandoque ad virtutes inclinant: non tamen cogunt. Armil. in ver. *Astrologia*, num. 2.

Quintò, cœlestia corpora, non possunt imprimere directè in intellectum nec voluntatem, sed possunt ad hoc dispositiuè inclinare. Siluest. in ver. superstitio. §. 6.

Sextò, corpora cœlestia, possunt quodammodo inclinare ipsam animam. Soto. lib. 8. q. 3. ar. 2. col. 4. de iust. & iure.

Septimò, homo natus sub aliqua constellatione talium, aut talium siderum, non cogitur ex illa ad malè, vel benè operandum. Nauar. cap. 2. n. 34. notab. 28. *licet omnia quæ sunt sub Lunari globo constituta per superiora regantur, & procurentur.* Ang. in ver. *superstitio.* num. 15. *Vide* D. Aug. lib. 4. de ciuit: Dei. c. 1. & 15. in tract. in Ioannem. c. 8. & sup. Matth. cap. 2. Col. 2. & lib. 3. *contra gentes.* cap. 92. *& Ferrariensis*, & D. Thom. 1. p. quæst. 22. ad 3. & quæst. 116. art: 2. Boet. 4. lib. de consolat: Philosoph. *vbi habes, an detur fatum & quomodo intelligatur.* Caietan. 2. 2. quæst: 95. Art. 5. D. Chrysost. in Matth. cap. 2. Greg. Niss. lib. 5. Physiologiæ. cap. 1. Zozom. lib. 16. cap. 35. Nicephor. lib. 2. ca. 45. *prope medium*, in histor. Ecclesiast. *Ex quibus summa hæc est, quòd quando tam S. Patres, quàm sacri Theologi, & Canonistæ negant sidera cœlestia agere in homines, intelligunt de coactionis necessitudine, vt falsò astruebant Priscillianistæ, & Faustus, Manichæus. & pari modo est intelligendus* D. Greg. in homil. *Epiphaniæ. & præter innumerabiles rationes, quæ possunt afferri, istæ duæ sufficiant pro nunc, quòd actus humani sunt liberi, & non possunt cogi à stellis: & si ita esset, nec meritorij, nec demeritorij dici possent. ad hæc omnis anima est spiritus, & sidera sunt corpora, ergò non habent communicantiam in materia, quæ requiritur in actione, & pas-*

 sione

ſione. Ariſtot. in lib. 2. de generat. & corrup. & lib. 2. *de anima.* in cap. de tactu, vide Abb. in cap. 2 & 7. de ſortileg. *Ea propter S. D. N. Vrbanus VIII. innouando ſupradictam Sixti V. Bullam, ſuam quoque edidit ſuper prohibitione Iudiciariæ Aſtrologiæ tenoris infra-ſcripti.*

CONSTITVTIO S. D. N. VRBANI VIII. contra Aſtrologos Iudiciarios, qui de ſtatu Reipublicæ Chriſtianæ, vel Sedis Apoſtolicæ, ſeu vitæ Romani Pontificis, aut eius conſanguineorum Iudicia facere, necnon eos qui illos deſuper conſulere præſumpſerint; cum innouatione ſimilis conſtitutionis Sixti PP. V.

VRBANVS EPISC. SERVVS SERV. DEI,

Ad perpetuam rei memoriam.

INſcrutabilis Iudiciorum Dei altitudo, non patitur vt humanus intellectus tenebroſo corporis carcere conſtrictus, ſuper aſtra ſe extollens, arcana in ſinu Diuino recondita, & ipſis beatiſſimis Spiritibus ignota, nefariâ curioſitate, non ſolùm explorare, ſed etiam tamquam explorata, in Dei contemptum, Reipublicæ perturbationem, & Principum periculum, arroganti & pernicioſo exemplo, venditare præſumat.

1. Hinc eſt, vt quamuis ciuilibus, canonicíſque ſanctionibus, ac nouiſſimè fel. rec. Sixti Papæ V. prædeceſſoris noſtri Conſtitutione deſuper edita, Aſtrologorum, Mathematicorum, Vaticinatorum, & aliorum qui euentura diuinare, ſeu prædicere audent, quoſque vti homicidas, & maleficos antiquitas æſtimauit, illorum potiſſimum, qui de ſumma Reipublicæ, vel Principis ſalute, iudicia ferre præſumerent, ars, profeſſio, ſiue exercitium grauibus pœnis inhibita eſſe noſcantur. Attamen ſicut acce-

accepimus, nonnulli iniquitatis filij, propriæ pusillitatis obliti, ac lenitate forsan, vel conniuenitia audentiores facti, vanam fatidicorum æstimationem aucupantes, in deplorandam animarum suarum perditionem, graueque Christi fidelium scandalum, etiam de Reipublicæ, & Principum incolumitate, illis sollicitudinem, hominibus verò inquietis rerum nouandarum occasionem, ea ratione inferre satagentes, prognostica & prædictiones, verbo, vel etiam scripto edere non erubescunt.

2. Nos itaque perniciosis huiusmodi ausibus, quantum nobis ex alto conceditur, obuiam ire, ac quos Dei respectus in officio non continet, pœnarum grauitate, & seuerioris disciplinæ fræno coërcere volentes: motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Constitutionem per præfatum Sixtum prædecessorem desuper, vt præfertur, editam, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò approbamus, confirmamus, & innouamus.

3. Et insuper omnibus, & quibuscunque Laicis, cuiuscunque sexûs, conditionis, statûs, gradûs, qualitatis, & dignitatis, etiam Marchionalis, vel Ducalis existentibus, qui de statu Reipublicæ Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, siue de vita aut morte Romani Pontificis pro tempore existentis, eiusque vsque ad tertium gradum inclusiuè consanguineorum, Mathematicos, Ariolos, Aruspices, Vaticinatoresue nuncupatos, vel alios Astrologiam iudiciariam exercentes, seu aliàs quomodolibet profitentes, de cætero consuluerint; siue desuper eorum iudicia, prognostica, prædictiones, seu præcognitiones etiam sibi oblatas receperint, illisue quomodolibet vsi fuerint, vel illas penes se scienter retinuerint, aut alicui ostenderint; necnon eisdem Mathematicis, Ariolis, Aruspicibus, Vaticinatoribus, seu aliis Astrologiam iudiciariam, seu quamlibet artem diuinatoriam quomodolibet profitentes, qui Iudicia, Prognostica, seu præcognitiones, & prædictiones super præmissis, etiamsi id non certò se affirmare protestentur, fecerint, siue à se, vel ab aliis iam facta, seu factas in posterum penes se similiter retinuerint, vel alicui dederint, seu ostenderint, aut de ijs quouis modo, etiam improbando, scripto vel verbis tractauerint, nedum excommunicationis maioris latæ sententiæ, sed etiam vti læsæ Maiestatis reis, vltimi supplicii, ac confiscationis omnium bonorum suorum, etiam Romanæ Curiæ officiorum, ac deuolutionis quarumcunq; Ciuitatum, Castrorum, & locorum iurisdictionalium & fœudalium,

 4. Cle-

4. Clericis quoque, & Presbyteris, alijsque personis Ecclesiasticis, tàm secularibus, quàm cuiusuis Ordinis, Congregationis, Societatis, seu Instituti, vel Militiarum quarumcunque, etiam Hospitalis Sancti Ioan: Hierosolymitani, alijsque quomodolibet exemptis, ac Nobis, & Apostolicæ Sedi immediatè subiectis, Regularibus vtriusque sexûs, vltra prædictas etiam priuationis beneficiorum, & dignitatum, ac officiorum Ecclesiasticorum, etiam Monasteriorum, Prioratuum, & Præceptoriarum, ac aliorum quorumcunque, & inhabilitatis perpetuæ ad illa inposterum obtinenda, ita quòd personæ Ecclesiasticæ præuia illarum degradatione Curiæ seculari tradantur puniendæ: in Episcopali verò, Archiepiscopali, Metropolitana, Primatiali, Patriarchali, aut quacunque alia, etiam superiori Ecclesiastica, vel mundana, quantumuis sublimi, excellente, & speciali, notâ digna, etiam supremâ constitutis dignitate, easdem excommuincationis, ac priuationis, etiam regiminis, & administrationis Ecclesiarum, & aliorum quorumcunque beneficiorum, & dignitatum quantumuis amplissimarum, & Patriarchali maiorum, ac officiorum suorum, & inhabilitatis pœnas, ipso facto incurrendas Apostolica auctoritate tenore præsentium infligimus, & imponimus.

5. Cognitionem autem causarum huiusmodi, quoad personas Ecclesiasticas, tàm seculares, quàm regulares in Vrbe nostra, & illius districtu, ad dilectos filios, nostrum in eis Vicarium in spiritualibus generalem, necnon eiusdem Vrbis Gubernatorem, ac causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Auditorem Generalem, & eorum quemlibet insolidum: extra verò Vrbem, & districtum, prædictum, in Prouincijs Nobis, & Apostolicæ Sedi subiectis, ad S. R. E. Cardinales in eisdem Prouincijs de Latere Legatos, & Prolegatos, ac Præsides in dignitate Ecclesiastica constitutos, pro tempore existentes: in alijs verò omnibus, & singulis Prouincijs, Regnis, Ciuitatibus, Oppidis, Castris, & locis, tàm sub nostra, & dictæ Sedis, quàm cuiusuis alterius Principis ditione comprehensis, priuatiuè quoad omnes, etiam Superiores Religiosorum, ipsisque Superioribus penitùs exclusis, ad Ordinarios locorum, vbilibet verò locorum, etiam ad hæreticæ prauitatis Inquisitores spectare volumus.

6. Mandantes dilectis filijs nostris, & dictæ Sedis de Latere Legatis, & eorum Vicelegatis, & Præsidibus prædictis, nunc & pro tempore existentibus, necnon Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis singulis, videlicet, in suis Ciuitate, & Diœcesi, & quoad loca intra fines alicuius Diœcesis, non tamen de Diœcesi existen-

tia

tia ipsarum Diœcesum, intra quarum fines eadem loca extiterint; quò verò ad ea, quæ extra fines alicuius Diœcesis consistunt, vicinioribus eorundem locorum Ordinarijs, ac etiam Inquisitoribus prædictis, quatenus ad instantiam cuiuuis Fisci, vel denunciatoris, ac etiam ex eorum officio causarum huiusmodi cognitiones suscipientes, præuia etiam auocatione à quibusuis alijs supra non expressis, nec à Nobis specialiter delegatis, in causis ipsis modo præmisso procedant, omnibus iuris, & facti remedijs opportunis, inuocato etiam auxilio brachij secularis.

7. Inhibentes insuper, Decanis, & Capitulis Ecclesiarum Cathedralium, Metropolitanarum, & Patriarchalium, necnon quorumuis Ordinum, & locorum Regularium, Societatum, & institutorum, ac etiam Hospitalis prædictorum Superioribus, Conuentibus & Fratribus quantumuis exemptis, ne sub priuationis beneficiorum, & officiorum quorumcunque, per eos respectiuè obtentorum, ac similiter inhabilitatis ad alia in futurum obtinenda, vocisque actiuæ, & passiuæ, necnon excommunicationis latæ sententiæ, eo ipso incurrendis pœnis, Ordinarios locorum, necnon Legatos, seu Vicelegatos, aliosque prædictos in causis huiusmodi procedentes, quoquomodo impedire, molestare, seu perturbare audeant, vel præsumant: ac etiam mandantes, vt quoties ad id fuerint requisiti, Religiosos ipsos, etiam si alicuius loci regularis Superiores actu fuerint, Ordinarijs, Legatis, seu Vicelegatis, ac alijs prædictis, seu quibus ijdem mandauerint, consignent cum scripturis, & actis, si quæ facta fuisse reperiantur.

8. Sicque, & non aliter, in præmissis per quoscunque Iudices Ordinarios, Delegatos, & Commissarios, ac etiam Cameræ Apostolicæ Clericos, Præsidentes, necnon causarum Palatij Apostolici, & Curiæ eiusdem Cameræ generalem Auditorem, ac S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales, etiam de latere Legatos, necnon Vicecamerarium, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbique iudicari, & definiri debere: irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam, quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

9. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon nostra in numero septuagesima, & alijs Cancellariæ Apostolicæ Regulis, ac Prouinciarum, Regnorum, Ciuitatum, Terrarum, Oppidorum, Locorum, Ecclesiarum, Monasteriorum, Militiarum, Hospitalium, etiam S. Ioannis prædictorum, aliorumque Religiosorum, &

piorum locorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis, eisdem Prouincijs, Regnis, Ciuitatibus, Terris, Oppidis, Locis, Ecclesijs, Monasterijs, Hospitalibus, & Militijs prædictis, & alijs pijs locis, ac illorum Vniuersitatibus, Capitulis, Superioribus, & personis, in contrarium, forsan quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quauis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret; eorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis habentes, illis, aliàs in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter, & expresse, harum serie derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque.

10. Volumus autem, quod præsentes literæ, in valuis Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorũ de Vrbe, ac Cancellariæ Apostolicæ, necnon in acie Campi Floræ, publicentur, & affigantur: quæ postquam sic affixæ, & publicatæ fuerint, quoscunque tàm in statu nostro temporali, quàm extra eum, vbique locorum perinde arctent, & afficiant, ac si vnicuique nominatim, & personaliter intimatæ fuissent.

11. Quòdque earum exemplis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ, in dignitate Ecclesiastica constitutæ, munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra, vbique adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

12. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, innouationis, inflictionis, impositionis, inhibitionis, decreti, derogationis, & voluntatis infringere; vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum, Petri & Pauli, Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ, millesimo sexcentesimo trigesimo primo. kal. April. Pontificatûs nostri anno octauo.

In Dei nomine Amen, Anno à Natiuitate Domini Nostri Iesu Christi millesimo sexcentesimo trigesimo primo, die verò decima mensis Aprilis, Indictione decimâ quartâ, Pontificatûs autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri, Domini Vrbani Diuina Prouidentia

Papæ

Papæ Octaui, anno eius octauo, supradictæ Litteræ Apostolicæ, præsentatæ, & affixæ fuerunt, ac dimissis copijs ad Basilicas Ecclesiarum S. Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum Vrbis, & in Cancellaria Apostolica, in acie Campi Floræ, ac alijs locis solitis & consuetis Vrbis, per nos Augustinum de Bolis, & Ioannem Radicam, S. D. N. Papæ Cursores.

Matthias Spada, Magister Cursorum.

CONSTIT: FEL. RECORD. CLEM. VIII.

super exequutione decreti Conc. Trid. sess. 25. c. 14. contra Regulares, non subditos Episcopo, intra Claustra degentes, & extra ea ita notoriè delinquentes, vt populo scandalo sint; ac contra eorum superiores, illos punire negligentes, aut impunitos ad alia suorum ordinum loca transmittentes; vel transmissos, ad locum, in quo deliquerunt, non reuocantes. Romæ publicata, die 18. Martij 1596. tenoris sequentis.

CLEMENS PAPA VIII.

SVscepti muneris ratio postulat, vt ea, quæ in Sac. Trid. Conc. prouidè constituta sunt, ab ijs, ad quos spectant, inuiolatè obseruari curemus, Maturo sanè Concilio, ipsius Concilij decreto prouisum est, vt quicunque regularis, non subditus Episcopo, intra claustra degens, extra ea ita notoriè deliquerit, vt populo scandalo sit, Episcopo instante; à suo superiore, intra tempus ab Episcopo præfigendum, seuerè puniatur, & superior de punitione Episcopum certiorem faciat: sin minùs ipse à suo item superiore officio priuetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit. Verùm quia experientia compertum est, interdum in huiusmodi decreti executione nimis remissè procedi, cùm enim Episcopus instat, aliquem regularem eo, quo supra dictum est, modo delinquentem, à suo superiore puniri: sæpè fit, vt superior regularem delinquentem, ad alia suorum ordinum loca, extra Episcopi Diœcesim, ex industriâ

dustria impunitum transmittat, atque etiam ipse aliquando ad alias prouincias se conferat, nec vlterius super delinquentis excessibus inquirat, nec de eius punitione Episcopum certiorem reddat. Vnde nec Regularis delinquens tunc ab Episcopo puniri potest, cùm extra ipsius Diœcesim existat; nec superior, qui delinquentem corrigere negligit, officio priuatur: Nos pro Pastorali nostra solicitudine, præfati decreti executioni, quantum cum Domino possumus facere, & præmissis malis (vt par est) opportuno aliquo remedio occurrere volentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium prædicti Concilij interpretum sententia; Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apost: potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura constitutione, omnibus, & singulis, cuiuscunque Ordinis, & instituti regularium, etiam Mendicantium, Superioribus, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ, ac priuationis dignitatum, & officiorum per eos obtentorum, eo ipso incurrendis pœnis, præcipimus, & mandamus, vt iuxta prædictum decretum quilibet ipsorum, regularem non subditum Episcopo, intra Claustra degentem, & extra ea ita notoriè delinquentem, vt populo scandalo sit, Episcopo instante, intra tempus ab Episcopo præfigendum, seuerè puniat, ac de punitione Episcopum certiorem faciat, & aliàs decretum ipsum in omnibus, & per omnia exequantur. Cæterùm si superior in regularem delinquentem non animaduerterit, quinimò, si illum inpunitum ad alia suorum Ordinum loca, extra Episc: Diœcesim, vt præfertur, transmiserit; volumus, & simili motu, atque auctoritate decernimus, vt superior, instante Episcopo, intra terminum ab Episcopo præfigendum, & sub eisdem indignationis nostræ, ac priuationis dignitatum & officiorum obtentorum, nec non sub inhabilitatis ad illa, & alia imposterum obtinenda, ac vlteriùs priuationis actiuæ, & passiuæ vocis, ad quas à nemine, præterquam à nobis, & à Romano Pontifice pro tempore existente, restitui possit, ipso facto similiter incurrendis pœnis, ipsum regularem delinquentem, à loco, ad quem transmissus fuit, reuocare, & in quo deliquit, constituere, seu sistere, teneatur. Quòd si hoc etiam facere prætermiserit, per præsentes similiter statuimus, vt Ordinarius loci, ad quem regularis delinquens transmissus fuerit, super præmissis ab ipso Ordinario loci, in quo deliquit, similiter requisitus, vel aliàs de illius delicto informatus, vt præfertur, tanquam Sedis Apost: delegatus, prædictum Concilij decretum omnino exequi, & in regularem delinquentem seuerè animaduertere possit, & debeat. Decernentes

sic

sic, & non aliter per quoscunque Iudices, & Commissarios quauis auctoritate fungentes, eiusdem Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & causarum Palatij Apostolici Auditores, sublatâ eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate; vbique iudicari, & diffiniri debere: irritum quoque, & inane, quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstant. &c.

QVÆSTIONES.

1 *An Religiosus, contra quem Episcopus procederet vigore supradictæ Bullæ, in §. 3. poterit exemptione ab Ordinariorum iurisdictione, forsan specialiter obtenta, se tueri?*

2. *Ista Constitutio in qua parte nouum ius contineat?*

3. *An Regularis, manens extra Claustrum de licentia sui superioris, si delinquat, possit ab Ordinario loci puniri?*

4. *Quid obseruetur in praxi ab Ordinarijs locorum, cum Regularibus degentibus intra Claustra, qui inueniuntur extra Claustra notoriè delinquentes cum populi scandalo?*

5. *An qualitas, quòd Regularis extra claustra degens, notoriè, & scandalosè deliquerit, sit probanda, vt Episcopus obtineat in illum iurisdictionem virtute Concilij?*

6. *An Regularis, qui iniuriam infert Episcopo, vel Vicario iurisdictionem exercenti, & eius aures offendit in illo actu iurisdictionis, eam turbando, possit ab eodem Episcopo, vel Vicario puniri, sine remissione ad suum superiorem?*

7. *Quomodo Episcopi aliquando appellentur Ordinarij, aliquando Diœcesani: & an iurisdictio illorum sit fundata in iure communi?*

8. *An Regularium priuilegia perdantur, si illi irregulariter viuunt, & quid, si ob non vsum?*

9. *An exempti ab Ordinarijs, & suppositi Conseruatoribus, possint Ordinariorum iurisdictioni se submittere?*

10. *An Episcopus punire possit Regulares, discedentes à suis conuentibus, sine licentia suorum superiorum cum prætextu ad superiores accedendi?*

11. An Episcopus possit impedire mendicantes, quærentes per ciuitatem, & Diœcesim, eleemosynas superfluas?

12. An Religiosi committentes fraudem circa exemptiones sibi concessas, & quomodo, puniantur?

13. An ad dictam pœnam consequendam, satis sit probare contrauentionẽ d. Clem. vel etiam probandum sit, quod dolo sit contrauẽtum?

Ad primum. *Resp. non, quia Episcopi contra huiusmodi Religiosos procedunt uti delegati à Sede Apost.* & Rota sic voluit in decis. Seraph. in vna Salmantina iurisdictionis. 14. Decembris.

Ad secundum. *Resp. in ea, in qua superiores onerat ad reuocandum delinquentem ad locum delicti sub grauioribus pœnis, quàm à d. Conc. inflictis, & in ea, in qua easdem infligit eisdem negligentibus eorũ Regulares coercere, vt ex lectura Conc & huius Bullæ verbis liquet.*

Ad tertium. *Regularis manens extra Claustrum de licentia superioris, etiam in domo destinata ad erectionem Monasterij, nisi in dicta domo sit regularis obseruantia, vt saltem viuat sub superiore conuentualiter, potest puniri à loci Ordinario;* ita declarauit sacra Congreg. Conc. Trid. & ita tenet Rubin. decis: 15. & Piccard. cons. 91. *non obstat quòd qui de licentia sui superioris abest à Claustro, censetur residere in Claustro.* argu. text. in l. quæsitum §. 1. ff. de leg. 3. & in l. feriæ. ff. de fund. iurisd. *quia respondetur id procedere extra casum delicti, vt per* Rub. loco cit. *& ratio est, quia tunc est acquisitum ius Ordinario loci, & consequenter tolli non potest per licentiam superioris.*

Ad quartum. *Obseruatur in Ordinariorum locorum Curijs, quòd Regulares degentes in Claustris, qui inueniuntur in domibus meretricum, vel aliàs notoriè delinquunt cum populi scandalo, iuxta d.* Con: 14. sess. 25. de reg. *carcerantur per eorum officiales, & non remittuntur ad suos superiores, antequam capiatur informatio delicti; & postea remittuntur cum copia actorum, præfixo termino superioribus regularibus ad docendum de punitione intra viginti dies vel mensem; Conari tamen debet loci Ordinarius, quàmprimum informationem capere, & quàm citius poterit remittere eodem die, quo fuerunt capti, vel sequenti: & ita practicatur Neapol. in Metrop. Curia, vt testatur*

statur Genuensis, in eius praxi cap. 59. n. 3. *Nec videtur alienum, quòd illos detineat, nec remittat ante captam informationem: siquidem, cùm possit eos punire in defectu superiorum d. c. 14. & proinde capere informationem. Si enim Ordinarius Regularem statim captum illicò remitteret ad superiorem absque informatione, faciliter testes possent seduci, & informatio destrui, operà delinquentis, vel aliorum, vt experientia docet: nec posset puniri Regularis, nec à suo superiore, nec ab Episcopo: & clarum est concessa iurisdictione intelligi concessa omnia necessaria.* ad c. præterea. de off. deleg. l. 2. ff. de iurisd. omn. iudic.

Si autem Episcopus differret capere informationem, & Regularem petentem nollet remittere, vt ipsum vexaret carceribus; crederem non euitare excommunicationem, tanquam detinentem carceratum regularem in casibus non permissis à iure. iuxta Gloss. in Clemen. frequens. in verbo, capiunt. de excess. Prælatorum. & ibi hoc notat Abbas.

Ad quintum. *R. Verior opinio est, quòd quando ex certa qualitate fundatur iurisdictio alicuius, satis sit huiusmodi qualitatem allegare, & narrare, etiam si negetur per aduersarium; dummodò de falsitate non euidenter constet: sufficit enim, quantùm ad fundandam iudicis iurisdictionem, narrare qualitatem, quæ si vera non esset, non excluderetur iurisdictio.* per tex. in l. cum quædam §. quoties. ff. de iurisd. omn. Iud. *vbi quoad iurisdictionis fundamentum, attenditur summa, quæ petitur, non quæ debetur:* ita Riccius in praxi Rerum fori Ecclesiastici, Decis. DCI.

Ad sextum. *Videtur sic dicendum de iure:* text. in l. nullum. C. de testib. *vbi aliàs exemptus punitur propter offensas aures. Item delegatus potest punire extraneas personas, delinquentes in eius personam, si per hoc contingat suam iurisdictionem turbari.* Innoc. Ant. in cap. dilectus. de pœnis. Abb. in c. 1. de off. delegat. *Item concessa iurisdictione, censentur concessa omnia, sine quibus exerceri non potest.* l. 2. ff. de iurisd. omn. iud. cap. præterea de offi. delegat.

Ad septimum. *R. quia in verbo (Ordinarius) includuntur quæ sunt ordinis, & quæ sunt iurisdictionis: in verbo autem (Episcopus) includuntur, quæ sunt ordinis tantùm; & sic non comprehenditur electus ante consecrationem; & in verbo (Diœcesanus) includuntur, quæ potestatis seu dignitatis sunt, vt per iura, quæ allegat, & scribit* Butr. consi. 19. n. 3, cùm igitur. *Et iurisdictio Ordinariorum est fundata in iure communi.* cap. omnes Basilicæ. 16. q. 7. cap. cum personæ. de priuileg. in 6. *super omnes de Diœcesi, exceptis exemptis.* cap. sanè, & ibi Glos. de excess. Prælat.

Ad octauum. *R. in foro conscientiæ perduntur; secus verò in exteriori: vt latè deducit* Rod: *qui alios citat* tom. 1. quæst. regularium. q. 9. ar. 10. & Cherubin. in compend. Bullar. in constit. Pij V. & si Mendicantium. in fin. *Perduntur autem priuilegia per non vsum, seu contrarium vsum; aut per præscriptionem tolluntur, vt clarè patet ex clausula, quæ apponitur à Summis Pontif. in confirmationibus priuilegiorum regularium sub his verbis: quatenus sint in vsu, & sacris Canonibus, & decret. sacri Conc. Trid. non aduersentur.*

Ad nonum. *R. Poterunt, sed sibi, & non alijs præiudicant.* Ferret. consi. 102. lib. 1. n. 18. Cor. consi. 214. lib. 2. n. 8. Rot. in decis. Seraph. 595. n. 7. *vbi subdit, secus de exemptis, & Sedi Apost. immediatè subiectis.*

Ad decimum. *R. quòd sic: quia non licet Regularibus à suis Conuentibus recedere, etiam prætextu ad superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint. Qui verò sine prædicto mandato, in scripto obtento, repertus fuerit, ab Ordinarijs locorum, tanquam desertor sui instituti, puniatur.*

Ad vndecimum. *Regulares possunt petere eleemosynas absque licentia Ordinarij, si ad id faciendum à Sede Apostolica habeant indultum: sed superfluas eleemosynas petere non possunt. Neapoli vidi quòd aliquando Vicarius Neapolitanus impediuit mendicantes, quærentes per ciuitatem eleemosynas superfluas, vt quia in vno conuentu aderat vnus, vel duo fratres ad summum; & mittebant quatuor, vel quinque quæstores per ciuitatem, sine necessitate, auferendo eleemosy-*

nas verè indigentibus, de quo multi fratres fuerunt conquesti in Vrbe: & fuit rescriptum Vicario, quòd prædicta faceret cum benignitate, non tamen fuit prohibitum; & sic Vicarius omnes licentias quærendi eleemosynas, quas dicti fratres à suis superioribus obtinebant, subscribebnt, ad finem, vt cognosceret illos, qui quærebant eleemosynas, & quærentes sine licentia subscripta ab ipso Vicario carcerabat: nam aliàs mendicantes impediri non possunt, vt in compendio priuilegiorum mendicantium, in verbo (eleemosynæ.) pro tali obseruantia facit, quod mendicantes sine necessitate grauiter delinquunt; cùm panem verè indigentibus auferant. cap. Pastor. 2. q. 1. Ripa de pest. remedio præseruatiuo. num. 169. *& hac ratione prohibetur in iure* l. vnica. de mendicantibus validis. lib. 11. & ibi Lucas de Penna; *Et de ciuitate esse expellendos dicit* Ripa vbi supra. Imol. in cap. Odoardus. de solution. *sed Episcopi sunt Patres, & Protectores pauperum, quos defendere debent*, dist. 87. per totum. cap. super quibusdam. de verbor. significat. c. 1. 82. distin. *vbi dicitur, quod Episcopi (quantum est eis possibile) tenentur prouidere necessitatibus pauperum. facit* cap. 8. sess. 22. de reform. Conc. Trid. *& proinde tanquam Patres, & defensores pauperum, quorum victus aufertur, & ad obuiandum delicto, possunt Episcopi tales mendicantes sine necessitate, impedire: nec eorum priuilegium de mendicando, est intelligendum cum fraude, & præiudicio aliorum:* l. 2. §. meritò. & §. si quis à Principe. ff. ne quid in loco publico.

Ad duodecimum. *R. Clemens Quintus in* Clement. 1. de decimis. *Religiosis fraudem committentibus pœnas imponit, vt in* dicta Clement. *vbi scribentes vberrimè de hoc agunt.*

Ad decimum tertium. *R. satis est probatus actus absque probatione doli, cum Religiosi habeant contra se ius commune.* cap. ad decim. cum ibi notat. de restit. spoliat. *& hoc dummodò nisi aliqua rationabilis præsumptio per Religiosos deducatur, vt aduertit* Bellam. in repetit. dictæ Clement. num. 206. & Zabarel. ibidem, num. 3.

BVLLA FEL. RECORD. CLEM. VIII.

in qua statuitur, quòd in crimine Assaßinij, contra personas Ecclesiasticas, declaratio spectet ad Iudicem Ecclesiasticum: & contra Milites, aliasque personas Conuentuum, & Hospitalis S. Io. Hierosolymitani, pertineat ad eorum Superiores, adiuncto Episcopo loci, antequam Iudices seculares aliquam declaratoriam desuper ferant, vel ad pœnarum executionem deueniant.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

AEqua, & circumspecta Romani Pontificis prouidentia, inter cætera quæ ei diuinitùs incumbunt onera, illud etiam solicitè prospicere, & cauere debet, ne seculares Iudices in personas Ecclesiasticas, & præsertim Hospitalis S. Io. Hierosolymitani, pro fidei Catholicæ aduersus Christiani nominis hostes defensione assiduè laborantes, sub prætextu criminis Assassinij, vltra quàm deceat, manus extendant.

2. Propterea Nos, pro Pastoralis Officij nostri munere, his malis, atque incommodis, quæ de cætero euenire possent, opportuna ratione obuiare volentes, & vt Milites Religiosi, ac personæ Hospitalis prædicti, in suis immunitatibus, & priuilegijs, vt par est, conseruentur illæsi, Motu proprio, non ad ipsius Religionis, aut alicuius pro ea nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine.

3. Hac nostra, perpetuis futuris temporibus valiturâ, constitutione decernimus, declarationem criminis Assassinij ad Iudicem Ecclesiasticum omnino pertinere.

4. Ideoque omnibus, & singulis, quarumcunque Ciuitatum, Prouinciarum, Terrarum, Regnorum, & Dominiorum Curijs, Tribunalibus, Magistratibus, necnon Gubernatoribus, Potestatibus, Officialibus, & Ministris, cæterisque personis quacunque etiam Regali, Imperiali, &

alia auctoritate & potestate fungentibus & functuris, auctoritate Apostolica tenore præsentium districtè prohibemus, atque interdicimus, ne sub excommunicationis maioris latæ sententiæ, à qua non nisi à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo constituti absolui queant, alijsque pœnis nostro, & successorum nostrorum pro tempore existentium arbitrio infligendis, & per quemcunque eorum ipso facto & ipso iure sine aliqua declaratione incurrendis, audeant vel quoquo modo præsumant, ex nunc de cætero in perpetuum contra aliquos dicti Hospitalis Fratres, Milites, ac Religiosos, donatos, familiares, seruitores, necnon Presbyteros seculares eorum Ecclesijs inseruientes, dum eis inseruiunt, & alias quasuis personas dicti Hospitalis, declaratoriam aliquam sententiam ferre, quòd Assassinij crimen commiserint: neq; ad pœnarum executionem deuenire, nisi priùs per Superiores eorum, adiuncto sibi loci Episcopo, declaratum fuerit eos tale Assassinium commisisse: non obstante quauis etiam antiquissima & immemorabili consuetudine in contrarium forsan quomodolibet vigente.

5. Decernentes quoque sic in præmissis omnibus per quoscunque Iudices & Commissarios, Ecclesiasticos & seculares, quauis etiam Imperiali, Regia, Ducali, aut alia auctoritate & potestate fungentes & functuros, sublatâ eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & definiri debere, ac irritum & inane quicquid secus super his à quoquam, quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

6. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis constitutionibus & ordinationibus Apost. etiam in corpore iuris clausis, necnon statutis, legibus, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apost: quibusuis, huiusmodi curijs, Tribunalibus, Magistratibus, & alijs supradictis, eorumque Iudicibus, ac alijs Superioribus, & personis, sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis in contrarium forsan quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumq; totis tenoribus, specialis, specifica & indiuidua mentio facienda esset, illarū huiusmodi tenores præsentibus pro plenè & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, latissimè hac vice specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque.

7. Volumus autem quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Eccle-

siastica

siastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 18. Decemb. 595. Pontificatûs Nostri Anno quarto.

QVÆSTIONES.

1. Quæ fuerit potissima causa huius Pontificiæ Constitutionis?

2. Quid sentiebant Doctores ante hanc Pontificiam declarationem?

3. Quinam dicantur Assaßini, & quid, si occisus non sit Christianus?

4. An Assaßini hodie reperiantur in illo genere, de quo disponitur in cap. 1. de homicidio, in 6?

5. Quid si ad suam vindicandam iniuriam, suis manibus Petrus aliquem interficiat, & pecuniâ mediante aliquot alios ad sibi auxiliandum inducit, erit ne patratum crimen Assassinij?

6. Quomodo constare debeat, si pecunia pro homicidio fuerit data?

7. An mandans, & mandatarius probari debeant, si detur corpus Assassinij?

8. An Assassinij crimen detur, si mandans interfuerit homicidio?

9. An Assassinium probetur, etiamsi interuenerit promissio pecuniæ, & etiam si fuerit facta sine aliqua scriptura?

10. An Assassinium inducatur, si committatur homicidium pro complacentia alicuius?

11. An Assassinium inducatur per simplicem pollicitationem, & an requiratur mutua promissio, & obligatio?

12. An vt inducatur Assassinium, requiratur, vt promissio fuerit acceptata, & etiam promissio certa?

13. An vt inducatur Assassinium in non subiecto, requiratur datio, vel promissio, & quidem in filio, vel alio subiecto, non cadat Assassinium?

14. An promissio facta pro expensis, damnis, interesse pro homicidio committendo, inducat Assassinium?

15. An probetur Assassinium per indicia, & coniecturas?

16. An processus factus contra personam Ecclesiasticam coram Iudice laico, probet?

17. *An Confessio facta per Clericum coram Iudice laico, sufficiat ad condemnandum, etiamsi sponte confessus fuerit?*

18. *Testes examinati per Iudicem incompetentem, an possint se referre ad primũ examen, vel potius teneantur deponere per extensum.*

19. *An processus informatiuus Iudicis laici saltem sufficiat ad examinandum Ecclesiasticum, coram Iudice Ecclesiastico.*

20. *An Episcopi possint stare processui fabricato per Curiam secularem super qualitate Assassinij, & similibus, vt in Bulla Greg. XIV. ad effectum remittendi ad ipsam Curiam secularem delinquentes.*

Ad primum, *R. Ne Iudices seculares in personas Ecclesiasticas, vltra quam deceat, manus extendant, prætextu criminis Assassinij, vtque Milites Religiosi suis priuilegijs perfruantur.*

Ad secundum, *R. Aliqui voluerunt hanc declarationem spectare ad Iudicem secularem, quos refert* Clar. q. 36. n. 31. *sed contrariam opinionem veriorem fatetur de iure* Clar. ibidem, *eamque probant* Ignat. Lopez. in addit. ad Diaz in pract. Canon. crimin. cap. 101. *secundum postremam impressionem* in littera B. verſ. Notabis, Farinac. quæſt. 123. n. 68. & Scaccia in ſuo tractat. de Iudic. lib. 1. cap. 11. n. 70. poſt Card. Alban. quem allegant, in conſ. 51.

Ad tertium, *R. Communis, & à consuetudine approbata est opinio, quòd indistinctè, & generaliter dicuntur Assassini omnes, qui præmio homines occidunt, seu occidere faciunt; sicuti senserunt plures relati per* Plar. cap. 19. poſt n. 2. verſ. plerique tamen. Boſſ. in tit. de manda. ad homicidium n. 16. Clar. in pract. §. Aſſaſſinium. in princ. Brun. à Sole, d. q. 34. n. 5. & 6. & poſt num. 8. iuncto n. 19. & ſeq. & n. 25. poſt med. Decian. in tract. crim. tom. 1. lib. 4 c. 9. n. 79. & ſeq. fol. 161 *Tamen si occisus non fuerit Christianus, tunc non dicitur propriè commissum Assassinium, nec locum habet dispositio tex. nostri in c. pro humani, secundum communem Doctorum opinionem, de qua per* Boſſ. in tit. de mand. ad homicid. n. 22. Couar. variarum reſol. c. 20 n. 10. verſ. hinc apparet. fol. 669. Petr. à Plaz. d. c. 19. n. 29. Clar. in d. §. Aſſaſſinium in princ. Maſcard. de

 probat.

probat. lib. 1. conclus. 138 n 13. Peguer. decis. crim. 5. n. 19. ad med. *& ab hac communi non crederem esse recedendum in iudicando, quamuis de ea non sine probabili ratione dubitari iudicetur*. Brunon. à sole d. q. 34 n. 23. & 24.

Ad quartum, *R. Assassini hodie non reperiuntur in illo genere, in quo disponitur in* c. 1. de hom. lib. 6. *quia illi erant soli, & quidam Pagani, seu saraceni, seu Agareni, sub ditione vel vassalli cuiusdam domini, qui sibi persuadebant esse opus notabile, & heroicum, interficere aliquem, quem suus dominus iuberet, quomodocunque, & quacunque causa ille imperaret, imò non esse omittendum id, quamuis opus esset interfici*. Nauar. c. 27. n. 135. Syluest. in verb. Assassinus, n. 1. Ang. eo verb. initio. Arm. l. in eo verb. & in verb. excommunicatio, c. 67. Glos. in d. c. 1. in verb. formidantem. *Hinc fit hodie, non incurri pœnas impositas in illo c. nisi pœnas temporales, prout narratur in d. tex. Ista est communis sententia.* Couar. lib. 2. c. 20. n. 9. ver. 1. 2. & 3. var. resolut. sylu. loc. cit. n. 2. §. 1. Nauar. loc. cit. Capyc. decis. 112. & 155. n. 22. & 25. *quidquid dicant* Angel: loc. cit. & Diaz: in pract. crim. can. c. 91. *nisi intelligant Assassinum in proprio significato*, vt sup. & Aegid. Bos. in tit. de mand. ad homic. n. 16. Aret. cons. 164. col. 16. Ioan. Andr. & Arch. in illo cap. *& hoc nomen Assassinum non reperitur expressum in iure ciuili, cùm non sit nomen artis, sed per æquipollens fit mentio de eo* l. non solum §. si mandato ff. de iniur. Bald. l. non ideo minus, C. de accusat. vide Gom. in d. cap. & Ioan. And. in c. pen. de Cler. non resid.

Ad quintum, *R. Non, quia Assassinus ille est, qui præmio aliquem interficit, vel interfici mandat*. Clar. in §. Assassinum, in princ. & Vinc. de Franc. decis. 167. n. 3. *Petrus autem non corruptus pecunia deliquit, nec præmio homicidium ab eis fieri mandauit, vt præclarè scribit* Gabr. cons. 170. lib. 1. n. 7. & 13. *quem emendat, & ei alios cumulat* Farinac. quæst. 123. num. 148.

Ad sextum, *Resp. In isto crimine, Assassinij dicitur constare de illius corpore, quando probatur, quòd aliquis accepta pecunia ab ali-*

quo, mediante mandato, alterum occidit. Cap. pro humani, de homicid. in sexto, *qui tex. licet videatur loqui de mandante, tamen communiter receptum est, vt habeat etiam locum in mandatario.* Ant. Gomez. tit. de delict. c. 3. n. 10. *vbi de communi.* Pet. à Planch. Epit. delict. lib. 1. c. 10. n. 2. seqq. *vbi de recepta sententia* Ant. Gabr. lib. 7. concl. 1. n. 1. & 32. Decian. in tractat. crim. lib. 6. c. 28. n. 18. *cum alijs congestis per* Modern. Rom. quæst. 123. n. 1. *& Assassinium dicitur homicidium ex proposito factum ab vno, & ab altero mandatum precio, siue pecunia, vel alia re data, vel promissa.* Caualc. de Brach. reg. part. 1. n. 76. *Et oportet, vt probentur mandans, & mandatarius, aliàs non diceretur constare de corpore Assassinij, latè* Eugen: cons. 76. n. 135. *vbi subdit, quòd si quis occidit aliquem sub spe successionis, non erit Assassiniũ, prout si quis occidat aliquem in strata publica, & illum derobet; non erit Assassinium, sed homicidium cum furto,* Boss. de tit. de foro compecen. num. 142. Caualc. d. part. 1. num. 78.

Ad septimum, *Resp. Debet probari absentia mandantis, quia si fuerit commissum homicidium eo præsente, etiam pecunia interueniente, non daretur Assassinium, vt post alios, quos allegat, & firmat* Bertarzol cons. 143. n. 13. volumine primo, Hier Gabriel. cons. 170. in 1. dub. vol. 1 Andr: Fachin: cons. 83. num. 10. lib. 3.

Ad octauum, *R. Constaret de Assassinio, si probaretur promissio pecuniæ.* Salic. in l. non ideo minus n. 36. C. de accusat. Carrer. in praxi crimin. tit. de homicid. §. circa tertium, in princ. vbi de comm. Flamin Paris. de confident. q. 32. n. 49. *vbi etiam de communi Ant.* Gabriel. lib. 7. de crim. conclus. 1. n. 1. & seqq. *vbi de comm idem.* Paris. de confid. q. 66. n. 24. *etiam si promißio fuerit facta sine scriptura, vel alia cautela.* Gram: vot: 9. n. 2 Iodoc: in pract: crim: c. 83. Rub: de Assas: num. 2. Mascar: de probat: concl: 138. n. 1. in prima ampliat. lib. 2. Ant: Gabr: concl. 1. n. 3. lib. 7. *cum alijs allegatis per* Modern: Roman: quæst: 123. n. 36. seq. *& ita etiam disponitur hîc in Curia per bannimenta edita de* anno 1591. capit. 36.

Ad nonum, *Resp. Qui verò non sub spe præmij, sed vt alicui complaceat, aliquem interficiat, licet aliqui voluerint, quòd dicatur committi crimen Assassinij, & probata complacentia dicatur consta e de Assassinio.* Decia: in tract: crim: lib. 9. c. 30. n. 16. Viu: opin: 74. sub n. 1. *Addentes ad* Iul: Clar: in §. Assassinium in littera N. *cum alijs adductis per* Mod: Roman: quæst: 23 n. 38. *Tamen veritas est, quòd etiamsi probaretur dicta complacentia, non diceretur probatum corpus Assassinij.* Hier: Gabr: cons: 170. n. 15. & seqq. lib. 1. *vbi late, & ibi reddit bonas rationes, & concordantes adducit* Viu: opin: 14. sub: num. 1. vers: 3. quòd Assassinij. *latè* Honded: cons: 93. num. 97. & sequen: volumine 2. *vbi relatis contrarijs hanc opinionem tuetur.* Moder: Rom: cons: 10. n. 6. *vbi de communi.*

Ad decimum, *Resp. Nec si probaretur simplex pollicitatio, diceretur constare de corpore Assassinij, nisi probetur tractatus.* Gram: voc: 11. n. 19. Riminald: iun: cons: 685. n. 12. & seq. volum: 6. Honded: cons: 93. n. 66. vol: 2. *vbi de communi, latissimè* Modern: Rom: cons: 10. n. 4. *vbi de communi, & ibi refert: quòd Doctores volunt, vt interueniat contractus mutuæ voluntatis, vt si contractus fuisset licitus, potuisset cogi ad soluendum.*

Ad vndecimum, *Resp. Requiritur, vt promissio sit acceptata, Doct. cumulati per* Add: ad Modern: Roman: in cons: 5. in littera K. versiculo, limitatur tamen, *& latissimè ipse* Modern: Roman: cons: 10. n 4. *& ibi testatur de communi: nec in hoc sufficeret dicere, quòd præsumatur acceptasse oblationem, vti sibi fauorabilem, sed requiritur, vt dicta acceptatio expresse probetur, vt latè etiam declarat* Rim: Iun: cons: 685. num: 14. seq. vol: 6.

Ad duodecimum. *Resp. Debet probari promissio certa, quia non sufficeret, si esset generalis.* Riminald: Iun: cons: 685. n. 22. volum: 2. *latè.* Eugen: cons: 76. n. 148. lib. 1. & Hond: cons: 193. n. 66. vers: asserentes, & n. 88. vers: nam si promissio generalis, *vbi de communi: & alios adducit* vol: 1. *sed pro isto artic. vide Doct: adductos per addentes ad* Moder: Rom: in cons: 5. in lit: K. vers: limitatur 2.

Ad decimum tertium, *Resp. Doctores videntur distinguere, quòd in non subiecto præfata omnia requirantur, sed in filio, vel alio subiecto non requiritur datio, vel promissio, vt latè declarat* Rim: Iun: d. conf: 685. n. 2. volum: 6. *vbi concordantes allegat* Hond: conf: 93. n. 68. verf. folum quidem, volumine 2. *qui etiã concordantes cumulauit, sed benè dicunt, quòd deinde in subiecto non cadat qualitas Assassinij, latè* Mafcard: de prob: conclus: 138. num: 15. vol: 1.

Ad decimum quartum, *R. Nec minus, si probaretur, quòd fuerit aliquid promissum pro expensis in delicto committendo, vel si delictum committeret, faceret ipsum à Curia liberari, vel soluet quicquid opus erit, pro liberatione obtinenda, vel si aliquid sibi fuit largitum pro reditu ad locum, vnde venerat ad delictum committendum, diceretur probatum Assassinium* Eugen: conf: 86. num: 139. *vbi alios concordantes allegat, nec si aliquid sibi fuerit commodatum, vel mutuò datum.* Mod: Rom: conf: 10. n. 5. *& multa alia, si fuerint probata in isto crimine, adhuc non diceretur constare de Assassinio, quæ cumulauit* Moder: Rom: in q. 123. n. 19. cum multis feqq.

Ad decimum quintum, *R. Videntur concludere Doctores, quòd in isto crimine Assassinij ad illud probandum sufficiant præsumptiones, coniecturæ, & argumenta, vt apertè legitur in* capitulo pro humani, de homicid. in 6. *vbi omnes Doctores.* Gram. vot. 18. n. 6. Carrer. in pract. crim. in 3. tract. de homicid. & Assas. §. circa igitur. num. 29. in fine Mafcard. de probat. conclus. 137. n. 1. vol: 1. *vbi de communi,* Decian. in tractat. crim. par. 2. lib. 9. c. 30. tit. de mand. puer. interced.

Ad decimum fextum, *R. Ista indicia, ac probabilia argumenta in isto crimine ad effectum condemnandi in pœnam ordinariam interpretantur, vt sint iudicia indubitata, secundum veriorem, & communem opinionem attestandam per* Moder: Rom. in dicta quæst. 86. n. 43. & n. 48. *vbi licet referat alios contrarium sentientes, vt non requirantur indicia indubitata, & quòd dicta probabilia argumenta non interpretentur in iudicijs indubitatis, tamen ipse residet cum opi-*

nione suprà firmata, cui ego etiam toto pectore assentio & Carrer. vbi supra *etiam dicit, quòd dicta opinio, vt sufficiant probabilia argumenta, procedat coram Iudice Ecclesiastico, secus coram Iudice seculari, ad effectum puniendi, & quòd contrarium obseruare, alijs non concurrentibus, periculosum esset, & idem post alios, quos allegat, sequitur* Moder. Rom. dicta quæst. 123. num. 47.

Ad decimum septimum, *R. processus coram Iudice Ecclesiastico contra Clericum exhibito nihil probat, quia fuit fabricatus à Iudice laico, & ideo Iudex Ecclesiast. ei stare non debet, sed denuò testes examinare, & assumere informationes* Iul. Clar. quæst. 36. num. 44. Grammat. consil. 42. num. 2. Viui. commun. opin. in verb. Iudex laicus, Farinac. consil. 77. num. 1. *qui omnes testantur de communi*, Alex. Ambros. in tract. de immunit. Eccles. cap. 11. num. 3. *vbi alios allegat, & non valet, neque in negotio principali, neque in pœnam contumaciæ ob non comparitionem*, Aufred: de Capell: Tolos: decis: 165. num: 1. *nec si factus fuerit processus per Iudicem, vel Rectorem laicum contra scholarem Clericum*, Aufred: decis: 168. n. 3. ad Capell: Tholos.

Ad decimum octauum, *Resp: Confessio facta coram Iudice seculari, non operabitur, vt ex ea possit condemnari*, cap. Ad si Clerici, in princ: de Iudic: Ant: de Butr: 161. n. 3. & n. 28. Anan: n. 2. Abb: n. 2. Villalob: communi: opin: in littera: C. num: 142. vbi de communi: Farinacc: tit. de reo confess: & conuict: quæst: 81. cap: 6. n. 193. *etiamsi sponte confessus fuerit*: Doct: in d. cap: At si Clerici, *& præcipuè* Hostiens: n. 1. in fin. Bellarm: n. 15. Anchar. n. 7. Farinacc: dicto cap. 6. quæst. 81. n. 196.

Ad decimum nonum, *Resp. Videtur dicendum, quòd debet ita per extensum deponere, vt nulla ratio haberi debeat de primo examine propter præsumptionem, quæ resultat contra illum, qui recepit primum examen nullum, ex eo, quòd errauit in suo officio, vt tradit decisio* Auenionen: 91. n. 5. per l. 3. §. quia potest ff. de suspect. Tut: *idemque erit in examine recepto metu excom:* Houit: in Sylu: nupt. in verb. monitoriè. num. 6. Rip. in tract. de remed. ad curand.

pest,

pest. num. 128. dicta Decis. Auenionen: 91. num. 5. vers. vnde, *vbi tamen subdit, & si sequatur in testibus variatio cum reuelatione facta metu excommunicat. erit nullius momenti, neque considerabilis, cùm illa prima reuelatio nullam fidem faciat.*

Ad vigesimum, *R. Vigore dicti processus fabricati per Iudicem laicum, Clericus potest examinari super delicto per Iudicem Ecclesiasticum.* Praxis. Archiep: Neapolit: c. 6. per totum, *de quo valdè vidi dubitare in vrbe Romæ, cùm ille processus coram Iudice laico nullam fidem probatoriam faciat, nam constare debet coram Iudice Ecclesiastico per probationes per eum desumptas super qualitate Assassinij, & similium. Si producatur processus etiam cum sententia contra delinquentem fabricatus per Iudicem secularem, Iudex Ecclesiasticus non potest stare dicto processui, & sententiæ ad effectum remittendi, & consignandi delinquentem ipsi Curiæ seculari, sed tenetur ipse Iudex Ecclesiasticus nouas desumere probationes, cùm ille processus Iudicis laici nullam fidem probatoriam faciat, & hæc valde stringunt pro decisione istius dubij: sed quia aliquando delictum est antiquum, vel fuit commissum in longinquis partibus, & adeò est occultum, vt forsan denuò probari non possit coram Iudice Ecclesiastico, & ne tàm grauia crimina impunita remaneant, Episcopi solent benè percunctari processum, informationes, testium depositiones, sententiam, & alias circumstantias, & qualitates resultantes ex processu fabricato per Iudicem laicum, & coram dicto Iudice Ecclesiastico reproducto, ac habitis informationibus extraiudicialibus de qualitate proditionis, Assassinij, & similium, ea omnia scribere Eminentissimis DD. Cardinalibus sacræ Congregat: super Episcopis, & ab eis obtinere aliquando, vt delinquens tradatur Curiæ seculari, & licèt ex illis verbis (iudicio tuo) in Bulla appositis, posset dici Episcopos potuisse talem delinquentem remittere, & fidem adhibere processui Curiæ secularis, & alijs informationibus extraiudicialibus, tamen omnino arbitror, quòd Episcopi nihil ex se facere debeant, sed benè dictam sacram Congregationem consulere, & ab ea resolutionem reportare, quia ille processus factus coram Iudice laico, & reproducto coram Iudice Ecclesiastico, sufficiat*

ad instructionem Iudicis Ecclesiastici, & ex eo possit examini subijcere Clericum, vt latè tuetur Prax. Archiep: Neapol: cap: 6. per totum, *vbi respondet ad contraria, & asserit ita vigere consuetudinem in illa Curia Archiep*: & sub num: 4. in fin: *testatur de veriori opinione, vt sufficiat ad instructionem Iudicis.*

DECRET: FEL: RECORD: CLEM: VIII.

prohibens Litaniarum vsum, præter in Breuiarijs, Missalibus, Pontificalibus, & Ritualibus, contentas, & Litanias de Beata Virgine in sacrâ æde Lauretana decantari solitas, aut à sacrâ Congregatione Rituum approbatas. Contrauenientes, præter peccatum, arbitrio ordinarij, & Inquisitoris seuerè coërceri iubet.

QVoniam multi hoc tempore priuati etiam homines prætextu alienæ deuotionis, nouas quotidie Litanias euulgant, vt iam prope innumerabiles formæ Litaniarum circumferantur, & in nonnullis ineptæ sententiæ, in alijs (quod grauius est) periculosæ, & errorem sapientes inueniantur. Sanctiss: Dominus Noster Clemens Papa VIII. pro solicitudine sua prouidere volens, vt animarum deuotio, Deique, ac Sanctorum inuocatio, sine vllius detrimenti spiritualis periculo foueatur; præcipit, ac mandat, vt retentis antiquissimis, & communibus Litanijs, quæ in Breuiarijs, Missalibus, Pontificalibus, ac Ritualibus continentur, necnon Litanijs de Beata Virgine, quæ in Sacra Æde Lauretana decantari solent: quicunque alias Litanias edere, vel iam editis, in Ecclesijs, siue Oratorijs, siue Processionibus, vti voluerint, eas ad Congregationem Sacrorum Rituum recognoscendas, & si opus fuerit corrigendas mittere teneantur, neque sine licentia prædictæ Congregationis, eas in publicum edere, aut publicè recitare præsumant, sub pœnis (vltra peccatum) arbitrio Ordinarij, & Inquisitoris seuerè infligendis. Præsens decretum factum fuit in generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico in Monte Quirinali, coram prædicto Sanctissimo Domino Nostro, ac Il-

Illustrissimis & Reuerendissimis Dominis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, aduersus hæreticam prauitatem generalibus Inquisitorib: octauo Idus Septembris, Anno à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi MDCI.

Quintilianus Adrianus. Notarius.

QVÆSTIONES.

1. Litaniarum nomen vnde sumptum?

2. Quid est, quod fertur de Litanijs maioribus?

Ad primum, *Resp. à verbo Græco* λιτανεύειν, *quod est supplicare & vota suscipere.* cap. 3. vbi glos: & G. Communiter. de Consecr: dist: 3. *quibus supplicationibus, & Litanijs S. R. E. per vniuersum orbem, & quibuscunque Temporibus vti consueuit, ad rogandum Deum, vt etiam intercessione Sanctorum, non solum à peccatorū nexu, sed ab alijs calamitatibus, pestilentijs, seditionibus, bellis, alijsque huius generis malis liberet, vt notissimum est.*

Ad secundum, *Resp. Litania maior fit in festo S. Marci, die 25. Aprilis, alia minor fit Tribus diebus ante Ascensionem Domini; illa vocatur maior, quia à B. Gregorio Magno instituta, vel potius innouata fuit, ad euitationem maximi (qui tunc irrepserat) morbi in vrbe, quæ mundi caput est: ista verò minor instituta fuit à Beato Mammerto Episcopo Viennensi, ob maximam pestem ferarum, quæ in Gallijs homines perimebant, vt scribit* Turrecrem: in d. cap. 3. de Consecrat: dist. 3. num. 16. Baron. in Martyrolog: dicta die 25. Aprilis, & Grammam: disceptat: forens: cap. 195. num. 29. *& prout etiam testatur* Cherubinus in Compendio Bullarij in supra dicta Bulla, fol. 133.

DECRETVM FEL: RECORD: CLEM: VIII.

in quo damnat, & prohibet propositionem, quæ dicitur licere per literas, seu internuncium, confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absolutionem obtinere; §. 1. prohibet hanc propositionem de cætero doceri, defendi, imprimi, aut ad praxim deduci, sub pœna excommunicationis, latæ sententiæ, & alijs pœnis arbitrio infligendis. §. 2.

SAnctissimus Dominus noster auditis Votis Patrum Theologorum, & re cum Illustrissimis, & Reuerendissimis Dominis Cardinalibus, contra hæreticam prauitatem generalibus Inquisitoribus, maturè ac diligenter considerata; hanc propositionem scilicet (licere per literas, seu internuncium confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere) ad minus vti falsam, temerariam, & scandolosam damnauit, ac prohibuit; præcipitque ne deinceps ista propositio, publicis, priuatisuè lectionibus, Concionibus, & congressibus doceatur, neue vnquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quouis modo deducatur; quòd si quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut de ea etiam disputatiuè tractauerit (nisi forsan impugnando) vel ad praxim directè, seu indirectè, deduxerit, præter excommunicationem latæ sententiæ, quam ipso facto incurrat, & à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacunque etiam dignitate fulgente, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ maiori Pœnitentiario, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolui, alijs etiam pœnis arbitrio infligendis subiaceat. Quintilianus Adrianus, Not. publicata fuit Romæ die 19. Iulij. 1602.

QVÆSTIONES.

1. *Quid si quis sit inter infideles, vel in carceribus secretis?*
2. *Quid si non per internuncium, sed per interpretem?*
3. *An possit infirmus pœnitens, tempore pestis, siue alio periculo mittere*

tere peccata sua Confessario, per litteras sigillatas, & Confessarius in his priuatim ea legere, & deinde in præsentia eiusdem Confessarij stans à longe, dicere se de his omnibus accusare, & Confessarius possit illum absoluere?

Ad primum, *Resp. Adhuc intrat prohibitio, quia Confessio est actus personalis, id est, fienda personaliter Sacerdoti. Præcepit enim Dominus mundandis, vt irent & ostenderent ora Sacerdotibus,* c. quem pœnitet. 88 de pœnit. dist. 1. vbi glos. allegat. tex. concord. *sufficit autem contritio Carcerato, vel apud infideles existenti, secundum veriorem, & magis communem opinionem, de qua testatur* Graff: lib. 1. suarum decisionum, parte prima, cap. 24. num. 31. & seq. & in Append: lib. 1. cap. 5. n. 3. *vbi vrgentes admodum rationes adducit.*

Ad secundum, *Resp. Valet Confessio, si fiat ex causa, vt si Confessarius non habet notam linguam confitentis, vel mutus alicuius muti, aut infirmi balbutientis: iste enim id agit cum Sacerdote, qui mediante interprete potest Confitentem diligenter examinare, quòd non est, si fiat Confessio per literas, vel etiam internuncium, vt ex* D. Thom: in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 4. *explicat* Graff: vbi supra, post scribb: in cap. quem pœnitet.

Ad tertium, *Resp. Potest infirmus pœnitens mittere sua peccata Confessario per literas sigillatas, & Confessarius in his priuatim ea legere; deinde in præsentia eiusdem Confessarij stans à longe audire, vel videre possit Sacerdotem absoluentem, ita* Nugnus in addit. quæst. 6. art. 3. diffic. secunda, Concl: 2. Pitinianus secunda parte, dist. 17. quæst. vnica, art. 8. Concl: 2. Bonacina disp. 5. de Sacramento, qu. 4. puncto 5. *& alij, dum de absoluendo moribundo.*

Ratio est, quia tàm absolutio, quàm Confessio censetur in præsentia pœnitentis, & Confessarij fieri, & nihil videtur desiderari ad valitudinem Confessionis, cùm pœnitens præsens se accuset integrè, & cum dolore, de omnibus peccatis, & Sacerdos præsentem absoluat, vnde nihil fit contra Constitutionem Clementis Octaui, de non absoluendo absente, aut per literas.

BVLLA FEL. RECORD. CLEM. VIII.

publicata Romæ 24. Decembris 1604. super modo, & forma per quoscunque Regulares ordines, Religiones, instituta seu Archiconfraternitates & Congregationes seculares, tam vrbis, quàm aliarum ciuitatum, & locorum, in Erectionibus, institutionibus, & aggregationibus Confraternitatum, & Congregationum, & Communicationibus Priuilegiorum, indulgentiarum, facultatum, aliarumque spiritualium gratiarum, & indultorum, eiusdem Confrat. & Congregationibus, faciendis, in posterum obseruanda.

CLEMENS PAPA VIII.

QVæcunque à Sede Apostolica ad promouendam Christi fideliũ salutem aliquando concessa sunt, & si ea maturo consilio, magnaque prudentia, & cautione sancita, & decreta sint, tamen cùm Romanus Pontifex de animarum salute sollicitus, progressu temporis animaduertit sensim aliquos abusus in eisdem statutis, & decretis obseruandis, prouenire; debet pro sui Pastoralis officij munere illis opportuna ratione occurrere, & quantùm cum Domino potest, adhibito salutari remedio prouidere. Cùm itaque à pluribus Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, & forsan etiam à nobis nonnullis Regularibus Ordinibus, Religionibus, & institutis, ac etiam Christi fidelium secularium Archiconfraternitatibus, & Congregationibus diuersarum nationum, nominum, & institutorum, tam in Alma Vrbe nostra, quàm in alijs Ciuitatibus, & locis Christiani Orbis institutis, facultas erigendi in eorum, & alijs Ecclesijs, & Collegijs, nec non etiam sibi aggregandi Confraternitates, & Congregationes in eadem Vrbe, & in alijs locis existentes, eisque priuilegia, Indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta sibi concessa, respectiuè communicandi attributa fuerit, ac nulla certa forma, vel ratio præscripta sit, quæ in huiusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus, & communicatio-

cationibus faciendis, seruari debeat; propterea siue negligentia Superiorum Ordinum, Religionum, & institutionum, vel Officialium Archiconfraternitatum, & Congregationum erigentium, instituentium, aggregantium, & communicantium, quæ Confraternitatibus & Congregationibus erigendis, instituendis & aggregandis, & quibus communicationes priuilegiorum, indulgentiarum, aliarumque gratiarum prædictarum fiunt, non seruant formam in huiusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus, & communicationibus seruari debitam; neque præscribunt modum, quo priuilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta prædicta consequi debeant, seu ipsarum Confraternitatum & Congregationum incuria, quæ non inquirunt ea, quæ præstare oportet, vt illa consequantur, nonnullæ prauæ consuetudines irrepserunt, multaque incommoda indè prouenerunt, quibus Nos pro commisso Nobis Apostolicæ solicitudinis officio, paternàque erga omnes Christi fideles charitate prospicere volentes, hac nostra Constitutione perpetuò valitura, decernimus, atque statuimus, vt in posterum tam huius Almæ Vrbis nostræ, quàm aliarum Ciuitatum, & locorum, totius Christiani Orbis Regularium, Ordinum, Religionum & Institutorum, quibus in eorum, & quibuscunque alijs Ecclesijs, & Collegijs, Confraternitates secularium erigendi, & instituendi, facultas concessa est: nec non etiam Archiconfraternitatum, & Congregationum cuiusuis nationis, nominis, & instituti illæ sint, & in quibuscunque Ecclesijs, Domibus, & Oratorijs, tam secularium, quàm, vt præfertur, quorumcunque, etiam Mendicantium, Ordinum, Religionum, & Institutionum Regularium, quauis tam Ordinaria, quàm Apostolica auctoritate erectæ, ac institutæ existant, seu aliàs quouis modo introductæ reperiantur, quibus aliàs Confraternitates, & Congregationes instituendi, erigendi, ac sibi aggregandi, illisque priuilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta prædicta elargiendi, & communicandi potestas à Romanis Pontificibus, Prædecessoribus nostris, vel à Nobis, & Apost. Sede attributa fuit, Magistri, Priores, Præpositi, Rectores, Gubernatores, Præceptores, Primicerij, Prælati, Custodes, Guardiani, Præfecti, Administratores, & alij Officiales seu Superiores quouis modo nuncupati, Regularium siquidem Ordinum, Religionum, & Institutorum, vnam tantùm Confraternitatem, & Congregationem, de consensu tamen Ordinarij loci, & cum literis eius testimonialibus, quibus Confraternitatis, & Congregationis erigendæ, & instituendæ pietas, &

 Chri-

Christianæ charitatis officia, quæ exercere cupit, apud eos commendentur, in eorum, & quibuscunque alijs Ecclesijs, & Collegijs erigere, & instituere, cæterarum verò Archiconfraternitatum, & Congregationum in singulis Ciuitatibus, Oppidis, vel locis, vnam etiam Confraternitatem, & Congregationem duntaxat, quæ Apostolica, vel Ordinaria auctoritate, priùs erecta, nulli alteri Ordini, Religioni, Instituto, Archiconfraternitati, & Congregationi eiusdem, vel alterius nationis, nominis, & instituti aggregata sit, præuio similiter loci Ordinarij consensu, & cum eius literis testimonialibus, quibus eiusdem Confraternitatis, & Congregationis aggregandæ institutum, pietas, & Christianæ charitatis officia, quæ exercere consueuit, apud eos commendetur, sibi adiungere, & aggregare possint: Huic verò Confraternitati, & Congregationi erigendæ, instituendæ, seu aggregandæ, ea tantum priuilegia, indulgentias, facultates, aliasq; spirituales gratias, Indulta, quæ ipsi Ordini Religioni, Instituto, erigenti, instituenti, ac communicanti, seu Archiconfraternitati, & Congregationi aggreganti nominatim, & in specie, non autẽ quæ per extensionem, vel communicationem sibi quouis modo concessa sunt, & illa quidem non sub generali forma verborum, vel ad instar, sed expresse, & in specie communicare valeant. Statuta autem pro regimine Ordinum, Religionum, & institutorum erigentium, & instituentium, ac communicantium, seu Archiconfraternitatum, & Congregationum aggregantium edita: Confraternitatibus & Congregationibus erigendis, instituendis, & aggregandis, & quibus communicationes priuilegiorum, & aliorum prædictorum fiunt, impartiri non possint, nisi ea prius ab Episcopo Diœcesano examinata, & pro ratione loci approbata fuerint; quæ nihilominus eiusdem Episcopi decretis, ac moderationi, & correctioni omnibus semper subiecta remaneant. Insuper volumus, & ordinamus, vt prædicti Ordines, Religiones, instituta erigentia, instituentia, ac communicantia, nec non Archiconfraternitates, & Congregationes aggregantes etiam erigendi, instituendi, aggregandi, & communicandi formulam à Nobis nouissimè approbatam diligenter obseruent, secundum quam priuilegia, indulgentias, facultates, aliasq; spirituales gratias & indulta ipsis Ordinibus, Religionibus, institutis erigentibus, & communicantibus, seu Archiconfraternitatibus, & Congregationibus aggregantibus nominatim, & expresse, non autẽ per communicationem, neque ad instar, vt supra ipsis Confraternitatibus, & Congregationibus erigendis, instituendis, & aggregandis, & quibus com-

communicationes fiunt, communicare possint, quibus Confraternitates, & Congregationes, eiusdem duntaxat nationis, & nominis, Ordinis, Religionis, Instituti, Archiconfraternitatis, & Congregationis, cui aggregantur, tam hactenus aggregatæ, quàm in posterum aggregandæ, vtantur, potiantur, & gaudeant; ita vt dictarum Confraternitatum, & Congregationum erectarum, institutarum, & aggregatarum, ac quibus communicationes factæ sunt, Ministri, & Officiales, & alij supradicti, priuilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta huiusmodi, præuia tamen recognitione Ordinarij loci, qui adhibitis duobus de eiusdem Ecclesiæ Capitulo, illa iuxta Sacri Concilij Trident: decretum promulganda decernat, debitis temporibus promulgare valeant; quibus etiam Ministris, Officialibus, & alijs prædictis, Eleemosynas, & alia oblata Christianæ charitatis subsidia, iuxta modum, & formam per Ordinarium loci præscribendam, remotis tamen mensis, & peluibus, & capsis, quæ in Ecclesijs, & Oratorijs dictarum Confraternitatum, & Congregationum, publicè ad hoc exponi consueuerant, excipiendi potestas detur. Atque hoc ipsum Ordines, Religiones, Instituta erigentia, instituentia, ac communicantia, seu Archiconfraternitates, & Congregationes aggregantes, tam Almæ Vrbis nostræ, quàm aliarum Ciuitatum, & locorum quorumcunque, iuxta modum à Vicario Vrbis, & ab Ordinarijs locorum respectiuè præscribendum, obseruare teneantur. Eleemosynas autem sic collectas in reparationem & ornatum Ecclesiarum, tam Ordinum, Religionum, Institutionum erigentiũ, instituentium, & communicantium, ac Archiconfratern: & Congregationum, aggregantium, quàm Confraternitatum, & Congregationum erigendarum, instituendarum, & aggregandarum, & quibus communicationes fient, aut in alios earum pios vsus arbitrio eiusdem Vicarij nostri in Vrbe, nec non Ordinariorum locorum respectiuè fideliter exponere, atque erogare procurent, vt omnes intelligant cœlestes Ecclesiæ thesauros, non quæstus, aut alicuius lucri causa, sed pietatis, & charitatis excitandæ gratia, ex Apostolicæ Sedis benignitate, Christi fidelibus aperiri. Præterea volumus, vt Confessarij, qui vigore priuilegiorum ipsis Ordinibus, Religionibus, Institutis erigentibus, instituentibus, & communicantibus, seu Archiconfraternitatibus & Congregationibus aggregantibus concessorum, ac Confraternitatibus & Congregationibus aggregandis communicandorum, pro tempore eligi possunt, & poterunt; seculares scilicet in Alma Vrbe à prædicto nostro Vicario, ex-

tra Vrbem verò à locorum Ordinarijs: Regulares autèm non solum à prædicto nostro, & à locorum Ordinarijs, respectiuè, sed etiam à suis superioribus approbati sint, vtq; Confratres confitentes à criminibus, casibus, & censuris, iuxta dictorum priuilegiorũ (quatenus tamen sint in vsu, & Sacris Concilij Tridentini decretis, ac Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, & nostris Constitutionibus non aduersentur, nec reuocata, aut sub aliquibus reuocantibus comprehensa sint) formam, & tenorem duntaxat absoluere valeant. Decernimus insuper, vt ijdem Confessarij prædictos Confratres cuiuscunque gradus, status, conditionis, & præeminentiæ, etiamsi speciali nota dignæ fuerint, à casibus contentis in literis, quæ die Cœnæ Domini legi consueuerunt, nec non violationis, immunitatis, & libertatis Ecclesiasticæ, & clausuræ Monasteriorum Monialium, si videlicet sine necessaria, & vrgenti causa, ac sine superiorum licentia, vel etiamsi causa & licentia concessa abutentes, prædicta Monasteria ingressi fuerint; nec non violentæ manus iniectionis in Clericum, & singularis certaminis, seu duelli, ac ab alijs etiam casibus, tam à Nobis, quàm à prædicto nostro in Vrbe Vicario, & locorum Ordinarijs respectiuè reseruatis, & pro tempore reseruandis, & etiam à quauis excommunicatione, ab homine lata, absoluere, & super irregularitatibus tam ex aliquo defectu prouenientibus, quàm occasione delicti contractis cum aliquo, dispensare prætextu dictorum priuilegiorum nullo modo possint. Demum statuimus & pariter ordinamus, vt Confraternitates, & Congregationes vbiuis locorum, quauis auctoritate, vt præfertur, erectæ, & institutæ, quibus communicationes prædictæ factæ sunt, ac quicunque ex dictis Ordinibus, Religionibus, Institutis, Archiconfraternitatibus, & Congregationibus vbilibet existentibus, hactenus aggregatæ ab eisdem respectiuè Ordinibus, Religionibus, Institutis, Archiconfraternitatibus, & Congregationibus, nouas erectionum, institutionum, communicationum, & aggregationum literas, iuxta formam à Nobis nouissimè approbatam, infra annum si in Europa sint, & si extra Europam fuerint, infra biennium à die publicationis præsentium in Romana Curia facienda computandos impetrare teneantur: alioqui dicto tempore elapso, erectiones, institutiones, & quæcunque communicationes priuilegiorum, facultatum, indulgentiarum, aliarumque spiritualium gratiarum, & indultorum, & aggregationes illarum vigore ipsis concessa, nullius sint roboris & momenti, ac reuocatæ, & abolitæ, censeantur eo ipso Erectionum, aut institutio-

num, communicationum, & aggregationum, tam hactenus factarum, quàm deinceps faciendarum, literæ ab ipsis Ordinibus, Religionibus, Institutis, seu Archiconfraternitatibus & Congregationibus, gratis omninò ac nulla prorsus mercede; etiam à sponte dantibus accepta expediri, & concedi debeant. Quòd si Ministri aliqui superiores, vel Officiales quocunque nomine nuncupati, Ordinum, Religionum, Institutionum, seu Archiconfraternitatum, Congregationum, & Confraternitatum huiusmodi, quauis auctoritate, vel priuilegio, & officio fungantur, & præfulgeant, contra præmissa in aliquo venire, vel facere præsumpserint, Erectiones, institutiones, & communicationes priuilegiorum, indulgentiarum, facultatum, spiritualiúmque gratiarum, & indultorum, aliorumq; præmissorum, concessiones, necnon aggregationes per ipsos faciendæ, seu renouandæ, nullius sint roboris, & momenti; & quilibet eorundem Ministrorum, Superiorum, Officialium prædictorum, priuationis officiorum, quæ obtinet, ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, pœnam, quæ ab alio quàm à Nobis, vel Rom: Pontif. pro tempore existente remitti non possit, incurrat eo ipso. Decernentes præsentes literas perpetuò validas, & efficaces existere, & fore ab omnibus & singulis, ad quos spectat, inuiolabiliter obseruari debere, sicque nostræ mentis, & intentionis existere, & ita, & non aliter per quoscunque Iudices, & *cap.* Non obstantibus, & *cap.* Vt autem præsentes literæ ad omnium quos concernunt, notitiam facilius deueniant, volumus illas ad valuas Basilicarum S. Ioan: Lateranen: & Principis Apostolorum de Vrbe, & in Acie Campi Floræ, more solito publicari, & affigi, atque ijs inde amotis, earundem exempla etiam impressa ibi affixa relinqui, factáque publicatione huiusmodi, omnes Regulares Ordines, Religiones, Instituta, & Archiconfraternitates, Congregationes, & Confraternitates secularium, quæ in Vrbe quidem, post mensem; quæ verò in Europa, post sex menses; quæ demum extra Europam, post decem menses, à die publicationis huiusmodi computandos, perinde afficere & arctare, ac si earum cuilibet nominatim insinuatæ fuissent. Et nihilominùs, vt ipsæ præsentes literæ notoriæ fiant, magisque omnibus innotescant, vniuersis & singulis Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs locorum Ordinarijs, per easdem præsentes committimus, & mandamus, vt per se, vel alium, seu alios, hasce nostras literas, postquam earum exemplum recæperint, seu earum notitiam habuerint, semel, aut pluries, prout eis ma-

gis expedire visum fuerit, in suis Cathedralibus, & maioribus respectiuè Ecclesijs Ciuitatum, oppidorum, & locorum quorumcunque eorum Diœcesum, dum in eis maior populi multitudo ad Diuina conuenerit, solenniter publicent, & publicari auctoritate nostra mandent, ac faciant. Cæterum quia. &c.

DICHIARATIONE, ET DECRETO

Fatto dalla sacra Congregatione dell' Indulgenze, approuato dalla S. di N. S. sopra la Bolla della fel. mem: di Pa. Clemente Ottauo, per lettere dell' Illustriß. & Reueren. S. Card. Arigone, scritto à Monsig. Illustriß. & Reuer. Archiues. di Bologna.

Publicato in Bologna alli 20. d' Ottobre 1607.

Molto Illustre, & Reuerendiss. Monsig. Hauendo risoluto questi miei Illustrissimi Signori della Congregatione delle Indulgenze, con autorità, & ordine particolare hauuto, viuæ vocis oraculo, della Santità di N. S. di leuare alcune difficoltà, che si trouano nell' esseguire la Constitutione di Clemente VII. fel: mem. fatta già sopra le Aggregationi delle Confratrie, Dichiarando ancora alcune cose concorrenti le institutioni antiche fatte da' Superiori delle Religioni, fanno sapere à V. S. che si contentano, che i Superiori regolari. a' quali è stati concessa nuoua facultà da sua Beatitudine d'instituere Confraternità secolari, secondo la forma della sudetta Constitutione, possino confermare senza consenso dell' Ordinario de Luoghi quelle Confraternità, quali si tronauano canonicamente erette da' medesimi Superiori regolari, auanti si publicasse l'istessa Constitutione, nelle Chiese proprie loro regolari collegiate, doue stiano almeno dodici Religiosi di famiglia ordinaria, non ostante, che nella patente della confermatione si dica expressamente, farsi ciò di consenso dell' Ordinario medesimo. Dichiarãdo però, che nel fare nuoue institutioni nelle Chiese propriè loro, regolari, quanto secolari di qualunq; sorte, & nel confermare etiandio le antiche, erette in Chiese secolari ancora, nelle quali non stiano dodici Religiosi, si debbia necessariamente hauere il testimonio, & consenso

senso dell' Ordinario, & seruare tutto il restante, che si prescriue nell' istessa Constitutione.

Permettono similmente, che i medesimi Regolari, à' quali è stata concessa la detta nuoua facoltà d'instituire, possino confermare le Confratrie antiche, & instituirne di nuouo, ancorche non sia tutta quella distanza de' luoghi, oue sono, ò saranno tali Confratrie, che viene prescritte da' Breui Apostolici, mētre però, oltre tutti gli altri requisiti, cōcorra anco à questo il consenso particolare dell' Ordinario del Luogo, il quale si dourà essibire in scritto, prima che si dispensi sopra tal distanza, & non altrimente.

Permettono ancora, che ritrouandosi diuerse Confratrie de' secolari antiche, erette canonicamente, come sopra, in Chiese regolari collegiate di dodici Religiosi almeno, si possino confermare, seruata però in tutto il resto la forma data dalla medema Constitutione; & parimente, che essendo in vna Città, ò Terra, piu d'vna Confraternità antica dell' istesso nome, & instituto, eretta canonicamente da Superiori regolari, si possino cōfermare secondo la sudetta forma; ma nell' instituire nuoue Confrater: vogliono le SS. Illustrissime, che vna sola se ne possi fare in qualunque Città, Terra, ò Luogo, eccettando però la Compagnia del Santissimo Sacramento, quale concedono anzi desiderano, sià eretta in ogni Chiesa Parochiale non ostante, che ci si troui eretta prima qual si voglia altra Confraternià.

Et per che molti dubitano se per la Constitutione di sua Beatitudine sopra le Indulgenze concesse vltimamente alle persone religiose, con riuocatione delle antiche, venghino riuocate anco le Indulgenze cōcesse alle Chiese Regolari, & à quei, che le visitano: ancorche la Constitut: cōprendi chiaramēte solo le persone regolari, senza estēdersi alle Chiese loro; Tuttauia la Congregatione per leuare ogni dubbio, dichiara che le Indulgenze concesse à quelli che visitano le Chese d' Regolari, stanno nella loro forza, & vigore, sin che la Santità sua farà altra deliberatione, & però si posseno lasciare publicare, quando non osti altera cosa.

Tutto questo è parso alla Congregatione di scriuere à V. S. acciò nelle occorrenze di cotesta Chiesa sappia ciò che passa in questo particolare, & lo faccia sapere à' Vescoui della sua Prouincia: & io prego à V. S. dal Signore ogni vero bene. Di Roma alli 7. de Settembre 1607.

Di V. Sig. per seruirla P. Card: Arigone.

Dominicus Maria Peregrinus Secret. Illustriss: ac Reuerendiss: D. Archiep: Bon: de mand.

Stampata in Bologna, & ristampata in Lucca per il Guidoboni Con licentia de Superiori.

DECRETVM SACRÆ CONGREGAtionis Indulgentiarum, quo declaratur sanctissimi Sacramenti Confraternitates omnes canonicè vbique erectas, vel erigendas, posse iuxta fel. record. Pauli Tertij Constitutiones, frui Indulgentijs, Priuilegijs, & Gratijs spiritualibus, Archiconfraternitati S. Mariæ supra Mineruam, à Sanctiss. D. N. Paulo V. nuper concessis, ac in posterum concedendis.

LIcet fel. rec: Paulus Papa III. per binas suas Constitutiones concesserit, vt sanctissimi Corporis Christi Confraternitates omnes, & singulæ, vbiuis locorum tunc institutæ, ac instituendæ, iisdem priuilegijs, concessionibus, indulgentijs, gratijs, & indultis, quæ Confraternitati ipsius SS. Sacramẽti in Ecclesia S. Mariæ supra Mineruam de Vrbe erectæ, à se largitæ fuerant; ac in posterum elargirentur, vti, potiri, & gaudere possent, ac deberent. Quia tamen per nonnullas Apostolicas Constitutiones, & Ordinationes, quæ deinceps emanârunt, præsertim verò per recol. mem. Clementis VIII. Constitutionem de aggregationibus editam, facultates, & indulgentiæ, tàm supradictæ S. Mariæ de Minerua, quàm cæteris omnibus Confraternitatibus antea concessæ, aut abrogatæ, aut saltem moderatæ comperiuntur, alia hoc de genere decreta sunt, ex quibus in dubium reuocari posse videtur, an huiusmodi Pauli III. concessiones, pristinum suum robur adhuc retineant.

Congregatio Illustrissimorum, & Reuerendissimorum S. R. E. Cardinalium, à Sanctissimo D. N. Paulo diuina Prouidentia Papa V. indulgentiarum reformationi præfectorum, optans summopere sacratissimi Sacramenti venerationem, & cultum in dies magis augeri, ad idque Christi-

Christifideles spiritual: gratijs excitari, speciali Sāctitatis suæ ordine, viuæ vocis oraculo habito, decernit, ac declarat, iuxta easdem Pauli Tertij Constitutiones, omnes & singulas Confraternitates sanctissimi Corporis Christi, vbique terrarum hactenus, Apostolicâ, vel Ordinariâ auctoritate erectas, vel de cætero erigendas, absque noua, aut peculiari alia concessione, communicatione, vel aggregatione, ac esse debere participes quorumcunque priuilegiorum, concessionum, Indulgentiarum, facultatum, gratiarum, & indultorum, à Sanctitate sua Archiconfraternitati sanctissimi Sacramenti de Minerua, per Breue datum Romæ apud Sanctum Petrum die tertio Nouembris 1606. nominatim, & expresse concessorum, ac in posterum à Sede Apostolica concedendorum, illisque omnibus & singulis, vti, potiri, & gaudere posse, ac debere, statim atque Confraternitatum earundem erectio, Apostolicâ, vel Ordinaria auctoritate facta fuerit, seruata tamen in reliquis omnibus prædicta Clementis Octaui Constitutione. Non obstantibus Constitution: & Ordinationibus Apostolicis de Indulgentijs ad instar non concedendis, nec alijs contrarijs quibuscunque. Datum Romæ die 15. Febr. 1608.

QVÆSTIONES.

1. Nunquid Confratres volentes ingredi Confraternitatem, debeant personaliter adire locum, vbi sunt Patres ad scribendum deputati?

2. Si Confraternitas statuerit, ne quis eam intret, nisi certum sibi persoluat, valeret, necne?

3. An peccans conceptâ spe de consequendis Indulgentijs Confraternitatis, cui est adscriptus, poterit eas consequi?

4. An Confrater, pro altero Confratre suæ Confraternitatis, qui arduis est negotijs occupatus, valeat consequi Indulgentias?

5. An Indulgentia concessa visitantibus certis festiuitatibus, semel, vel tantùm eadem die acquiri possit?

Ad primum, *R. dubitauit de hoc Nauarr. dum in Confraternitate Rosarij se scribi fecit, sed tandem id licere affirmat, eo quòd nulla lege diuina, naturali, positiuâ, aut alia lege prohibitum est.* In miscell. de oration. sub num. 23. vers. dubitatur secundò.

Ad secundum, *R. valeret, si in pios usus casurum esset, secus si in profanos, vt subdit* Nauar: vbi supra, vers. dubitatur tertiò, *& conuenit disposit:* Concil: Trident: sess: 24. de reform: c. 14.

Ad tertium, *R. poterit quidem secundum sententiam* Nauarr: vbi sup. num. 6. quæst. 3. *vbi tamen id limitat, cùm in Bulla Concessionis Indulgentiarum diceretur, ne spe illarum peccantes, &c. & in* Cons: 10. incip. quæritur: num. 3. de priuileg. lib. 5. *sequitur* Graff: suarum decis: lib: 1 par. 1. cap. 13. num. 59.

Ad quartum, *R. non, quia alteri applicare Indulgentias tibi ob visitationem Ecclesiæ Sancti Benedicti, vel quid simile à Papa concessas, esset illi applicare merita Christi, quod solius est Pontificis, secundum* D. Thom: in 4. sentent: dist: 20. quæst, 31, art. 4. Richard: 3. sent. dist. 10.

Ad quintum, *R. semel tantùm, secundum* D. Thom: in 4. dist: 20. quæst: 3. artic: 2. Gemin: & alios in cap. fin. de pœnit. & remission: Nauarr: *qui alios cumulat in suo* Tracta: de Iubil: & Indulg. notab. 31. num. 36. pag. mihi 162.

DECRETVM SACRÆ CONGREgationis Conc. Trid. emanatum auth: fel: record: Clem. VIII. super ordinatione Regularium.

DE mandato S. D. N. Clem. Diu. Prouid. Papæ VIII. Tenore præsentium, mandatur omnibus, & singulis, quorumcunque Regularium superioribus, vt de cætero obseruent, & obseruari faciant, quæ in Decreto Sac. Congreg. Concilij Trid. continentur, cuius tenor est talis.

Congreg: Concilij censuit superiores Regulares posse suo subdito itidem regulari, qui præditus qualitatibus requisitis ordines suscipere voluerit, literas dimissoriales concedere, ad Episcopum tamen Diœcesanum, nempe illius Monasterij, in cuius familia ab ijs, ad quos pertinet, is Regularis positus fuerit, & si Diœcesanus absfuerit, vel non esset habiturus Ordinationes, ad quemcunque alium Episcopum, dum tamen ab eo Episcopo, qui Ordines contulerit, examinetur quo ad do-

ctrinam; & dum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus Diœcesanus vel absuturus, vel nullas habiturus esset Ordinationes. Verùm, cùm à superioribus regularibus, Episcopo Diœcesano absente, vel ordinationes non habente, literæ dimissoriæ dabuntur, ab eis vtique huiusmodi causam absentiæ Diœcesani Episcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum exprimendam esse. Quod, qui non fecerint, officij, & dignitatis, seu administrationis, ac vocis actiuæ & passiuæ, priuationis, ac aliàs arbitrio eiusdem Sanctiss. D. N. Papæ reseruatas pœnas incurrent. In quorum fidem. Datum Romæ die 15. mensis Martij 1599.

Notandum, quòd eadem Sac. Congreg. Card. declarans id, quod in Conc: Trid. *sess: 23. c. 10. de refor.* statuitur, videlicet; Quòd Abbatibus, & alijs quibuscunque quantumuis exemptis, non liceat in posterum intra fines alicuius Diœcesis consistentibus, etiamsi nullius Diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram, vel minores Ordines conferre, nec literas dimissorias Clericis secularibus, vt ab alijs ordinentur, concedant. Ait ipsa Congregatio, quòd Abbates regulares habentes ius baculum deferendi, & Mitram, postquam Sacerdotalem ordinem, & munus benedictionis susceperint, possunt tonsuras, & Ordines minores secularibus Episcopi iurisdictioni subiectis conferre: si modo ipsius Episcopi consensus accedat: & à dicto Episcopo quisque literas dimissorias impetrauerit, ita, vt satis, non sit, id generatim ab Episcopo concessum esse, sed hac concessione semper opus sit singulis.

Possint etiam ipsi Abbates eosdem Ordines conferre alijs Regularibus, dimissorias speciales superiorum suorum, & specialem consensum Episcopi loci habuerint, ac præterea alijs secularibus, qui aliorum Episcoporum iurisdictioni subiecti sint, dummodo superiorum dimissorias attulerint, & specialem consensum Episcopi loci, in quo Ordines huiusmodi cupiunt suscipere. Præfatæ declarationes referuntur à *Quarãnta in verbo*, Ordo.

QVÆSTIONES.

1. *Quid debet afferre Episcopo Regularis Ordinandus?*
2. *An in ordinatione Regularium dispensatio super interstitijs pertineat ad Episcopum, vel ad superiorem Regularem?*

3. *An fieri debeat mentio in litteris dimissorialibus superiorum Regularium, vt super interstitijs dignetur dispensare Episcopus ordinans, attenta necessitate, & vtilitate Ecclesiæ, vel Religionis?*

4. *Quomodo intelligatur arbitrium Episcopo concessum, in dispensando super interstitijs?*

5. *An Episcopus ordinans tacitè aliquem dispensare censeatur, & quid si ipse Ordines non conferat, sed dimissorias concedit?*

6. *Quæ dicatur Ecclesiæ necessitas, vel vtilitas, vt sufficiens causa reputetur ad dispensandum?*

7. *An circa Annum interponendum ab vno ad alterum Ordinem sacrum, attendendus sit annus Ecclesiasticus, vel solaris?*

8. *Clericus secularis, vel regularis, ordinatas cum literis dimissorijs falsis, quam pœnam incurrat, & quid si celebrat in Ordine sacro?*

9. *An dimissoria ad Ordines suscipiendos ab alieno Episcopo, ità requiratur, vt non sufficiat Episcopo promouenti cognitam esse personam pro idonea?*

10. *Quid si proprius Episcopus ratificet promotionem ab altero Episcopo factam, absque literis dimissorialibus?*

11. *An in literis dimissorialibus sint exprimendi Ordines sacri?*

12. *An expirent literæ dimissoriales per mortem concedentis?*

13. *An Episcopus, cui diriguntur literæ dimissoriales, debeat examinare Clericos seculares, vel regulares, de vita & moribus?*

14. *An sacrosanctum Trid: Conc: decretum,* sess: 23. c. 7. de Reform: (*quo Episcopis iniungitur, vt antequam ad sacrorum ordinum ministerium Ordinandi accedant, summa diligentia, inter alia inquirant ea quæ ad genus Ordinandorum spectant*) *nouum Ordinis impedimentum induxerit?*

15. *Si quis non suscepto Sacramento confirmationis ad Ordines promoueatur, incurrat aliquam censuram, vel pœnam?*

16. *Quæ ætas præscripta est singulis Ordinibus, & an incepta, vel completa?*

17. *Prima Tonsura potestnè quolibet die conferri?*

18. *Minores Ordines, & Sacri, quo tempore conferri possunt, &*

quare

quare potiùs in Sabbato, quàm alijs diebus, Ordines ſacri conferuntur?

19. Quæ ſcientia requiratur in Ordinandis?

20. An miniſtrans in ſacris Ordinibus ante ætatem, fiat irregularis, & quid in minoribus?

21. Quid ſi quis habuerit literas dimiſſoriales ſpeciales, vt à tali Epiſcopo Ordinibus inſigniri poſſit: ſi ab alio ordinetur, incurrat aliquam pœnam?

22. An Ordinatus ante ætatem ſacris Ordinibus, ſit ſuſpenſus vſque ad ætatem legitimam, vel perpetuò, ita vt indigeat Papæ diſpenſatione?

23. An Ordinatus ante ætatem, qui potuit, & debuit ſuis parentibus credere, ſit excuſatus?

24. Si quis ſacris Ordinetur ante legitimam ætatem, & propter bonam fidem à principio, ob quam à ſuſpenſione ipſo facto liberatus fuerat, ſi poſtea aduenerit mala fides, & ſciens ſe non habere legitimam ætatem celebrauerit, contrahat irregularitatem?

25. Epiſcopus Ordinans non ſubditum ſuum, quam pœnam incurrit, & quando non incurrat?

26. Furtiuè Ordinari: quis dicatur?

27. Furtiuè Ordinatus, an poſſit in ſuſcepto ordine miniſtrare, & ad ſuperiorem aſcendere?

28. Si Epiſcopus, tempore quo confert Ordines, dicat ſe non intendere ordinare non examinatos, & approbatos, qui ſe ingerit, eritne Ordinatus?

29. An Epiſcopus, qui ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ antequam ordinare incipiat, præcipit, ne aliquis accedat ad Ordines ſine dimiſſorijs, & alijs requiſitis, & poſtea eos abſoluit, & diſpenſat, prout eſt videre in Pontificalibus, ſi quis illorum eſſet innodatus aliqua cenſura Eccleſiaſtica, vel irregularitate, ſi poſſit & valeat cum illa abſolutione abſolui, & cum illa diſpenſatione diſpenſari?

30. An promoti ad Ordines minores ante legitimam ætatem, ſint ſuſpenſi?

31. Ordinatus in ſacris ante legitimam ætatem, & ſic ſuſpenſus,

an efficiatur irregularis, concelebrans cum Episcopo, in actu ordinationis?

32. *An qui ordinatur, non seruatis interstitÿs, sit suspensus, vel irregularis?*

33. *An ordinatus Sacris ordinibus metu, teneatur continere?*

34. *An Religiosus ante professionem se promoueri faciens ad Ordines Sacros, sit suspensus ipso iure ab exequutione ordinum susceptorum?*

35. *An Regularis teneatur accipere attestationes ordinum susceptorum, ab Episcopo ordinante?*

36. *An Episcopus ordinans ignaros, vel homines malæ vitæ, vel nullam in hoc, aut paruam faciens diligentiam, peccet mortaliter?*

37. *An Episcopus admittens ad Ordines non sibi idoneos notos in doctrina, sine examine debeat deponi; & quid legatur de S. Leone Papa, & quid aduertat in hoc S. Bernardus?*

38. *Quæ mala oriantur ex ordinatione indignorum?*

39. *An propter penuriam aliorum, possint non idonei ordinari?*

40. *An Episcopus ordinans sacris sine titulo, peccet?*

41. *An Ordines bis suscipiens, aut conferens, efficiatur irregularis?*

42. *Non promotus ad Presbyteratûs ordinem celebrans Missam, quam pœnam incurrat?*

Tenor Constitut: Bull: Pÿ V. contra Religiosos non professos, ad sacros Ordines promotos prætextu Religionis.

Ad primum, *Resp. Quod regularis ordinandus afferre debet literas dimissorias à superiore de Ordine suscipiendo, quo eorum quispiam initiandus est. Quæ literæ, ne vestutiores sint, duobus, tribusuè mensibus à die sacræ ordinationis supputandis; nisi ob absentiam superioris, aliamuè causam, eas longiori tempore datas, renouari suè accipi, probariue debere censuerimus: testimonium etiam scriptum à superiore suo, qui ostendat eum, vitâ, & moribus præditum esse, qui dignus sit, vt illi Ordini adscribatur, quo is initiari vult; sit verò hoc testimonium non antiquius duobus mensibus declaratum. Si verò diutiùs à Monasterio abfuerit, hoc testatum afferat à superiore Monasterÿ, in quo proximè commoratus est. Testificationem item, de Ordine qui proximè præcedit,*

præcedit, *iam ſuſcepto. Si verò ſtatum tempus, præſcriptum à Conc: Trid: quod interiectum eſſe debet inter ſuſceptionem vnius & alterius Ordinis, nondum expletum eſt: tunc à ſuo ſuperiore ſcriptum afferat, quo teſtatum fiat, vtile, ac neceſſarium Eccleſiæ ſuæ, Monaſteriouè, eſſe, ſecum diſpenſari ſuper eo interſtitio. Item in Religione cum laude verſatum eſſe, loco tituli afferat teſtificationem præſtitæ, riteq; emiſſæ profeſſionis Regularis, & exercitationem frequentem functionum illius Ordinis, quem proximè ſuſcepit.*

Ad ſecundum, *Reſp. Quòd Sacra Cong: Conc: Trid: cenſuit per hæc verba: An Superiores Regularium poſſint quemadmodum Epiſcopi, vt in* ſeſſ: 25. c. 11. & 13. *diſpenſare ſuper temporum interſtitijs cum ſubditis ſuis: Sancta Cong: cenſuit Superiores regulares non poſſe diſpenſare ſuper interſtitijs Regularium ordinandorum, ſed id pertinere ad Epiſcopum Ordinantem, qui tamen quo ad cauſam diſpenſ: iudicium ſuum formare debet ex atteſtatione Superiorum Regularium.* Paul: Emil: Cardinalis S. Marcelli.

Ad tertium, *Reſp. Quòd debet fieri mentio in literis dimiſſorialibus ſuorum Superiorum, petentium ab Epiſcopo, vt ſuper interſtitijs diſpenſare dignetur, attentâ neceſſitate, vel vtilitate Eccleſiæ, ſeu Religionis, prout declarauit ſacra Cong:* die 7. Septemb. 1597. *vt teſtatur* Sorbus in Compendio Mendicantium, & Ioan: Baptiſta Confectus in verb. Ordin. Sacri.

Ad quartum, *Reſp. Arbitrium Epiſcopo conceſſum auctoritate* Conc: Trid: Seſſ. 23. c. 11. *in diſpenſando ſuper interſtitijs, intelligitur ad hoc, vt interſtitia hæc, eius arbitrio, abbreuiari poſſint; non autem, vt eadem die Sacros Ordines duos conferre poſſet, vel vltimum minorem cum primo ex Sacris: quòd adeò verum eſt, quòd ſi Sabbato vnum Sacrum Ordinem conferat alicui; & continuato ieiunio alterum ei conferat in Dominica, ſuſpenſus eſſet Epiſcopus à collatione Ordinum, & Ordinatus ab exequutione, donec Sedes Apoſt: diſpenſationem indulgeat.* tex. in c. literas. de temp. ordinan.

Ad quintum, *Reſp. Si Epiſcopus ignorans fecerit, nullo modo diſpenſare cenſetur: At verò ſi ſciens Ordines contulerit, diſpenſare*

censetur, idemque iudicandum est, si ipse non conferat Ordinem, sed dimissorias literas concedat: quia hæc à pari procedunt. Syl. in verbo, irregularitas. in fine. Glos: notab. in c. qui aliquando, in verbo qui concubinas. 52 dist. Abb. not. in c. veniens. de fil presb. Fel. in c. præterea, n. 18. & q. de temp: ord. Simon Maiol: de irreg: lib. 3. c. 24. num. 14. Menoch: de arbitr: Iudic: lib. 2. cent. 5. casu 564. Nauarr. cons. 27. num. 2. de temp. Ord. in antiq.

Ad Sextum, *Resp. Quòd Ecclesiæ necessitas, & vtilitas, vt sufficiens causa ad dispensandum reputetur, declaratur* à Sorbo in compendio Mendicantium. in verbo, Ordines Sacri. & à glos: in dist: 74. & ab Abb: Zabarella, in c. quæris. de ætate, & qualitat: or. *Cum constituto in Minorib: ad Subdiaconatum, super anni cirtulo, sufficit si sit necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ disiunctiuè; à Subdiaconatu ad Diaconatum, quælibet leuis causa: cum iudicio Episcopi id relinquatur; à Diaconatu ad Presbyteratum, vtilitas, & necessitas Ecclesiæ, coniunctiuè: ita habetur* in c. 11. & 14. Sess: 23. de Refor. *considerat etiam* Sorbus, vbi suprà.

Ad Septimum, *Resp. Circa annum interponendum ab vno ad alterum Ordinem sacrum, attendendum esse annum Ecclesiasticum, non autem Solarem. Hinc Sacra Congregatio declarauit, eos, qui ad subdiaconatus Ordinem quatuor temporibus Quadragesimæ promoti fuerint, posse anno sequente eisdem quatuor temporibus Quadragesimæ ad Diaconatum promoueri, licet annus naturalis integer tunc lapsus non fuerit: cum futuro anno Paschæ festũ celeriùs quàm Superiori celebretur.*

Ad Octauum, *Resp. Quod Clericus secularis, siue Regularis, ordinatus cum literis dimissorijs falsis, est suspensus, quia habetur, ac si sine dimissorijs. super quo tanquam indubitato non insisto; idque ex pluribus comprobat,* Mendoc: in reg: 24. q 2. *& si celebrat, efficitur irregularis, excusatur tamen si ministrauerit bona fide, sine dolo, & simpliciter putans, alioquin non facturus.* Nauar: in c. acceptа. oppositi: 8. sub num: 34. de rest: spoliat: *Nam dispositio puniens aliquid præsumentem, non comprehendit eum, qui id bona fide, ignoranter,*

aut

aut imprudens, seu inaduertens facit: iuxta doctrinam singularem Card: in Clem: 1. quæst: 39. de Priuileg: *& tenet* Quaranta, in verbo, alienatio, sub num: 9. & in verbo Ordo.

Ad Nonum, *Resp. Dimissoria Ordinarij ita necessaria est, vt nullam, quoad exequutionem, non quoad characterem, reddat promotionem absq; ea factam de persona, quantumcunque idonea, & cognita: quia forma dat esse rei, eiusque omissio actum vitiat; vt colligitur ex dictis* Bald: in cap: constitutis. 46. de appellat: num: 5. ac dec: num: 7. *& in terminis nostris* Mendoc. *eleganter* in Reg: Cancellar: super Reg: 24. de malè promotis. num: 11. & seq: quæst: 3.

Ad Decimum, *Resp: optimè huic quæsito* Mendoc: in Reg: Cancell: super dict: reg: 24. q. 4. *vbi articulo plenè discusso, eleganter demonstrat, ratificationem non satis esse ad euitandam pœnam,* d. Constit: Pij II. num: 6. & seq.

Ad Vndecimum, *Resp. Quod in Dimissorijs debent exprimi Ordines Sacri, aliàs si exprimantur minores Ordines, vel Ordines tantùm, non veniunt Sacri.* c. 1. de temp: ordinan. & Rebuff: in prax: de litteris Dimiss: *& dictæ litteræ, requirunt scripturam: sed in licentijs celebrandi, non.* Rebuff: vbi suprà.

Ad Duodecimum, *Resp. Litteras Dimissoriales non expirare per mortem concedentis.* Rebuff: vbi suprà. Nauar: conc: 1. de tempor: Ord. *Nec eas censetur reuocâsse Episcopus, si dicat ordinando, ne ab alio ordinaretur, quia ipse volebat ordinationes tenere.* Nauarr: conc: 29 de tempor: ordinat.

Ad Decimumtertium, *Resp. Quòd Episcopus, cui diriguntur Dimissoriæ, debet examinare tantùm de litteratura; vt declarauit Sixtus V.* Sorbus vbi suprà, *facit* c. 11. Sess: 7. Conc: Trid. *& etiam seruatur vbiq; : nec requiritur, quòd in litteris dicatur in conscientia mea, vt dicit* Sorbus: *expressio enim eorum, quæ tacitè insunt, nihil operatur,* l. 3. ff de legat: 1.

Ad Decimum quartum, *Resp. Quod sic intelligatur Sacrosancti Concilij Trident: Decretum,* Sess: 23. c. 7. de Refor. *quo Episcopis in*

ſcopis iniungitur, vt antequam ad Sacrorum Ordinum Miniſterium accedant, ſummâ diligentiâ inter alia inquirant ea, quæ ad genus Ordinandorum ſpectant: non tamen Concilium Catholicum, nouum Ordinis impedimentum induxit; ſed duntaxat, quæ antiquo iure ſtatuta erant, ſeruari ad vnguem præcepit. quòd non vulgariter notandum cenſeo, quia multi circa hoc hallucinantur.

Ad Decimumquintum, *Reſp. Si quis, non ſuſcepto Sacramento Confirmationis, ad Ordines promoueatur, nullam cenſuram incurrit, vel pœnam; quia iure expreſſum non reperitur. Nec Sacroſanctum Trid: Conc:* Seſſ: 23. c.4. de Refor. *pœnam aliquam imponit, quàm quòd ante confirmationem, nullus ad primam tonſuram admittatur. Quin &* Dom: Soto, in 4. ſent: diſt: 24. q. 1. art: 4. ad finem. *in ea eſt ſententia, vt exiſtimet, mortalem culpam non incurrere, qui ſuſcepit Ordines Sacros, vel in eiſdem miniſtrauit, ante confirmationem quem ſequitur inſignis:* Nauar: in Manu: confeſſ. c. 12. n. 9. *Sed opinio hæc hodie defendi non poteſt; nam cum dictum Concilium præceptum contineat, & in materia graui Sacramentorum Eccleſiæ, eius tranſgreſſores ad peccatum mortale obligat: vt latè colligitur ex* D. Tho: 1. 2. q. 69. ar: 4. & 2. 2. q. 60. ar: 5. ad 1. Archiep: Flor: in 1. par: tit: 18. c. vni. §. 2. Sylu: in verb: Lex. q 8. Baptiſta Trouamala, in verbo, Lex. q. 17. F. Alph. à Caſt. in lib: 1. de poteſt: leg: pœna. c. 4. Ioan: à Meth: de reſ. q. 36. verb: Quo præmiſſo. tex: in l. 16. tit: 1. par: 1. ibi. *Et ita ipſe* Nauar: *ſibi aduerſatur, palinodiamq; recantat in* eod: Manua: c. 25. n. 60. in princ. *tamen eum excuſari cenſeo, qui legitimâ ignorantiâ ductus id fecerit.*

Ad Decimumſextum, *Reſp. Quod ſingulis Ordinibus, præſcriptæ ſunt ætates; quamuis pro varietate temporum diuerſis menſuris ſtatutæ. Tonſura etenim ferè ſemper in ſeptennio obſeruata eſt,* tex: cum glo. in c. Nullus. de temp: Ord. in 6. *qui annus debet eſſe completus.* cap: In ſingulis. 77. diſtinct: Regia. l. 27. tit: 6. part: 1. *Reliquorum Ordinum, varij fuerunt termini: vt conſtat in dicto* cap: in ſingulis. & in c. Placuit. eadem diſt: 77. *poſtea autem in Concilio*

Viennen:

Viennen: *Sacris Ordinibus certus statutus est terminus, nempe Subdiaconatui, annus 18. Diaconatui, 20. Sacerdotio 25. vt in* Clemen: Generalem. de ætate, & qualitate. *Episcopatui semper annus Trigesimus necessarius fuit.* cap: Cùm in cunctis. de Electio. *At Concilium Trid*: Sess: 23. c. 12 *summa consideratione huic rei prouidit: nam Subdiaconatum permittit existenti in vigesimo secundo anno, Diaconatum vigesimo tertio, Presbyteratum vigesimo quinto. Reliquis verò minoribus Ordinibus nullum tempus præfixit, quasi plus momenti habendum sit in literis, & moribus, quàm in ætate: ad quod mirè congruit sententia* D. Thomæ in 4. sent. dist: 25. *Hi autem anni omnes, in Ordinibus recipiendis necessarij, non exacti, sed cœpti sufficiunt: vt in* d. Clemen: Generalem. vbi Glos. & Doct. *& notat noster* Greg: in dicta l. 27. par.

Ad Decimumseptimum, *Resp. Quòd prima tonsura quolibet die conferri potest, cùm iura certum diem ad eam conferendam non præfigant. & sic de consuetudine generali seruari testantur*, Hostien. Ioann: Andr. & Cardin. in c. pen. de tempo: Ordin. per ca: cùm contingat. de ætate, & qualitate.

Ad Decimumoctauum, *Resp. Minores Ordines, quando Episcopo, & vbi sibi videbitur, dari possunt: licet Dominicis, & alijs Festiuis diebus, conferri debeant*, c. De eo. de tempo: Ordin. *Sacri verò Ordines nunquam, nisi in publica ordinatione conferuntur*, c. Quando. 75. dist. *& in maiori Ecclesia* Gloss: not: in c. Ordinationes. d. dist. Conc: Trid: sess: 23. c. 8. de Refor. *vbi Decretum est, Sacros Ordines in Cathedrali Ecclesia conferendos esse, præsentibusq; ad id Ecclesiæ Canonicis: si autem in alio Diœcesis loco celebrentur, semper in Ecclesia, & Clero præsente, fieri debet. Vnde non erit valida illa consuetudo, cuius ratione Episcopi hos Ordines, vbi eis placebat, conferebant. Quam validam esse scribit* Floren: in 3. par. c. 14. § 17. *F. in Sabbato in folio à tergo: & in Sabbato sane potius, quàm alijs diebus Ordines conferri debent; quia dies illa Spiritui Sancto consecrata est, cuius bona in Ordinibus, largâ manu recipiuntur*, c. Quod à patribus. 75. dist. *notat* Rebuff: d. gl. 1. n. 9. *Ista autem Sabbatorum tem-*

rum tempora duob : casib : transferri possunt in sequentes dies Dominicos. *Primò, si ab Ordinaturis, & ordinandis, ieiunium seruetur, vsque ad sequentem diem Dominicum: tunc equidem ipso Dominico die ministrare Ordines possunt,* tex : in d. c. quod à patrib. *sed quia tale ieiunium indiscretum, & maximè periculosum esse censetur : vt bene not :* Inn : Host. & omnes in c. Literas. de tempo : Ordin. *minimè decet, vt tanta dicti ieiunij productio fiat. Secundò, si die Sabbati tanta esset Ordinandorum multitudo, vt non possent omnes Ordinibus insigniri: tunc equidem in diem Dominicum, Ordinum collatio differri potest. Ex* Inn : *sententia* in d. c. Literas. *quem sequitur* Sylu : in sum : in verbo, Ordo. 2. q 6.

Ad Decimum nonum, *Resp. De hoc agi in Conc: Trid:* Sess: 23. can : 11 *ibi,* dignos duntaxat, *& in* eadem sess: can: 14. *ibi,* diligente examine præcedenti. & can : 13. *dum vult, quod instructi debent esse literis, & his, quæ pertinent ad exercendum Ordinem; id est, vt sciant, quænam pertineant ad illum Ordinem quem volunt suscipere: & ratio est, quia illiterati ordinari prohibentur.* cap: fin: de ætate, & qualitate. c. illiteratos. 36. dist. *& ista literarum idoneitas, est adeò necessaria, & de iure Diuino, vt Papa non possit dispensare in ea : vt dicit* Felin : in c. Si quando. colum : penult : vers. sed dicas. de rescriptis. Gom : in cap : 1. num: 113 de cons tit: lib : 6. Nauar : cap: 27. num : 205. notab : 2. *dicit Papam, raro aut nunquam, in hoc dispensare defectu directo, nec minus potest Episcopus,* Sylu: tract: de Benefic: 4. part. q 7. num: 8. vers: 28. cap : fin. de temp. or lib: 6. cap illiteratos. 99. dist. Diaz, prat : crim: can. cap : 18. Sot : sent : dist: 25. q 1. art: 4. concl: 3. Astens: lib: 1. tit. 13. *& vt à primo ordine accipiamus, dicas, quòd ad primam tonsuram quidem Ordinandus sufficit, si sciat fidei rudimenta, legere, scribere. Conc : Trid :* sess : 23. cap : 4 de Refor *at alij Minores promouendi, linguam Latinam intelligere debent.* ib : c. 5. & 11. *Ad Sacros Maiores ordinandi, scire debent ea quæ exercendo eorum Ordini conueniunt.* Ibi : cap : 13 *ad Presbyteratum talis scientia requiritur, vt ordinatus Sacramenta administrare, & populum in his, quæ ad salutem scitu necessa-*

necessaria sunt, instituere valeat. Ibi : cap : 14. *licet ad summum in Presbyterio requiritur, & sufficit, vt sciat cantare, legere, & construere, & intelligere illius idiomatis, in quo est missaturus*, glos : in Clem : 1. de concess: Præb. dist : 6. Gemin : in cap : Si pauper. de Præb : lib : 6. Nauarr : in c. 1. §. Caueat. num : 19. de pœnit. dist : 6. *Sed Conc : Trid :* sess : 23. c. 14. de Refor. *plus requirit, nempe, circa Sacramenta ministranda, & ad alios docendum. vt testatur* Riccius in prax : fori Ecclesiastici, decis : 311.

Ad Vigesimum, *Resp. Qui ante legitimam ætatem sacris Ordinibus fuit insignitus, non potest eosdem Ordines exercere, donec legitima ætas accesserit : quâ quidem accedente, cessat omne impedimentum, & ea ratione liberè poterit in susceptis ministrare.* cap. non est compos. de tempor. Ordin : not. Archid : & Præpos. in cap. placuit. 77. distinct. Henric : in cap. Consultationi. de Temp : Ordin : *& hanc opinionem communem esse fatetur insignis* D. Couar : in Clem : si furiosus. de Homi : 1. par : §. 1. n. 4. *Nec ante legitimam ætatem ordinatus, est ipso iure suspensus, sed suspendendus :* vt in dicto cap. non est compos : *Quem interpretantur* Archid : Præpos : Cardin : à Turre cremat. in d. cap. placuit. Gonsal : à Villadiego de irreg : c. de suspen : col. 2. Mart : Nauar : in Manua : confess : c. 25. nu. 70. *& eum sequitur* Magist : 4. Sent : dist. 24. q. 5. *Fuerunt tamen multi maximæ auctoritatis viri, qui expressim tenuerunt, ante legitimam ætatem ad Ordines promotum, ipso iure suspensum esse. At si communem sententiam amplectimur, omni prorsus difficultate caret in Ordinibus minoribus ministrantem ante ætatem à iure diffinitam minimè irregularitatem contrahere, cum nec à iure, nec ab homine suspensio imposita fuerit. Quod si quis contrarium sequi maluerit, idem asseuerare necessè erit, cùm suspensio hæc, non ob crimen, sed ob defectum à iure fuerit statuta. Ita tenuerunt* Card : in d. Clem : Generalem. 5. & 6. q. Domin. in c. eos. de temp : Ordin : in 6. Card : in c. si celebrat : de Cleri : excom : Villadiego in d. c. de suspensione col : 2. *quam opinionem communem esse fatentur, eam sequuti Floren :* in 3. par : tit : 28. c. 1. § 1. col : 2. D. Couar : d. § 1. num. 4. *& hoc de iure veteri.*

Ad Vi-

Ad Vigesimum primum, *Resp: Si literæ istæ sint speciales, nempè vt possit quis à tali Episcopo Ordinibus insigniri, & tunc ab alio ordinetur: Ordinibus collatis minimè iuuabitur; cùm nullam ad hoc facultatem habuerit; & vnius concessio, alterius censetur exclusio* l. cum prætor. ff de iud. c. non. de præsumpt: *Solent etiam literæ generales concedi, vt possit quis ordinari à quocunque Antistite, gratiam, & communionem Sedis Apost: habente.* c. pen: de præter: not: Pet: Rebuff: in pract: benefic: de literis dimissorijs. num. 3. *Quibus quidem literis, oportet, vt exprimatur, qui Ordines illarum ratione sunt ministrandi: quia concedendo solum recipi minores, vel Ordines tantùm, maiores Ordines minimè comprehenduntur.* c. 1. de Temp: Ordin:

Ad Vigesimum secundum, *Resp: Quòd in ordinato ante legitimam ætatem, dupliciter potest iuris ignorantia contingere; & primò ignorando ætatem à iure præscriptam ad sacros Ordines suscipiendos, & tunc, (nisi esset inuincibilis) quia accedens ad ipsos Ordines suscipiendos, illud ius tanquam vulgare, & commune scire tenetur, vix sine culpa illud ignorare potest: secundo modo accidere potest, ignorando hoc ius speciale extrauag: Pij II. imponentis suspensionis pœnam ipso iure: quo casu etiam illius pœnæ ignorantia non impedit, neque excusat, quo minus illa incurratur: conferret tamen dum ignoraret, se suspensum ipso facto ad excusandam irregularitatem, si in Ordine sic suscepto ministraret. Ita concludit* Suarez, de censuris, disput. 31. sect: 1. suspensione 5. *De iure communi suspensio huiusmodi durabat vsque ad ætatem legitimam.* cap. vel non est. de Tempor: Ordin: c. ex ratione, de ætate & qualitate: *& hanc fuisse communem opinionem de iure communi dicit* Ant: in Tract: de Irreg: c. 1 num 13. *Nihilominus post Bullam Pij II.* Ex sacrorum. *quæ promotos ante ætatem legitimam ipso iure suspendit, contrarium est dicendum, vt sit perpetuò suspensus: si quidē verba,* ipso iure, *perpetuitatem indicant, cum vim Canonis latæ sententiæ habeant.* Tiraquellus, qui alios congerit, in l. si vnquam. C. de reuocandis donat. in verbo, reuertatur. n. 144. *& ita sentit* Stephan: & Car: in c. ad limina. 30. q. 1. §. 3.

quo fit, vt sententia iuris pœnam absque præfinitione temporis imponens, perpetuò imponere censeatur l. seruus. C. de pœnis. c. Si autẽ. vbi glos: fin. de cohab: Cler: & mulierum, glos: in c. Cupientes. §. Cæterum. in verbo perpetuo. de elect: in 6. Abb: latè in c. ex literis, n. 10. de const. *eandem opinionem tenet* Rebuff: in prax. tit: De malè promotis. *vbi dicit suspensum indigere Apost: absolutione.* Nauar: cons: 30. in fin. & 35. n. 1. de temp: ord.

Ad Vigesimum tertium, *Resp.:* Nauar: cons: 50. de tẽp: ord. par: 2. *excusat eum, qui circa ætatem potuit, & debuit, suis parentibus credere, quæ videtur ignorantia probabilis: & hoc nota.*

Ad Vigesimum quartum, *Resp: huic dubitationi negatiuè* Roderic: tom: 3. q. Regular. q. 23. art: 14. *licet toties quoties Sacra fecerit, mortaliter peccâsset: sed sibimetipsi contradicit, cùm contrarium, cum Medina sentiat.* in sum: par: 1. c. 165. sub num: 1.

Ad Vigesimum quintum, *Resp: Pœna Episcopi Ordinantis eum, qui sibi subditus non est, sed alterius Diœcesis, non habitâ eius Ordinarij licentiâ, habetur* in c. 2. & fin: de temp: Ordin: in 6. & in Conc: Trid: sess: 22. de Refor. c. 8. *in quibus iuribus disponitur, vt per annum sit suspensus ab Ordinum collatione. Hinc oritur dubium, an ista suspensio extendatur ad omnes Ordines; an verò restringatur tantùm quo ad eos, quos sic malè contulit: de quo vide* Ioan: Monach: in d. c. 2. num: 6. & Gemin: sub num: 5. vbi Ioan: Andr: num: 2. inquit, *Episcopum hac pœna in duobus casibus non teneri. Primus est, quando ipso probabiliter ignorante, alienus Clericus furtiuè, vel ex simplicitate, se in multitudine Ordinandorum ingesserit. Secundus casus, si deceptus esset iuxta ignorantiam facti, potuit enim esse, quòd Ordinatus detulerit literas furtim impetratas à Cancellario sui Episcopi.*

Ad Vigesimum sextum, *Resp: furtiuè quis Ordinem recipere, quando sine ordinatione, & copia superioris, & sine examinatione quis ingerit se cum multitudine Ordinandorũ ignorante ordinatore, & sic ordines recipit, vt per* gl: in c. 1. in verbo, furtiuè. eiusdẽ tit. & per Host: in Sum: §. 1. & latiùs per Abb: in rubr: eiusd: tit.

Ad Vigesimum septimum, *Resp. Qui tali modo receperit,*

 si erit

fi erit lata excommunicatio contra illud facientes; non potest in Ordine sic susceptoministrare, vel ad superiorem ascendere sine dispensatione Papæ. Si tamen excommunicatio lata non erit, Episcopus, & Abbas, poterunt dispensare : vt patet in c. 1. cum duobus sequent: eiusdẽ tit. de quo per Ang: in Summa. in verbo,Irregularitas. §. 23. & per Sylue: in summa, in eod. verbo. in §. 3. quæritur. *Item nota, quòd dicitur quis furtiuè Ordinem recipere, quando recipit quatuor Minores Ordines, & Subdiaconatum in vna eadem die : vel quando recipit duos Ordines Sacros simul, vt probatur* in c. 2. & fin. de eo qui Ord: furtiu: suscepit. *& notat* Host: in dicto §. 1. *Adde, quod iam de more consueuerunt Episcopi in Ordinibus conferendis, sub excomm: latæ sent: pœnâ prohibere, ne quis audeat se ingerere, qui non fuerit approbatus: & tunc is Ordinatus non poterit in suscepto Ordine ministrare, nec ad Superiores ascendere, sine Romani Pontif: dispensatione. & vide de hoc, vltrà Ordinarios interpretes,* Summam Confes. tit: de ætate Ordinand. q. 13. & seq. Symo: Maiolum: de irregul: lib: 4. c. 8. & vide Regiam legem 18. tit: 6. par: 1. & ibi Grego: Lopez. *Hodie verò, si crimen hoc occultum sit, & non deductum ad forum contentiosum, Episcopus potest indulgere dispensationem, auctoritate Conc: Trid.* sess: 24. c. 7.

Ad Vigesimum octauum, *Resp. Si Episcopus eo tempore, quo confert Ordines, his verbis vtatur : Non intendimus ordinare non examinatos, & approbatos; tunc qui se ingessit, non erit ordinatus, ideò oporteret denuò ordinari, iniungendaq; priùs illi erit pœnitentia, quia valdè delinquit, se ingerendo Ordinum susceptioni ante approbationem. Ita tenet* Pet: Rebuff: in d. gl: 4. num: 18.

Ad Vigesimum nonum, *Resp. Quòd sic : ita* Nauar: consi: 49. num: 12. vers: ad quintum, de sententia excomm: *ratio est, quia verba illa absolutoria, & dispensatoria, debent aliquid operari.* l. 1. & ibi gloss. quod metus causa. c. solitè. de maior. & obed.

Ad Trigesimum, *Resp. Quod non.* Nauar: consi: 49. num: 7. ℣. Quia. *nec Bulla Pij II. nec Conc: Trid: ponit suspensionem in Minoribus. & licet Sixtus V. contrarium senserit, tamen illa Bulla fuit reuocata, & reducta ad terminos iuris per Gregorium XIV. & tenet* Rebuff:

Rebuff: in prax: benef. tit:de Cler:ad Sacr:Ord: male prom. glos:3. Nauar: in Manual: c. 25. n.70. ℣. dixi Ordine Sacro. Sayr: d. cap: 12. n. 9.

Ad Trigesimum primum, *Resp. Quòd si quis Presbyteratum ante legitimam ætatem assumeret, non incurrit irregularitatem, concelebrando, & consecrando cum Episcopo in actu Ordinationis: sed quando ipse solus aliàs celebraret.* Medin: in sum: lib: 1. c. 11. §. 8. *& post eum dicit* Henriquez in sum: lib: 4. c.16. n. 23. & lib: 6. c. 12. n. 11. *& probabiliorem demonstrat* Suarez de censur. disput: 31. sect: 1. n. 70. *quicquid aliter sentiant* Nauar: cons: 8. de Cler: excom. & Lopez ad Diaz, in pract: crim. canon: cap: 26.

Ad Trigesimum secundum, *Resp. Quòd non: idq; probat* Nau: cons: 4. *& licet Bulla Sixti V. aliter disposuerit, tamen fuit reuocata: vt sæpè dictum est à Gregorio XIV. & reducta ad terminos iuris communis: ratio rationis fuit, quia Bulla Sixti V. nil aliud agebat, quàm innouare Sacrum Conc: Trid: & addere nouas pœnas, ideò præfatus Greg: XIV. videns conseruari pœnas, arbitratus fuit reuocare eas, ad auferendos laqueos, & sufficere dictum sacri Conc: ius commune, Bullam Pij II. & Pij V. Dices. Si quis promotus, non seruatis interstitijs, non efficitur nec suspensus, nec irregularis: cur opus non est Ordinarij dispensatione cum illo, qui vult promoueri, non decursis interstitijs? Respondetur, quòd ante factum requiritur ad hoc, vt fiat cum causa, & auctoritate Episcopi; post factum non incurruntur pœnæ prædictæ, per regulam, Multa facta tenent, & ad euitandum peccatum, vt patet de impedimentis impedientibus Matrimonium, sed non dirimentibus; ante factum impediunt, post factum verò non: & tamen ante factum requiritur dispensatio Episcopi saltem, vide* Nauarr: cons: 6. & 12. loc: cit: & patet vulgatis.

Ad Trigesimum tertium, *Resp. Quòd inuenio tres aureas decisiones: quarum prima est,* Cæsar: de Grass: 20. de his, quæ vi, metusue causa fiunt. *vbi fuit dictum, talem sic ordinatum non teneri continere. Ratio est* secundum Rubin: in decis: 35. *quoniam continentia de sui natura requirit qualitatem libertatis; & à coactione debet esse aliena, & est voti, & non præcepti; quia continentia suaderi potest,*

 & non

& non præcipi nolenti. iuxta tex: & ibi notata in c. integritas. 32. q. 1. *Secunda est Decisio eiusdem* Cæsar: de Grass: 1. cit. tit. *vbi distinguitur, quòd ordinatus per vim conditionalem in subdiaconatu, si prius habebat vxorem, non tenetur continere: si verò non habebat, tenetur. Tertia Decisio est,* Sayr: cit: tit. *vbi fuit dictum, quod ordinatus sacris, metu, characterem recipit, sed continere non tenetur. ita refert etiam* Balb: in Decis: 16.

Ad Trigesimum quartum, *Resp. Quòd Religiosi, seu Canonici, siue Clerici Regulares, seu intra Claustra Monasteriorum, siue Domorum more Regularium in communi viuentes, qui nunquam, seu non nisi ad certum tempus professionem emittunt, & ex Claustro exire, vel dimitti ad sæculum liberè, & licitè possunt; si prætextu Religionis ante professionem se faciunt promoueri ad Ordines sacros absque titulo Beneficij Ecclesiastici, seu Patrimonij, iuxta decretum* Conc: Trid: sess: 21. c. 2. de reform: *sunt suspensi, ipso Iure, ab executione Ordinum prædictorum: & si in illis ministrauerint, eo ipso irregularitatem incurrunt. vt statuit* Pius V. in sua Constit: 74. incip: Romanus Pontifex. publicata die 12 Nouembris, anno 1568. Cuius tenor ponitur in fine huius capituli.

Ad Trigesimum quintum, *Resp: Quòd sic. quia Clericatus probatur per Bullas ostensionem Ordinum receptorum,* Rebuff: in tit. de forma literarũ cons: n. 28. Crauet: cons: 134. Mascard: de probat: concl: 304. n. 3. & con: 1145. n. 6. Menoch: de Præsump: lib. 6. præsumpt: 76. n. 3. *assignant rationem, quia per saltum posset esse promotus, prout ego expertus sum multoties. Multi enim Regulares aliquando non approbantur in exam: & dicunt suis Superioribus deinde initiatos fuisse, cùm re non sint initiati, & Superior sequendo fidem suorum Religiosorum, concedit illis alia vice literas dimissoriales, & testatur dictos Religiosos promotos, in quibus non fuerunt promoti: & ideò Sacra Congregatio iure optimo decreuit, vt Regulares teneantur accipere Bullas Ordinum receptorum ab Episcopis qui illos contulerunt, & Bullæ gratis illis dentur; prout passim obseruatur.*

Ad Trigesimum sextum, *Resp. Quòd Episcopus admittens ad Ordines ignaros, aut homines malæ vitæ, nullamque in hoc, aut parvam*

tuam faciens diligentiam, peccat mortaliter. c. penult: de ætate, & qualitate. Archidiac: in c. si qui. 1. q. 1. Card: Toletus in instruct: Sacer: lib. 5. c. 4 *& etiam Ordinati peccant*. d. c. penult.

Ad Trigesimum septimum, *Resp. Episcopus ordinans sine examine, debet deponi*. d. c. si qui. *Terribile est exemplum S. Leonis Papæ, de quo legitur, quòd dum precaretur à Deo veniam peccatorum, habuit responsum: omnia peccata ei fuisse dimissa, præter peccatum manuum impositionis, pro quo maiorem pœnitentiam agere deberet. In Sacra Scriptura habetur exemplum de Ieroboam impio, qui constituebat Sacerdotes de nouissimis populi, & quoscunque intercedente pecunia.* lib. 3. Reg. c. 13 *qui fuit grauiter à Deo punitus:* & de Iuda Machabæo, c. 3. Dicit Bernardus de Considerat: lib. 3. cap. vlt. *Homines malæ vitæ non sunt hîc ordinandi, sed vbi nullus ordo, & sempiternus horror inhabitat. Sanctus Ambrosius noluit ordinare quosdam iuuenes in incessu leuiter se habentes. Beatus Carolus, viros graues cum dignitate, & genere præstantes, qui interdum prouecta ætate, ad Ecclesiasticum Ordinem transibant, compellebat ad humilis Cleri munera exequenda, in custodienda, ac mundanda Ecclesia, Campana pulsanda, seruiendo Presbyteris in Missa. Si Nabuchodonosor Rex mandauit introduci in eius domum pueros eruditos omni sapientia, vt possint stare in Palatio Regis.* Daniel: c. 1. *Quales debet ordinare Episcopus, qui possint stare in domo Dei?*

Ad Trigesimum octauum, *R. Incredibile est quot mala oriuntur ex ordinatione indignorum: sæpè hæreses ortas esse tradit* Alphons: de Castro. de Iust: hæretic: punit: lib: 3. c. 5. *Nam Hussitarum hæresis initia enarrans* Æneas Siluius, lib. de orig: Bohemorum, c. 5. *ait: Sequebantur Ioannem Hus, Clerici ferè omnes, ære alieno grauati, sceleribus, ac seditionibus insignes, qui rerum nouitate euadere pœnas arbitrabantur: refert idem Alphons: delicta quæ committuntur à Clericis, qui ad hunc finem suscipiunt, vt sint exempti à foro seculari, sunt innumerabilia: quod ex negligentia Episcoporum, qui idiotas, & facinorosos passim ordinant sine aliqua diligentia, euenire dicit, & deplorat* Aluarez in spec: Sum: Rom: Pontif: c. 55. §. 9. *Vidi quamplures idiotas sacerdotes ex ignorantia tandem deuenisse ad conuersa-*

uersationem cum bannitis, & miserè interfectos fuisse : cuius rei causa fuit, quòd cum essent idiotæ, non considerabant sacerdotalem dignitatem, & omnium malorum causa Episcopi, qui diligentiam in conferendo Ordines non adhibuerant. Sanctus Ludouicus Episcopus Tholossanus, non nisi probatos, & ab ipsomet examinatos, ad Ordines admittebat.

Ad Trigesimumnonum, *Resp : Aliquos dicere, quòd propter penuriam aliorum, possunt non tam idonei Ordinari : Quibus respondetur, quòd nunquam ignari, aut aliàs inhabiles, sunt promouendi, neque propter penuriam aliorum.* Archid : in d. c. si qui. *nam satiùs est ordinare paucos bonos, quàm multos malos,* c. Tales. dist: 23. & d. c. pen: de ætat : & qualitat. *Quia Episcopi, sub peccato mortali, tenentur promouendos instruere,* d. c. penult. *Et Episcopus ordinans illiteratos, est suspensus per annum à collatione Ordinum.* c. Nullus. de tempor : ord : in 6.

Ad Quadragesimum, *Resp : Quòd peccat Episcopus, ordinans sacris sine titulo.* Hostien : in sum : de pœnit : §. cum Episcopus. & c. neminem. & c. Sanctorum. 71. dist: & c. Episcopus, de præbendis, *& debet illos alere.*

Ad Quadragesimum primum, *Resp : Quòd Ordines, siue Chrisma bis suscipiens siue conferens, non efficitur irregularis,* Sot : in 4. dist : 5. q. 5. D. Thom : de Sacram : disput : 38. lect : 1. & 2. Turrecrem : in c. dictum. de consecr : d. 4. Couar : in d. Clem : si furiosus, par : 1. in princ : n. 8. Tabien : verb : irregularitas. 4. §. 7. in fin : Tolet : in sum : lib : 1. c. 65. n. 3. *& de veriori opinione, & quòd sit sequenda, post multos allegatos, dicit* Sayr : thes : cas : consc : lib. 7. c. 8. n. 27. cum seq. *licet cõtrarium scribant* Archid : in c. qui bis, de consecr : d. 4. Anton : 3. p. tit : 28. c. 6. Nauar : in Manual : d. c. 37. n. 246. *qui se fundant super.* c. sicut. 68. dist : & d. c. dictum. *Sed cum talis irregularitas non sit in iure expressa, non est inducenda irregularitas, quæ non est iure expressa.* c. is qui. & ibi DD. de sent : excom : in 6. Card : in d. Clem : si furiosus. q. 12. Vbi etiam Couar : n. 3. Tolet. in

Sum :

Sum. lib:1.c.52. n.7. & d. c. 65. n. 3. & lib:3. c. in fin: *Quia cùm irregularitas sit iure Pontificio inducta, consequens est, vt nulla alia irregularitas sit, nisi quæ eodem iure exprimitur.* Sayr: thes: cas: consc: lib: 6. c. 2. n. 14. in fin.

Ad Quadragesimumsecundum, *Resp: Quòd ex* Constit: fel: rec: Clem: VIII. edita 1601. *quæ incipit,* Ecclesias. *Statuitur contra perditos, & nefarios homines, ad Sacrum Presbyteratûs Ordinem non promotos, Missarum celebrationem vsurpare præsumentes per hæc verba: Vt quicunque non promotus ad Sacrum Presbyteratûs Ordinem, repertus fuerit Missarum celebrationem vsurpare, vel Sacramentalem Confessionem audiuisse, à Iudicibus Sanctæ Inquisitionis, vel locorum Ordinarijs, tanquam Ecclesiæ misericordiâ indignus, à foro Ecclesiastico abijciatur, & ab Ordinibus Ecclesiasticis, si quos habuerit, ritè degradatus, statim Curiæ seculari tradatur, per Iudices seculares debitis pœnis plectendus.*

TENOR CONSTIT: BVLLÆ PII V.

est infrascriptus. Vide in Summa Bullarum Quarantæ, in verbo Ordo.

PIVS PAPA V.

ROMANVS Pontifex, Sacrorum Conciliorum auctor, & interpres, illa quæ in huiusmodi Concilio à prudentibus Patribus, in Spiritu sancto legitimè congregatis, salubriter sancita sunt, pro sui Pastoralis officij debito, dum æquitas, honestas, & decus suadet, sicuti declarare, & moderari, ita etiam alios casus extendere consueuit. Sanè cùm non deceat diuino ministerio ascriptos, cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere, Sacro Trid: Concilio inter alia decretum fuit, ne quis deinceps Clericus secularis, quamuis aliàs moribus, scientiâ, & ætate esset idoneus, ad sacros Ordines promoueretur, nisi prius legitimè

 con-

constaret eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficeret, pacificè possidere; vel aliâs ordinari non posset, nisi iuxta decreti, ab ipso Concilio desuper editi, formam & tenorem. Cùm autem nulla in huiusmodi decreto Religiosorum Clericorum mentio facta fuerit, ac propterea nonnulli (vti molestè accepimus) cæterorum Ordinum Religiosi, seu Canonici, vel Clerici, intra Claustra Monasteriorum, seu domorum, more Regularium in communi viuentes, qui nunquam seu nonnisi ad certum tempus professionem emittunt, & ex Claustro exire, vel dimitti, ad seculum redire liberè & licitè possunt; Religionis prætextu absque titulo sufficientis beneficij, nec iuxta dicti decreti tenorem, ad sacros Ordines se promoueri prætendunt, & à nonnullis Episcopis passim promoueantur, atque inde plerumque illud inconueniens eueniat, vt sic promoti, & à Claustro exeuntes, & per seculum vagantes, vel mendicare, vel sordidum quæstum exercere, non sine ipsorum dedecore, ac Ordinis vilipendio, & quàmplurimorum Christi fidelium scandalo, cogantur. Nos igitur qui singulorum Dei ministeriorum honorem, & decus (quantũ in nobis est) sinceris exoptamus affectibus, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac perpetuò valitura sanctione, decretũ prædictum de Clericis secularibus loquens, ad omnes, & singulos etiam cuiuscunque Ordinis Clericos Religiosos, siue seculares more Religiosorum viuentes in communi, non professos, harum serie extendimus, & ampliamus; ac Religiosis, & alijs prædictis non professis, vt ad sacros Ordines promoueri, nec non omnibus, & singulis Venerabilibus Fratribus nostris, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentibus, vt Ordines ipsos huiusmodi Religiosis personis impendere, nisi obseruata formâ dicti decreti, Nos virtute Sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ pœna, interdicimus, & prohibemus: ac contra facien-

facientes per annum à præstatione talium Ordinum ipso iure suspendimus. Statuentes, & decernentes promotiones quarumlibet Religiosarum personarum prædictarum ad Ordines huiusmodi, contra ipsius decreti Concilij Trid: formam, etiam cuiusuis licentiæ illis ab Apostolica Sede, vel illarum superioribus cuiuscunque dignitatis, statûs, gradûs, & præeminentiæ existant, etiam si Pontificiali dignitate fungantur, vel Cardinalatûs honore præfulgeant, concessæ, prætextu factas executione prædictorum Ordinum omninò carere, nullasque prorsus, & irritas existere, sicque promotas personas in altaris ministerio ministrare non posse. Quinimo ministrantes, priuilegijs, exemptionibus, immunitatibus, & alijs gratijs Clericis concessis omninò priuari; & irregularitatis, aliasque in dicto decreto contentas pœnas eo ipso incurrere, à quibus, nisi à Romano Pontifice, vel in mortis articulo, minimè absolui possint. Non obstantibus, &c.

DECRETVM APOSTOLICVM,

quo declaratur in Ecclesijs Regularium Episcopis Pontificalia exercentibus, aut Pontificalibus paramentis cum Mitrâ, vel etiam sola Cappa indutis, licere Baldachinum erigere.

DECET, Episcopis, pro eo, quo in Ecclesia DEI excellunt dignitatis gradu, in quocunque suarum Diœcesum loco, quoties eos ibi Pontificalia exercere, aut in Pontificalibus adesse, & assistere contingit, eam, quam par est, reuerentiã & honorem, decoro cultu, & ornatu exhiberi. Quare non sine graui animi dolore, auditum est, nonnullos Regulares, vano quorundam immunitatum, & priuilegiorum prætextu, Episcopis in eorum Ecclesijs in Pontificalibus interessentibus, non modò renuisse in eis supra locum Episco-

ſcopalis ſolij, Baldachinum erigere, verùm id etiam iuſſu ipſorummet Epiſcoporum curantes, prohibere, & arcere auſos fuiſſe. Atque ideò Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium, negotijs & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, facto verbo cum Sanctiſſimo Domino noſtro Clemente Papa VIII. ac de Sanctitatis ſuæ ſpeciali & expreſſo mandato hoc præſenti decreto, perpetuis futuris temporibus valituro, declarat, ſtatuit, decernit, & mandat, vt de cætero Epiſcopi, vbi tam ex conſuetudine, & priuilegio, quàm ex ſacrorum Canonum conſtitutionibus, & Pontificalis Romani præſcripto, aut alio iure, Pontificalia exercere, aut Pontificalibus paramentis, cum Mitra, vel etiam ſola Cappa indu-ti, in quibuſuis Regularium tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Monachorum, etiam Caſſinenſium, Clericorum, Presbyterorum, & cuiuſuis alterius Ordinis, & Religionis, Militiæ, Societatis aut Congregationis, Eccleſijs intereſſe poſſunt, ipſi Regulares, quoties opus fuerit, teneantur ibi, & debeant, in loco ad ſolium Epiſcopi conſtituendum opportuno & congruo, Baldachinum attollere. Eis autem id facere negligentibus, aut nolentibus, liceat eiſdem Epiſcopis illud aſportari, & in quacunque eorundem Regularium, aut alia quantumuis exempta Eccleſia, ſupra Epiſcopale ſolium, ſeu Pontificale Faldiſtorium, erigi facere, atque ſub eo ſedere & ſtare, quemadmodum in proprijs & Cathedralibus eorum Eccleſijs ſtare & ſedere ſolent; eo tamen duntaxat tempore, quo Pontificalibus aderunt, peragetur. Si qui verò Regularium huic declarationi, ſtatuto, decreto, & mandato, inobedientes, & contumaces fuerint, ſciant ſe ab eiſdem Epiſcopis ad id, per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, huius Decreti virtute, cogi, & compelli poſſe, alijſque pœnis, tam Spiritualibus, quàm temporalibus, arbitrio Summi Romani Pontificis ſubiacere, & obnoxios fore. Non obſtantibus quibuſuis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dictorum

Ordi-

Ordinum, Religionum, Militiarum, Societatum, & Congregationum, quocunque nomine censeantur, statutis, priuilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis, quibuscunque tenoribus, & formis, & cum cuiuslibet etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus & insolitis clausulis, ac irritantibus, & alijs decretis in contrarium præmissorum hactenus quomodolibet concessis, confirmatis & approbatis: quibus omnibus & singulis, etiam si talia essent, quæ sub generali expressione & derogatione non venirent, sed de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & indiuidua mentio habenda foret, eorum tenores, præsentibus pro expressis, & ad verbum insertis habens eadem Sanctitas sua, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogat, cæterisque in contrariũ facientibus quibuscumque. Romæ die 10. Iunij 1603.

Alex: Card: Flor: Episc: Prænestin.

Hier: Agucchius Secret.

QVÆSTIONES.

1. *An Episcopi, ante huiusmodi decretum, poterant prohiberi ab exemptis erigere Baldachinum in eorum Ecclesijs; & ipsis inuitis, exercere ea, quæ continentur in supradicto decreto?*

2. *Quæ sunt potissimæ causæ, ob quas Regulares negligentes, vel nolentes permittere erigi Baldachinum in eorum Ecclesijs Episcopis, debeant excommunicari?*

3. *Baldachinum quid sit?*

4. *Sedes Episcopalis, siue Thronus Episcopalis, quid significet?*

Ad Primum, *Resp. Quòd antea non poterant prohiberi ab exemptis.* Clem. Archiep. de priuil: Card: Zabar. in Clemẽt. 9. §. fin. *imò etiam eis inuitis, poterant exercere ea, quæ in* dicta Clement. *continentur, sed antea oportebat agere coram superiore exemptorum: vt dicit* Card. in dicta Clem. § finali, in fine. *sed hodie iuxta terminum huius decreti, Regulares negligentes, vel nolentes,*

possunt

possunt per Episcopos compelli censuris, & pœnis Ecclesiasticis, vigore huius decreti.

Ad Secundum, *Resp. Ex dispositione* Sacri Conc: Trid. in sess. 23. c. 3. *vbi censuræ relaxantur ex causa ardua: sed quæstio honoris dicitur causa ardua,* per tex. in l. inimicitia. in fine. ff. de his, quibus vt indignis, *etenim in tanto pretio honor haberi debet, quòd pari passu cum vita ambulet.* l. ff. de manumiss: vindict. *quia interesse honoris dicitur: & est maior omni alia re.* Cassan. in suo Catalogo gloriæ mundi, considerat. 2. par. 1. *& ideo de iure Ciuili, qui non præstat honorem, puniendus est.* l. singuli. & l. sciant. C. de offic. diuers. iudic. l. 1. C. de domest. & protect. lib. 12. *Ea propter iure optimo, ex supradictis rationibus, & ex dicti decreti præfati dispositione, Episcopi possunt compellere in præmissis per censuram Ecclesiasticam, Regulares contumaces in prædictis.*

Ad Tertium, *Resp. Quòd Baldachinum apud antiquos Romanos non inuenitur, & est vox Itala, quam solùm inueni in* lib. 1. sacrarum cæremon: Ecclesiæ, cap. de consecrat. & coronat: Summi Pontif. & c. de process. Pontif. & Cæsaris per Vrbem, in pluribus locis. *Est igitur Baldachinum Episcopi tegmen solij ipsius Episcopi in throno stantis, siue insedentis. Regina Saba salutando Salomonem,* 3. lib. Reg. c. 10. ℣. 9. dicit: *sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti, & posuit te super thronum Israël, eò quòd dilexisti Dominum in sempiternum, & constituit te Regem, vt faceres iudicium, & iustitiam. dicit ibi glossa, thronum Regis tegmine adornatum est.* & Prouerb: c. 20. ℣. 8. *Rex qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum. Item* Athen: lib. 12. c. 3 *ait: Persarum Reges, quamuis delicijs addicti, tamen Ius in aureo solio, & purpureo tegmine coperto, dicebant.*

Ad Quartum, *Resp. Ex decretis Vrbani Papæ Primi, vt habetur in* Sum: Concil *in hæc verba: Quòd autem sedes in Ecclesijs Episcoporum excelsæ, constitutæ, & præparatæ inueniuntur, vt thronus speculationem, & potestatem iudicandi, & soluendi, atq; ligandi, à Domino sibi datam materiam, docet, vt* Matth: c. 16. legitur:

Quæcun-

Quæcunq; ligaueris,&c. & Ioan. c. 20. *Quorum remiseritis.* & inferiùs : *Valde enim timenda est sententia Episcopi, licet iniustè liget aliquem.* c. Quibus Episcopis. 11. quæst. 3. *significat vigilantiam Episcopi super gregem.* Ezech. cap. 23. & 24 *vbi habetur : Speculatorem dedi te domui Iudæ. &c.*

BVLLA FEL: RECORD: CLEM: VIII.

Quæ ordinarijs locorum prohibet, licentiam concedere, cuiuscunque etiam Mendicantium Ordini, nouos Conuentus erigendi, nisi vocatis, & auditis aliorum Conuentuum Procuratoribus, & alijs interesse habentibus, & causâ cognitâ sine aliorum detrimento, commodè sustentari posse. §. 1. Appellationem etiam suspensiuam ab eorum sententijs ad Sedem Apost : concedit. §. 2.

QVONIAM ad institutam Regularium locorum & personarum reformationem promouendam, & conseruandam, maximè pertinet, vt in quibusque Domibus & Monasterijs, tantus numerus Religiosorum, qui commodè ibidem ali possit, contineatur, ac eò pariter spectat, vt in quibusque Ciuitatibus & locis, aliorum domorum & Monasteriorum in eis existentium habitâ ratione, commodè sustentari posse dignoscantur.

1. Hac igitur Nos consideratione ducti, & in præmissis pro nostro Pastorali munere opportunè prouidere volentes: Motu proprio & ex certa nostra scientia, ac matura deliberatione, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ex voto etiam Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E Cardinalium, super Constitutionibus, & negotijs Episcoporum, & Regularium Præpositorum, harum serie declaramus, Locorum Ordinarios non posse licentiam ad nouos Conuentus, cuiuscunque Men-

que Mendicantium Ordinis, in Ciuitatibus & locis eorum ordinariæ iurisdictioni subiectis, erigendos impertiri, nisi vocatis & auditis aliorum in eisdem Ciuitatibus & locis existentium Conuentuum Prioribus, seu Procuratoribus, & alijs interesse habentibus, & causa, seruatis seruandis, cognita constiterit, in eisdem Ciuitatibus & locis nouos huiusmodi erigendos Conuentus, sine aliorum detrimento commodè sustentari posse.

2. Si verò ab eorum in huiusmodi causis, & sententijs, ad Nos & Apostolicam Sedem prouocari & appellari cōtigerit, ipsos Ordinarios tam diu erectionem nouorum Cōuentuum suspendere debere, quousque à Nobis & Apostolica Sede, in eadem causâ pronunciatum extiterit. Irritum nihilominus & inane decernentes, quicquid secus super his à quoquam, quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

3. Quocirca vniuersis Venerabilibus Fratribus nostris, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs locorum Ordinarijs per præsentes, in virtute sanctæ obedientiæ, districtè præcipiendo mandamus, vt præsentes nostras literas obseruent & obseruari curent & faciant.

4. Non obstan: quibusuis Apostolicis, ac in vniuersalibus, Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs, editis generalibus vel specialibus constitutionibus & ordinationibus, ac quibuscunque statutis & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quauis firmitate aliâ roboratis, Priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus & singulis, eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus. Cæterisque contrarijs quibuscunque.

5. Volumus autem vt præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius

personæ

personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ, apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die 23. Iulij, Anno Millesimo Sexcentesimo Tertio, Pontificatûs Nostri Anno Duodecimo.

CONFIRMATIO, ET AMPLIATIO

Constitutionis Clem: VIII. circa nouorum Conuentuum Regularium erectiones.

GREGORIVS PAPA XV.

CVM aliàs fel: rec: Clemens Papa Octauus decreuerit, Ordinarijs locorum licentiam ad nouos Conuentus cuiuscunque, præsertim Mendicantium, Ordinis, in Ciuitatibus, & in locis eorum ordinariæ iurisdictioni subiectis erigendos, impartiri non posse; nisi vocatis, & auditis aliorum in eisdem Ciuitatibus, & locis existentium Conuentuum Prioribus, seu Procuratoribus, & alijs interesse habentibus, & causâ seruatis seruandis cognitâ, in eisdem Ciuitatibus & locis nouos huiusmodi erigendi Conuentus, sine aliorum detrimento, commodè sustentari posse constiterit. Si verò ab eorum sententijs ad Sedem Apostolicam prouocari, & appellari contigerit, ipsos Ordinarios tam diu erectionem nouorum Conuentuum suspendere debere, quam diu à dicta Sede in ea causa pronunciatum extiterit; ac aliàs, prout in decreto huiusmodi pleniùs continetur.

2. Verùm per piæ mem: Paulum Papam Quintum accepto, plerosque ex Ordinarijs prædictis, fauore, vel nimiâ exposcentium importunitate ad nouos Conuentus, seu Domus, præter, & contra tenorem prædicti decreti erigendos, ple-

rumq; adduci; quò fit, vt non habitá debitá eleemosynarum, seu reddituum cuiuscunque Monasterij, Conuentus, seu Domûs ratione, Monachi, seu Fratres, aut Religiosi ibi degentes, manuteneri nequeant, & ad tam exiguum numerum reducantur, vt cultus Diuinus in eorum Ecclesijs destituatur, ibique regularis disciplina, vt conuenit, conseruari non valeat: Sacra Congregatio Illustrissimorum DD. Cardinalium negotijs Regularium Præpositorum, ad quos idem Paulus Papa V. negotium huiusmodi reiecerat, tot incommodis obuiam ire, eisque aliquod opportunum remedium adhibere cupiens, decreti huiusmodi veriores, ac totos tenores præsentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro plenè & sufficienter expressis habens, viuæ vocis oraculo à SS. D. N. Gregorio Papa XV. habito, decretum prædictum, quatenus opus sit, innouat, & in vsum reducit.

3. Volens, quòd de cætero Monasterium, Conuentus, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium cuiuscunque, etiam Mendicantium, Ordinis, Societatis, & Instituti, quocunque nomine nuncupentur, etiam si de illis particularis, expressa, & specifica mentio habenda esset, in quacunque Ciuitate, vel Oppido, seu quocunq; alio loco, non erigantur, nisi in eo saltem duodecim Fratres, aut Monachi, seu Religiosi, inhabitare, ac ex redditibus, & consuetis eleemosynis sustentari valeant; ac Priores, seu Procuratores aliorum Monasteriorum, Conuentuum, seu Domorum, aliarum Religionum, vel Congregationum, aut Societatum, seu Institutorum huiusmodi, non solùm in prædictis, sed etiam in alijs per quatuor millia passuum circumuicinis locis, ad id vocati, & auditi fuerint, ac tali erectioni consenserint, vel aliâs Ordinarijs locorum constiterit, Religiosos Monasterij, Conuentûs, seu Domûs Regularis, sic erigendi, seu erigendæ, absque detrimento Religiosorum, in Monasterijs, seu Domibus antea in Ciuitatibus, seu locis huiusmodi erectis, degentium,

 ibi in

ibi in numero duodecim, commodè, & congruè manutene-ri, & ali posse. Si verò noui Conuentus, Domus, Congregatio, vel Societas huiusmodi, instituendæ erunt, nullique alij Regulares inibi reperiantur; Ordinarij locorum nihilominùs diligenter inquirant, ac locorum incolæ, & habitatores, quorum & consensum requirant, ac adhibeant, huiusmodi duodecim Religiosos in Conuentibus, vt præmittitur, instituendis, commodè alere, & manu tenere valeant.

4. Si verò à decreto, seu decretis, per Ordinarios prædictos in causis huiusmodi ferendis, legitimè appellari contigerit; ex nunc, prout ex ea die, qua appellatio interponetur, ea ad eandem Sacram Congregationem, vnà cum toto negotio principali deuoluta censeatur: appellationeque huiusmodi pendente, nihil innouandum esse, irritumque, & inane, quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernentes: quibuscunque in contrarium facień: non obstantibus. Romæ 17. Augusti, 1622. *Ant: Card: Saulius.*

REVOCATIO QVARVMCVNQVE

Licentiarum, à Prædecessoribus Pontificibus, loca Regularia erigendi, non seruatâ formâ Constit: Clem: VIII. & Decretorum Sedis Apostolicæ concessarum, quæ nondum effectum suum sortitæ sunt. Ac prohibitio illa de cætero erigendi absque licentiâ Ordinariorum, & Sacris Canon: Concilioque Trident: necnon Clem: Octaui, & Gregorij XV. Constitutionibus non seruatis. In hac reuocatione sunt Sacri Canones enunciati Bonifacij Octaui in c. 1. de statu Regul: in 6. & Concil: Trid: cap. 3. & 5. sess. 25. necnon Clem: VIII. Const: 99. in Bull: tom: 3. pag. 146. & Const: 31. Greg: XV. prout suprà.

VRBANVS PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex, cui Saluator & Dominus noster, qui Charitas est, & Deus pacis, Vniuersalis Ecclesiæ credidit Principatum, ea interdum, quæ certis etiam rationabilibus de causis, à Sede Apostolica concessa sunt, ipsâ subinde rerum experientiâ suadente, & maioribus ex causis, quibus præsertim personarum, sub suaui Religionis iugo, Altissimo famulantium, paci & quieti consulitur, litibusque ac controuersijs inter eos obuiam itur, reuocat & immutat, in hisque Pastoralis sollicitudinis, & prouidentiæ suæ, studium interponit, prout rerum & temporum qualitatibus debitè pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire.

1. Cùm itaque, sicut Nobis innotuit, complures licentiæ, siue facultates, à nonnullis Romanis Pont: Prædecessoribus nostris, per diuersos Ordinum, etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, & aliorum Regularium Institutorum Superiores, seu alios eorum nomine, vbique locorum Monasteria, Domos, Collegia, Conuentus, & alia loca Regularia, quouis nomine nuncupata, seruatâ duntaxat Sacrorum Canonum, & Concilij Trident: decretorum formâ, de sola Ordinarij licentia, seu etiam forsan non seruatâ formâ, & absque licentia huiusmodi; & contra decreta à Sede Apostolica super præmissis edita, fundandi, erigendi, & instituendi, importunis precibus, seu etiam motu proprio, vel alias obtentæ & extortæ fuerint: idcircò Nos, omnes, & quascunque licentias, ac facultates huiusmodi, literasque desuper, tàm sub plumbo, quàm in huiusmodi forma Breuis desuper expeditas, earumque teñ: etiam veriores, & Dat: præsentibus, ac si specificè, & sigillatim exprimerentur, & insererentur, pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis,

ſertis habentes, iuſtis de cauſis animum noſtrum mouentibus, motu proprio, non ad alicuius Nobis ſuper hæc oblatæ petitionis inſtantiam; ſed ex certâ ſcientiâ, ac maturâ deliberatione, Noſtrâ, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnes, & quaſcunque licentias, & facultates huiuſmodi, literaſque deſuper, tàm ſub plumbo, quàm in eadem forma Breuis expeditas: omniaque & ſingula in eis quomodolibet contenta, & expreſſa; etiam quo ad erectiones, fundationes, & inſtitutiones Monaſteriorum, Collegiorum, Domorum, Conuentuum, & aliorum Regularium locorum huiuſmodi, quæ ſuum nondum ſortitæ ſunt effectum, tenore præſentium perpetuò reuocamus, caſſamus, abrogamus, & annullamus, viribuſque & effectu prorſus euacuamus.

3. Præterea Ordinum etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, & aliorum Inſtitutorum Regularium Superioribus, quocunque nomine nuncupatis, cæteriſque perſonis ad quos ſpectat, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, necnon officiorum quorumcunque, ac inhabilitatis ad illa, & alia in futurum obtinen: necnon etiam excommunicationis ipſo facto incurrendis pœnis interdicimus, & prohibemus, ne licentiarum, ſeu facultatum per Nos, vt præfertur, reuocatarum, & annullatarum, ſiue alio quouis prætextu vel cauſa, etiam quantumuis priuilegiata noua Monaſteria, Collegia, Domos, Conuentus, & alia loca Regularia huiuſmodi, niſi de expreſſa Ordinariorum licentia, ac ſeruata in omnibus, & per omnia ſacrorum Canonum, & Conc: Trid: necnon Conſtitutionibus fel: rec. Clem: VIII. quæ incipit, Quoniam ad inſtitutam, ſub dat. Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die xxiij. Iulij, 1603. ac Decretorum de mandato eiuſdem Clementis, necnon ſim. me. Gregorij XV. Rom: Pont: prædeceſſorum ſuper editorum forma recipere, erigere, fundare, ſeu aliàs quomodolibet inſtituere, ſeu incepta finire, & abſoluere audeant, ſeu præſumant.

3. Decernentes præsentes literas etiam ex eo, quòd causæ propter quas illæ emanârint, expressæ, verificatæ, & iustificatæ; aut quicunque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes, ad hoc vocati, citati, & auditi non fuerint, neque illis concesserint, vel aliàs, ex quibuscunque, capite, prætextu, colore, ingenio, vel causa de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quouis defectu notari, impugnari, redargui, refringi, retractari, in ius, vel controuersiam vocari, ad terminos iuris reduci, aut contra eas quoduis gratiæ vel iustitiæ remedium impetrari, seu concedi nullatenus posse; sed eas, ac omnia, & singula in eis contenta semper, & perpetuò valida, firma, & efficacia esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, inuiolabiliter obseruari, sicque & non aliter per quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales de latere Legatos, & Nuncios, quauis auctoritate fungentes, sublatâ eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam, quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

4. Quocirca Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs locorum Ordinarijs per præsentes committimus & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios, præsentes literas, & in eis contenta quæcunque, solenniter publicari faciant, illas, & illa ab omnibus & singulis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inuiolabiliter obseruari: contradictores quomodolibet, & rebelles per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaq; opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis.

5. Non

5. Non obstantibus præmissis, ac regula nostra de iure quæsito non tollen. & fel: mem: Bonifacij Papæ VIII. similiter Prædecessoris Nostri, de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodò vltra tres dietas aliquis, auctoritate præsentium, ad iudicium non trahatur, alijsq; Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quorumcunque Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum Regularium, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, etiam Mare magnum, vel aliâs quomodolibet nuncupatis, & literis Apostolicis, illis, eorumque Superioribus, & personis, sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusuis derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritan: & alijs decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, & consistorialiter, ac aliâs quomodolibet in contrarium præmissorum, quomodolibet concessis, confirmatis, & sæpius innouatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbũ, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, eorum omnium tenoribus præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat, specialiter & expresè, derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque.

6. Volumus autem, quòd præsentes in valuis Basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe, ac in acie Campi Floræ, vt moris est, affixæ, omnes, quos illæ concernunt, ita arctent, & afficiant, perinde ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent.

7. Quodque earundem præsentium transumptis, etiam impres-

impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die 28. Augusti, 1624. Pontificatus nostri Anno Secundo.

QVÆSTIONES.

1. Si Regulares vellent mutare de vno loco ad alium Ciuitatis, an requiratur licentia Ordinariorum?

2. Quid si solummodò vellent ampliare?

3. An supradicta Bulla Clementis VIII. de non concedenda licentia mendicantibus noua ædificare monasteria, comprehendat hospitia?

4. An Episcopus concedere possit licentiam construendi noua Monasteria absque causæ cognitione?

5. An Appellatione Conuentuum comprehendatur Congregatio Regularium?

6. Vt construatur Monasterium non Mendicantium, quantum de iure assignandum sit?

7. An quis cogi possit vendere domum propriam pro conseruanda, vel amplificanda Ecclesia?

8. An Episcopus possit quem cogere ad vendendum suum pro reædificatione Monasterij, vel loci pij, & an pro Claustro, & Scholis fabricandis?

9. An Episcopus compellere valeat vicinum ad vendendam Religiosis seruitutem altiùs non tollendi, etiam via publica intermedia?

10. An cogere possit Episcopus vicinos ad vendendum domos pro ampliatione hospitij Religiosorum?

11. An habens domum communem, si mandet in eam construi Ecclesiam, teneatur socius inuitus vendere partem suam?

12. An priuilegium concessum Ecclesiæ, & locis pijs, vt possit cogi vicinus

vicinus ad vendendam domum pro eorum ampliatione, possit Episcopus extendere etiam ad locationem?

13. An valeat iudex secularis arbitrari, an vicinus possit cogi ad vendendum, consideratis circumstantijs ad mouendum arbitrum?

14. An legatum factum Monasterio, vel Ecclesiæ construendæ, debeat tradi cum fructibus medij temporis?

15. An si legatum sit factum pro aliquo pio loco construendo, possint exequutores, si bona relicta ab alijs detinentur, auocare à quolibet possessore?

16. An debeatur legatum, factum Monasterio, vel alteri pio loco construendo, si adhuc locus ædificij non esset designatus?

17. Monasterium, vel Collegium, si cœptum esset & non perfectum, an habeatur pro perfecto, vt possit capere donationes sibi factas?

18. An construens Monasterium, vel Ecclesiam sine consensu Episcopi, possit deinde facere?

19. Si testator mandat Ecclesiam construi in fundo suo, an censeatur donâsse totum fundum Ecclesiæ?

20. An legatum dotis factæ Ecclesiæ constituendum debeatur statim ante consummationem?

21. An Episcopus possit prorogare tempus à testatore statutum ad constructionem Ecclesiæ?

22. An certus Religiosorum numerus cuicunque Monasterio, Conuentui, ac domui Regulari præfigendus sit?

Ad primum, *Resp: Quod affirmatiua opinio verior videtur, quia mutare, & de nouo construere, æquiparantur in hac materia, ob identitatem rationis, vt mihi probat* tex: in cap. 1. de excessib. Prælatorum in 6. & in Clem: 3 de pœnis.

Ad Secundum, *Resp: Licentiam non esse necessariam, quia additamentum dijudicatur, sicut antiquum Monasterium, cui additur. Ita per* text: in cap. fin. de concess: præb: in 6 & tenet in puncto Rod: de quæst. Regular: tom: 2. quæst. 49. art. 9.

Ad Tertium, *Resp: Quòd cùm hic casus propositus esset in Curia Archiep: Neapolit: fuit resolutus iuxta Bullam Clem: VIII.*

 dispo-

disponentem, non posse Ordinarios licentiam ad nouos Conuentus cuiuscunque, etiam Mendicantium, Ordinis in Ciuitatibus, & locis eorum Ordinariæ Iurisdictioni subiectis, erigendos impartiri, nisi vocatis, & auditis aliorum in eisdem Ciuitatibus, & locis existentium Conuentuum Prioribus, seu Procuratoribus, & alijs interesse habentibus; & causâ, seruatis seruandis, cognitá, constiterit in eisdem Ciuitatibus, & locis, nouos huiusmodi erigendos Conuentus, sine aliorum detrimento, commodè sustentari posse: non comprehendere hospitia, ex regula iuris, quòd appellatione Monasterij, non venit hospitium. Gallin: conſ: 326. num: 6. Haraman. conſ: 13. n. 4. & ſeq. *Hinc est, quod Heremitis Ordinis Camaldulensium, quibus prohibetur Conuentus facere prope Ciuitates, secundum* Tap: in Auth: ingreſſi, in verb: Monaſteria. cap. 40. C. de ſacroſan: Ecc: *permittitur tamen habere prope Ciuitates hospitia, quia tunc ibid: considerantur vti viatores, secundum* Iaſ: in l. plerique, num: 18 ff. de in ius voc: *nec dici possunt ibidem propriè, & verè habitare.* l. 1. §. habitare. ff. de his, qui deiecer. vel effud: l. pen: §. in factum. ff. nautæ, caup: & ſtabular. *Quare dixit* Bald: in l. ea, quæ. in fin: C. quom: & quand: iud: *quem sequitur* Iaſ: in cit: l. quia plerique, *quòd si statutum puniet offendentem aliquem in domo, non comprehendit offendentem in hospitio: sequitur* Alciat: in l. ſubſignatum. num: 4. ff. de verbor: ſignif: Alex: conſ: 213. num: 5. vol: 2. Rub: conſ: 22. Cancer: conſ: 22. num: 5. *Non obstat, quòd Monasterium dicitur omnis Monachorum statio, secundum* Panorm: in c. Monaſteria. de vit: & honeſt: Cler: quem ſequitur Iaſ: in l. 2. §. mutui datio. ff. ſi cert: pet: *quia respondetur, procedere de firma habitatione Monachorum, non autem de illa, quæ fit per transitum, vt in hoc casu: prout dicit* Aloyſ: Riccius in prax: rer: for: Eccl: deciſ: DCLII fol. 699.

Ad Quartum, *Resp: Bullæ Clem: VIII. dispositionem, & tenorem, adeò inducere formam, & esse de substantia, vt eius omissio vitiet concessionem, vt scribit* Grat: lib: 3. diſcept: forenſium cap. 527. *cuius ratio est, quia in dicta Bulla extat clausula decreti irritantis,*

tis, quæ operatur nullitatem, & omnia in oppositum destruit. Rota diuers: decis: 24. n. 5. par: 2. Menoch: de recuperand: remed: 16. n. 444. Gonzal: ad Reg: 8. cancell: glos: 67. n. 12. cum seqq. *ità, vt per dictam clausulam etiam inficiatur omnis titulus, & possessio, quæ prætenditur capta;* Bisignettus decis: 1. n. 6. ad med: vers: & esto quòd sufficeret. de restitut: spoliat: Citataq. decis: 17. n. 1. par: 3. Gomez de annali reg: 14. n. 5. vers: postremo. Cassador: decis: 11. n. 5. super regul: cum alijs per Soc: cons: 63. eadem die. col: penult: ad fin: n. 9. lib: 3.

Ad Quintum, *Resp: Quòd sic, ita* Gemin: in c. si Religiosus. §. quia verò. notab: 3. de elect: in 6.

Ad Sextum, *Resp: Quòd ad construendum Monasterium tanta dos de iure assignari debet, quòd in eo esse possint Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Cantores, & Lectores, & quòd in eo debent hospites recipi, & iura Episcopalia solui.* text: in terminis, in c. de Monach: de præbendis. & text: in c. 15. cui: eod: tit: in 6. Menoch: in cons: 159. n. 3. & seq.

Ad Septimum, *Resp: Communis est Doctorum conclusio, quòd pro Ecclesia construenda, vel amplianda, Religionis fauore, cogi possit quilibet ad vendendum domum suam: ita* Bald: & Ang: in l. 1. ff. solu: matr: Florian: Affin: in l. si quis sepulchrum. ff. de Relig: & sumpt: fun: Fel: in c. omnes. dist: 1. Cepol: de seruit: Vrb: præd: c. 82. de sepulchro. Afflict: in proh: constit: Regni. q. 3. *dicens ita fuisse decisum, nempe in fauorem Monasterij S. Hieronymi: & multi alij, quos refert, ac testatur de communi opin. Amplia 1. supradictam comm: opinionem non solum in ampliatione, & construct: Ecc: sed etiam pro construenda domo propè Eccl: in qua habitet Clericus, qui debet Eccl: inseruire, vt possit quis compelli ad vendendum domum suam, ita* Paul: de Cittadin: de iure, p. 1. q. 3. n. 174. Surd: pulchrè, cons: 62. vol: 1. *Amplia secundò, non solum pro ampliat: Eccl: sed etiam pro atrio ante Eccl: construendo, cum atrium dicatur pars Eccl: & sine eo esse non debeat:* C. si quis in atrio. 17. quæst. 4. arg. l. quæ de tota. ff. de rei vendic: & ita fuit

Neap. iudicatum. vt tradit Carol: Sapia, pragm: per me mali.

Ad Octauum, *Resp: Quòd sic. Ita tenent* Franc: Marc: decis: 536. par: 1. Giurb: decis: 86. Gaspar Thess: quæst. 64. par. 1. Costa: de remed: subsidiarijs. c. 65. *& quod quis cogitur etiam vendere pro Claustro, & scholis fabricandis tenet idem* Marc: decis: 534. n. 5. par. 1. & cons. 3. n. 19. Cost. de remed: subsidiar: remed: 76. n. 9. Molin: disp. 341. n. 2. *& pro dormitorio extendendo;* Soc: regu: 435. Fallen: 8. Scot: d. cons: 3 num: 17. Gramm: decis: 75. Ball: pragm: 1. n. 4. *& pro Monasterij viridario, eiusdemque viridarij ampliatione,* Cost: de remed: 76. n. 9. Mar: Ant: Macer: lib: 1. resol: 112. cas: 29. Cepol: in tract: de seruit: in rubr: de sepul: c. 82. n. 5. Guliel: in c. Rainutius, in verb: do num. n. 27. de test: *limitatur tamen hæc conclusio, quando ampliatio petitur ad complacendum alijs, non pro cultu diuino; tum non debet quis compelli ad vendendum,* Guido Papæ, decis: 411. Vincent: de Franchis, decis: 223. *quod non videtur procedere in dubio, &* Bald: in lib: altius. c. de seruit: Cepol: loc: cit: rubr: de fenest:

Ad Nonum, *Resp: Quòd sic; dummodo Ecclesia pro se petat, non vt alijs complaceat* Francisc: decis: 223. n. 4. n. 5. & 7. Pallel: in l. altius. n. 19. C. de seruitut: & Riccius, decis: 138. par: 1.

Ad Decimum, *Resp: Quòd non, quia priuilegium Ecclesiæ concessum cogendi vicinos ad vendendum Ecclesijs, non extenditur ad Hospitia.* Ricc: d. decis: qui allegat alios Authores.

Ad Vndecimum, *Resp: Quòd sic. nam Ecclesia æquiparatur libertati, & ratio, quæ est in libertate, viget in Ecclesia.* c. cum dilecta. de confir: vtil: vel inutil: *quod comprobatur ex notabili doctrina* Bal: in l. 1. C. de com: ser: manu: *vbi fauore libertatis, si lego libertatem seruo communi mihi cum Titio, tenetur Titius vendere partem inuitus, &* ibi dicit Bal: *idem esse in Ecclesia construenda.* Vasq. de success: primogen: lib. 3. §. 29. n. 4. & seq.

Ad Duodecimum, *Resp: Quòd licet prima facie videatur dicendum, quòd sic, cum hoc sit in fauorem, & priuilegium Ecclesiæ, vt pro am-*

pro ampliatione Ecclesiæ possint cogi vicini ad vendendum, & debeat extendi etiam ad locationem, argum: tex: in l. quidam. ff. de lib: & posth: *maximè cùm apud sacros Canones alienatio & locatio, pari passu ambulent, vt sentit:* Rot: in vna Nouariensi bonorum, 8. Martij. 1593. coram Penia: *Nihilominus contrarium est dicendum, quia iura dederunt hoc priuilegium alienationi tantùm, vt patet* in l. si quis sepulchrum. ff. de relig: & sumpt: funer: & ex latè traditis per Gram: in decis: 76. *Nec obstant contraria, præsertim illud de locatione, quòd æquiparatur alienationi, & tunc locando dicitur quis alienare:* l. si quis ante. ff. de acquirend: poss: *& ex ea transfertur possessio, & vtile Dominum:* Glos: in l. 3. §. ex contraria via. ff. eod: tit: *Secundò quia locatio ad modicum tempus, Dominum non mutat:* Mastrill: decis: 4. *Item quia prohibitus alienare, non censetur prohibitus locare ad modicum tempus; quia locatio ad modicum tempus non dicitur alienatio,* vt per Ias: in l. manumissiones. lib: de Iust: & iure.

Ad Decimumtertium, *Resp: Iudicem secularem, nullum habere arbitrium in proferenda sententia, moderando leges, vel Canones, aut contra communes Doctorum opiniones pronunciando in præiudicium Religionis: arbitriũ enim Iudicis debet esse iuri consonum,* c. nunc autem. vbi declarat Præpos: dist: 21. Bellam: decis: 452. *nec potest aliter arbitrari, quàm iura, & scribentium authoritas suadeant.* Bellam: decis: 748. Gabriel: cons: 36. n. 52. vol. 1. vers: hoc autem arbitrium. & in cons: 14. n. 8. vol: 1. Gandin: in tit: de quæst: & tormen: n. 41. vers: nam secundum iura: Mars: in pract: crimin: in §. diligenter. n. 25. & in singul: 397. incip: Arbitrium. Menoch: de arbitr: lib. 1. quæst. 9. n. 3. & seq. & quæst. 77. n. 1. Matthæus Gribaldus, in 1. tomo commun. opin. in suis regulis, in reg: incipien: Arbitrium Iudicis. Alber: in 3. par: statutorum. q. 32. Item quæro n. 2. *vbi dicit quòd licet Iudex habeat arbitrium, tamen debet se vnire ius commune nam arbitrium, quod conceditur Officialibus, debet semper reduci, atque restringi ad ius commune, nisi quo ad modum procedendi, & circa aliqua leuia, &*

 ita dicit

ita dicit esse communem opinionem, quem citat, & sequitur Clar : in §. final : q. 31 vers : arbitrio. & dicunt Cataldin : in tract : de syndicatu. q. 109. & Amedeus. in eod : tract : n. 145. *quòd in casu contrarij tenentur Iudices in syndicatu ; & scribit de hoc* Bertazolus in cons : 306. n. 2. & cons : 332. n. 7. vol : 2. *sed derogare legibus, & communi opinioni ad fauorem Religionis, non est potestatis secularis*, c. Ecc : S. Mariæ. de constit : & ibi notatur per DD. *Quare nullo modo posset Iudex secularis, iuxta opin : Couar : in præsenti casu arbitrari, an possit vicinus cogi ad vendendum, consideratis circumstantijs ad mouendum arbitrium : sed secundum Doctorum sententiam, & consuetudinem iudicandi, sententiam proferre.*

Ad Decimum quartum, *Resp : Quòd sic, per* tex : in l. si ita relictum. §. Pegasus. ff. de leg : 2. *vbi dicitur, quòd si relinquitur prædium, in certum diem, puta post decem annos, vel cum legatarius erit pubes, debetur prædium cum fructibus medij temporis, si dies fuit apposita fauore legatarij, non hæredis : Sed in casu Ecclesiæ construendæ apponitur dies fauore Ecclesiæ, quia si fuisset constructa tempore testamenti, testator reliquisset de præsenti, non in diem. facit* tex : in c. Nos quidem. de test : *vbi debetur relictum Ecclesiæ construendæ sine diminutione. Ita tradit.* Card : Zabar : & Abb : in d. c. Nos quidem.

Ad Decimum quintum, *Resp : Quòd sic, secundum Angel :* in cons : 129. Incipien : bona dicti testatoris, *vbi ait, quòd si est factum legatum omnium bonorum Hospitali construendo, possunt exequutores, si bona relicta ab alijs detinentur, intentatis actionibus competentibus auocare à quolibet possessore iuxta* l. si quis ad declinandum ; & l. nulli : C. de Episcopis, & Cler. & l. si quis sepulchrum. §. funeris. ff. de relig. & sumpt. fun. cum alijs, *& de legato facto Ecclesiæ construendæ multa vtilia scripsit* Gratianus discep : foren : tom : 2. c. 358. *ad quem te remitto.*

Ad Decimum sextum, *Resp : Fauore vltimæ voluntatis & piæ causæ, non efficitur caducum.* Glos : commun : approbata, in c. 3. in verbo, in loco, de testa. & post alios Couar : ibidem c. 3. n. 12.

Ad Decimum ſeptimum, *Reſp: Poſſet, quia partus conceptus in his, per quæ producitur in eſſe, habetur pro nato, & eius priuilegijs gaudet.* l. penult: ff. de ſtatu Homin: per quem text: ſic cenſuit Rota in deciſ: antiquior: Biſigneti in tit: de teſt: deciſ: 1. n. 4.

Ad Decimum octauum, *Reſp: Quòd conſtruens Monaſterium, vel Eccleſiam ſine conſenſu Epiſcopi, non poteſt illud poſtea deſtrui facere; ex regula illa, quod ſemel Deo dicatum, amplius ad humanos vſus reuerti non debet* cap. ſemel Deo, de reg. iur. in 6. & dicit Dom: in c. 2. de præben: in 6. *quòd poſtquàm Eccl: eſt ædificata, non poteſt reuocari donatio ei facta, quia facta eſt Deo. eodem modo in caſu noſtro, ex quo Eccl: ſemel fundata eſt pro cultu diuino, & ſic pro ſeruitio Dei, non poterit per ipſum ædificantem dirui & reuocari.*

Ad Decimum nonum, *Reſp: Negatiuè.* Franch. in c. Abbate ſanè, de re iudicata. in 6. *& ſimiliter ſi teſtator legauit Ecc: annuam quantitatem ſuper aliqua domo, non intelligitur legâſſe dominium domus, & ideò illud in Eccleſiam non transfertur.* Specul: de locato §. nunc aliqui. verſ. 118. *& hæres. poteſt alienare cum onere ſuprad: ſine conſenſu Rectoris.* Ripa, reſp. 4. vol. 2. Mantica, de coniectur: vlt. vol. lib. 9 tit. 11. n. 46.

Ad Vigeſimum, *Reſp: Legatum dotis, factum Ecc. conſtruendæ debetur ante perfectam conſtructionem.* Inn: in c. Nos quidem. de teſta: *vbi dicit, quòd debent per hæredem omnia relicta pro Monaſterio conſtruendo tradi & ſolui, ac etiam alia, & ſic etiam ea, quæ pro Monaſterio conſtruendo relicta non ſunt, & ibi etiam* Abb: n. 7. dicit, *quòd relicta pro Ecc: conſtruēda, debentur ſine aliqua diminutione. Non obſtat* quòd Bart: cum alijs, in l. filium. ff. de optione legata. *diſtinguit, aliud eſſe legare pro Ecc: conſtruenda, vel ſimpliciter Ecc: licet conſtructa non ſit, & tunc legatum ſtatim debetur, quia deſeruiebat pro Ecc: conſtructione. Neque quòd* d. Bart. in l. ſeruos, ff. de alim: leg. & conſ. 26. *dicit aliud eſſe legare pro dote, & tunc cognoſcitur, quòd non deſeruit pro conſtructione, ſed habet limitatam cauſam dotis, ergo non debetur. Non enim poteſt eſſe dos ante matrimonium,* arg. l. in agris. ff. de acquir: rer: domin: *quia debetur legatum dotis, non*

expectata

expectata constructione, quoniam in constructione Ecc: hoc est speciale, vt quando mittitur primus lapis Eccl: construendæ, consignetur dos: Imò Episcopus licentiam ædificandi impartiri non debet, nisi priùs constituta dote. c. nemo. de consecr: dist. 1. *& sic cessant omnia, quæ in contrarium adduci possunt: nam testator censetur se conformare dispositioni iuris, nisi aliud expressè determinet.*

Ad Vigesimum primum, *Resp: Negatiuè. quia id tenderet fortè in damnum testatoris, & eius voluntas non obseruaretur, quæ vt seruetur, Episcopus maximè curare debet.* c. vltima voluntas. 13. q. 2. & ità notabiliter tradit Bart: cons: 58. lib: 1.

Ad Vigesimum secundum, *Resp:* Decreto fœl: record: Pauli Quinti, die 4. Decembris, 1605. *statuitur, vt in vno quoque Monasterio tot Religiosi sint, quot iuxta Religionis, & proprij instituti morem, victum in communi habentes, competenter valeant sustentari.*

TENOR DECRETI EST INFRA scriptus.

SANCTISSIMVS in Christo Pater & Dominus Noster, Dominus Paulus, Diuinâ prouidentiâ Papa Quintus. Cùm ex plurimis, ijsque grauissimis Decretis, quæ fel: recor: Clemens VIII. ad Regularem disciplinam restituendam & augendam condidit, illud maximi momenti esse animaduertit, quòd à Sacro Concilio Tridentino multò antè cautum etiam fuerat, vt is tantùm Religiosorum hominum numerus in singulis Monasterijs, Conuentibus, & domibus Regularibus constitueretur; qui vel proprijs redditibus & obuentionibus, vel consuetis emolumentis ac eleemosynis, ali commodè posset, magnamque fortasse obseruantiæ Regularis iacturam inde factam esse, quòd Ordinum Superiores illud exequi nimiùm distulerunt, vt hoc etiam adhibito remedio, huiusmodi incommodo prospiceret, aditumque ijs Prælatis Re-

latis Regularibus præcluderet, qui plures ad suam Religionem admittentes, quàm Monasteriorum & Conuentuum census, eleemosynæ, & qualitates ferant, non leuem subditis, vitæ claustralis relaxandæ, occasionem præbere videntur.

2. Decreuit & præcepit, ac præsentis Decreti virtute præcipit & mandat, omnibus & singulis Generalibus, Prouincialibus, Commissarijs, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicarijs, & quibuscunque alijs Superioribus Monasteriorũ, Conuentuum, & Domorum, quouis nomine nuncupentur, Ordinum, Congregationum, & Institutorum, tam Monachorum, quàm Mendicantium, & non Mendicantium, Regularium quorumcunque, existentes intra fines Italiæ, & insularum adiacentium, vt singuli ad quos pertinet, in qualibet Prouincia, adhibitis duobus aut tribus Monachis, Fratribusue sui Ordinis vel Cõgregationis, probatioribus, & rerum vsu peritioribus, bona immobilia, census, reditus, & prouentus omnes, consuetas item eleemosynas & obuentiones, tam communes, Monasteriorum, Conuentuum & Domorum eiusdem Prouinciæ, quàm etiam singularibus personis Religiosis assignatas seu promissas, in communem vsum deinceps conferendas, decem annorum diuersorum habitâ ratione, diligenter ac maturè recognoscant, ijs omnibus detractis, quæ reparationes, præstationes, grandines, sterilitates, aliaue cuiuslibet generis onera consueuerunt absorbere, eaque omnia scripto fideliter exarata, idem Superior, cuius interest, in primo Capitulo seu Congregatione Prouinciali, coram tribus Iudicibus ab ipsomet Capitulo vel Congregatione deligendis proponat, qui computatis huiusmodi reditibus, eleemosynis, & obuentionibus vniuersis, ac oneribus, vt superiùs, detractis, sedulò examinent, quòd Religiosi homines in vnoquoque Monasterio, Conuentu & Domo Regulari, iuxta Regionis & proprij Instituti morem, victum & vestitum in communi habentes, competenter habeant sustentari.

tari. Tum eorundem bonorum, redituum, eleemosynarum & onerum, præcisam notam ipsimet Congregationi, Capitulo Prouinciali exhibeant, vt in illo diligenter omnibus discussis, cuiuscunque familiæ, Conuentûs Monasterij, & Domûs Regularis, quouis nomine nuncupatæ, in singula quaque Prouincia, certus earum tantùm personarum numerus communi Patrum Capitularium voto præfigatur, quæ redditibus, eleemosynis & obuentionibus, vt superiùs, sufficienter ali possint.

3. Ne verò Superiores, qui id præstare debent, seriùs aut remissiùs quàm par est, muneri suo satisfaciant: Mandauit ac mandat Sanctitas sua, vt infra annum à die dati præsentis Decreti computandū, omnia hoc de genere Capitulariter gesta in authenticam formam redacta, ad Congregationem reformationis Apostolicæ singuli mittant, numerumque familiæ singulorum Conuentuum, Monasteriorum, & Domorum huiusmodi Regularium, Capituli vel Congregationis Prouincialis sententiâ & auctoritate præfinitum, ijdem Superiores Ordinum, Congregationum & Institutorum quorumcunque, tàm Generales & Prouinciales, quàm locales omnes perpetuò seruare omninò teneantur.

4. Eos autem Superiores, cuiuscunque status, gradûs & conditionis existant, qui prædicta omnia præfixo termino non præstiterint, vel numerum huiusmodi præscriptum quouis modo augere præsumpserint, priuationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, vocisque actiuæ & passiuæ, ac ad omnia suæ Religionis officia & gradus, inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipso incurrere, atque alijs etiam grauioribus ad Sanctitatis suæ, & Successorum suorum, arbitrium infligendis pœnis subiacere voluit & declarauit.

5. Vult præterea Sanctitas Sua, per hoc Decretum eiusdem Congregationis Reformationis Apostolicæ Secretarij manu subscriptum, consuetisque Almæ Vrbis locis affixum & pu-

blicatum, omnes & singulos Ordinum Regularium Superiores, ad quos spectat, perinde affici, ac si fuisset cuilibet personaliter intimatum.

6. Nonobstantibus Constitutionibus Apostolicis, priuilegijs, statutis, indultis, & alijs contrarijs quibuscunque.

Datum Romæ, apud S. Petrum, die quarta Decembris, 1605. Pontificatûs eiusdem S. D. N. Anno Primo.

BVLLA FEL: RECORD: PAVLI V.

In qua fit reuocatio facultatum Superioribus quorumcunque Ordinum, & Religiosorum, quoquo modo concessarum, cognoscendi causas suorum subditorum ad Officium sanctæ Inquisitionis Hæreticæ prauitatis quomodolibet pertinentes.

PIVS IV. *in sua Constit:* 51. *de qua sub* tom. 2 contra Religiosos, *ab Inquisitoribus procedi posse decreuit, dummodò ab eorum Superioribus non esset præuentum.* §. 1. *Hic Pontifex quascunque facultates, cuiuscunque Ordinis Prælatorum, cognoscendi Regularium causas, ad Officium sanctæ Inquisitionis spectantes, reuocat. Sed eas Ordinarijs denunciari mandat.* §. 3 *& pendentes coram dictis Superioribus, ad Inquisitores, & Ordinarios remittit.* §. 4. *Et omnia acta ad eosdem transmitti iubet.* §. 5. *Contrauenientibus pœnam imponit.* §. 6. *Clausulas huic Bullæ præseruatiuas apponit.* §. 7 *Derogatoriasque.* §. 8. *Formam & effectum eius publicationis præscribit.* §. 9. *Transumptisque credi mandat* §. 10.

TENOR BVLLÆ EST.

PAVLVS EPISCOPVS, SERVVS Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex ea interdum, quæ à prædecessoribus suis temporum, & rerum qualitate id tunc exposcéte, prouidè pro hæresum extirpatione sancita sunt; nouis emergentibus rationibus reuocat, & immutat, aliaque desuper disponit, & ordinat, prout in Domino salubriter conspicit expedire: Dudum siquidem fel: rec: Pius Papa IV. Prædecessor Noster, sua perpetuo valitura Constitutione statuit, ordinauit, & declarauit, quòd ex tunc deinceps in omnibus Christiani Orbis partibus, Inquisitores hæreticæ prauitatis, tam generales, quàm in quibusuis Prouincijs, ciuitatibus, oppidis, terris, & locis pro tempore deputati particulares, contra omnes quorumcũque Ordinum, etiam exemptorum, etiam Mendicantium Professos, & Religiosos, ac etiam alios quoscunque quouis modo priuilegiatos, & exemptos, de hæresis crimine quomodolibet suspectos aut culpabiles, dummodò ab eorundem Professorum, & Religiosorum Superioribus, vel Prælatis, in causis huiusmodi præuenti non fuissent, iuxta facultates officij inquisitionis ipsius prauitatis, inquirere, & procedere, ac culpabiles, & delinquentes repertos, secundum canonicas sanctiones castigare, atque punire possent, & valerent; ac aliàs prout in literis ipsius Pij prædecessoris latiùs continetur. Cùm autem rerum vsu compertum sit, occasione præuentionum huiusmodi nonnulla interdum impedimenta orta esse, quominùs causæ huiusmodi, ea quâ decet, diligentiâ cognoscantur: Nos de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium contra hæreticam prauitatem generalium Inquisitorum, illa de medio tollere

volen-

volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia Noſtra, ac maturâ deliberatione, hac Noſtra etiam perpetuò valitura Conſtitutione, omnia, & quæcunque priuilegia, indulta, facultates, & conceſſiones, Generalibus, Superioribus, & Prælatis, quorumcunque Ordinum, ſiue Mendicantium, ſiue Clericorum Regularium, cuiuſuis ordinis, & inſtituti, etiam in dicta Conſtitutione non expreſſorum, & quantumuis exemptorũ, & quocunque nomine nuncupentur, per dictum Pium, ac quoſcunque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, & Sedem Apoſtolicam, conceſſa, approbata, & innouata, & quantumuis etiam longiſſimo tempore obſeruata, cauſas ad dictum officium quouis modo ſpectantes, cognoſcendi, & terminandi, ſeu in illis quoquo modo ſe intromittendi; quorum omnium, & ſingulorum tenores, etiamſi de illis ſpecialis, & expreſſa mentio habenda eſſet, præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, & inſertis, habentes, Apoſtolicâ authoritate, tenore præſentium, perpetuò caſſamus, reuocamus, & abolemus: ipſiſque Generalibus, Superioribus, & Prælatis, vt de cætero, quouis quæſito colore, vel prætextu, præuentionis, vel conſuetudinis, & præſcriptionis immemorabilis, ſeu cognoſcendi, an delationes huiuſmodi calumnioſæ ſint, necnè, in eiſdem cauſis, tam motis, quàm mouendis, quoquo modo ſe intromittere, ſeu immiſcere, denunciationes recipere, teſtes examinare, Proceſſus conficere, cauſas ipſas cognoſcere, definire, vel terminare minimè audeant, ſeu præſumant, ſimili authoritate diſtrictiùs inhibemus. Volentes, & expreſsè mandantes, vt ipſi Religioſi poſſint, & debeant omnes, etiam Ordinum huiuſmodi Profeſſos, de hæreſi ſuſpectos, Inquiſitoribus, vel Ordinarijs Locorum vicinioribus, liberè denunciare, abſque eo, quòd Superiores prædicti perſonas denunciatas, & cauſas perquirere, vel quoquo modo id impedire, vel retardare audeant, ſeu præſumant. Inſuper omnes, & quaſcunque cauſas, ad dictum officium quomodolibet:

libet spectantes, & pertinentes, coram Generalibus, Superioribus, & Prælatis huiusmodi, in quibuscunque locis existentibus, ac contra quoscunque Religiosos, vt præfertur, exemptos, motas, & pendentes, ad Nos harum serie auocamus, easque omnes in statu, & terminis, in quibus de præsenti reperiuntur, ipsius prauitatis Inquisitoribus, vel Ordinarijs Locorum vicinioribus, terminandas committimus. Præterea ipsis Generalibus, Superioribus, & Prælatis, pari auctoritate præcipimus, atque mandamus, vt omnes Processus, & Acta causarum huiusmodi, Inquisitoribus, seu Ordinarijs prædictis, respectiuè remittant, & consignent: nec non Professores, Fratres, & Religiosos suprà dictos, quos hæresis labe infectos, vel suspectos, etiam in Visitatione, esse nouerint; absque alia consultatione cum proprijs Superioribus facienda, eisdem Inquisitoribus, vel Ordinarijs Locorum vicinioribus, respectiuè denuncient: quòd si Generales, alijque prædicti, præsentibus literis non paruerint; eos omnes priuationis quarumcunque dignitatum, seu Prælaturarum, vel officiorum suorum Ordinum, ac vocis actiuæ, & passiuæ, perpetuæque inhabilitatis ad easdem, necnon contra fautores Hæreticorum, & impeditores officij, statutas, & inflictas pœnas, aliasque censuras Ecclesiasticas, etiam excommunicationis maioris latæ sententiæ, à qua non, nisi à Nobis, vel à Romano Pontifice pro tempore existente, præterquàm in mortis articulo, absolutionis beneficium valeant obtinere, eo ipso incurrisse: necnon præsentes literas, licet Generales, Superiores, & Prælati prædicti, aut quicunque alij, quauis authoritate, dignitate, vel officio, seu honore fulgentes, in præmissis quomodolibet interesse habentes, vel habere prætendentes, ad hoc vocati non fuerint, semper, & perpetuò validas, & efficaces existere, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus inuiolabiliter obseruari; sicque per quoscunque Iudices, & Commissarios, quauis authoritate fungentes, etiam Sanctæ

Ecclesiæ Romanæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari, & definiri, debere: irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam, quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus. Non obstañ: prædictis, ac quibusuis alijs Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinum, & Institutorum quorumcunque, iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Priuilegijs quoque, Indultis, & literis Apostolicis, etiam Mare magnum, vel aliâs quomodolibet nuncupatis, eisdem Ordinibus, eorumque Generalibus, Superioribus, & Prælatis, ac personis, etiam per quoscunque Romanos Pontifices, prædecessores nostros, ac Sedem prædictam, & per Nos quouis modo concessis, confirmatis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis; quibus ac alijs omnibus, quæ præsentibus quomodolibet obstare possent, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & expressa, ac indiuidua, & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, eorum tenores, pro plenè, & sufficienter præsentibus expressis, & totaliter insertis, habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Vt autem præsentes literæ ad omnium notitiam deducantur, neuè aliquis ignorantiam earum prætendere, aut contra eas se excusare valeat; illas in valuis S. Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum, Basilicarum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, ac Acie Campi Floræ, de more affigi, & publicari, earumque exempla inibi affixa dimitti; ac post publicationem huiusmodi, omnes, & singulos, quos concernunt, & concernent in futurum, perinde arctent, & afficiant, ac si eorum cuilibet personaliter intimatæ fu-

matæ fuiſſent, quodque earum tranſumptis, etiam impreſſis, Notarij publici manu ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Prælati, ſeu perſonæ in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ, munitis, eandem prorſus fidem, in iudicio, & extra, vbique gentium, & locorum, adhiberi volumus, & mandamus, quæ eiſdem Originalibus literis adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Et nihilominùs, vt ad maiorem notitiam ſingulorum, & quorumcuuque Religioſorum prædictorum, præſentes deueniant: etiam volumus, & in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, & mandamus Generalibus, Superioribus, & Prælatis prædictis, vt in primis proximis futuris Capitulis, ſeu Congregationibus Prouincialibus, vel generalibus, cuiuſcunque Prouinciæ, tam in Italia, quàm extra, præſentes noſtras literas legi, & publicari faciant, & procurent. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ caſſationis, reuocationis, abolitionis, inhibitionis, mandatorum, auocationis, commiſſionis, præceptorum, Decreti, Declarationis, derogationis, & voluntatis, infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ, apud S. Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ, 1606. Kal. Septembr. Pontificatûs noſtri Anno ſecundo. *P. Poodat.* Regiſtrata apud Scipionem Secretarium. *Scipio Cobellutius* S. De Vrſinis. Anno à Natiuitate D. N. IESV Chriſti 1606. Indictione 4. Pontif: autem SS. in Chriſto Patris & D. N. D. Pauli, Diuinâ prouidentiâ PP. V. Anno ſecundo, die verò tertia Menſis Octobris, ſupradictæ literæ Apoſtolicæ, affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Baſilicarum Sancti Ioannis Lateranenſis, Principis Apoſtolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in Acie Campi Floræ, vt moris eſt; per me Io: Baptiſtam Menochium, eiuſdem SS. D. N. Papæ, & Sanctiſſimæ Inquiſitionis Curſorem. Romæ, ex Typographia Rerum Cameræ Apoſtolicæ, M. DC. VI.

QVÆ-

QVÆSTIONES.

1. *Quæ fuit potissima causa huius Constitutionis?*

2. *An Episcopus, sine Inquisitore, & Inquisitor sine Episcopo, procedere possint, & quando possint?*

3. *Quid agendum est in causis, vbi Episcopus & Inquisitor insimul procedunt, & inter se discordant?*

4. *An Regulares pro quocunque fidei negotio ad Sanctum Officium recurrerint, seu confugerint, vel in eo testimonium veritatis perhibuerint, possint à suis Superioribus grauari?*

5. *An in causis ad S. Inquisitionem hæreticæ prauitatis spectantibus, Iudices, & Officiales, gratis omnia expedire debeant?*

Ad Primum, *Resp: Iustissimè huiusmodi causarum cognitio à cæteris abdicata, & ad solos Episcopos, & Inquisitores delata fuit, quia in eorum Tribunalibus magis iuridicè, & secretè cuncta geruntur, & ob quotidianam experientiam diligentiùs fabricantur processus. Hi enim meliùs intelligunt modum, & Ordinem interrogandi, examinandi, & conueniendi Reos, quàm quilibet alij Religionum Superiores, qui & si essent Iuris peritissimi, tamen ob non frequentatum hunc iudicandi modum, non possent ita diligenter processus fabricare, sicut Episcopus, & Inquisitor. Ita aduertit* Pegna, in Directorio Inquisitorum. par. 3. Comment: 77. verb: Iustissimè; *vbi propter alias fortassè grauiores causas, quas prudens ibi se omittere subdit, sic decretum fuissè iudicat.*

Ad Secundum, *Resp: Quatuor per se potest Episcopus sine Inquisitore, & è contra; nempe inquirere, citare, arrestare, & capere, ac tutæ custodiæ mancipare. Tria verò non potest vnus sine alio, scilicet tormentis reos exponere, ad sententiam procedere contra eos, & tradere carceri arcto, quod magis ad pœnam, quàm ad custodiam videatur, vt patet* in Clem: Multorum. in princ: de Hæret: *vbi dicitur sic:* Multorum quærela, *& infra:* vt negotium Inquisitionis huiusmodi eò prosperetur feliciùs, quò deinceps eiusdem la-

dem labis indago solemniùs, diligentiùs, & cautiùs peragatur, ipsum tam per Diœcesanos Episcopos, quàm per Inquisitores à Sede Apostolica deputatos (omni carnali amore, odio, vel timore, ac cuiuslibet commodi temporalis affectione semotis) decernimus exerceri: sic quòd quilibet de prædictis, sine alio citare possit, & arrestare, siue capere, ac tutæ custodiæ mancipare: ponendo etiam in compedibus, vel manicis ferreis, si ei visum fuerit faciendum, super quo ipsius conscientiam oneramus: Necnon inquirere contra illos, de quibus pro huiusmodi negotio secundùm Deum, & Iustitiam videbitur expedire. Reos tamen tradere carceri arcto, qui magis ad pœnam, quàm ad custodiam videatur: vel tormentis exponere illos: aut ad sententiam procedere contra eos, Episcopus sine Inquisitore, aut Inquisitor sine Episcopo Diœcesano, aut eius Officiali, vel, Episcopali Sede vacante, Capituli super hoc delegato, si sui ad inuicem copiam habere valeant, intra octo dierum spatium, postquam se inuicem exquisierint, non valebit: & si secùs præsumptum fuerit, nullum sit, & irritum ipso iure. *Quòd autem vnus sine alio procedere ad sententiam non possit, ante istam Clementinam iam erat cautum,* in c. Per hoc. de hæret: lib: 6. *sed perfectiùs habetur hîc* in c. Multorum, *allegato. Causas quoque superstitionum, incantantionum, veneficiorum, & blasphemiarum, nisi sapiant manifestè hæresim, absque Inquisitorum interuentu, Episcopus terminare potest.* tex: in c. accusatus. de hæret: in 6. Abb: in c. 1. de sortileg: n. 4. vers: Et aduerte. *Et ita censuit Sacra Generalis Congregatio Rom: & vniuersalis Inquisitionis sub* die 2. Decembris, Anni 1602. *Vt refert* Franciscus Leo, in Thes: fori Ecclesiastici in tit: de sortileg.

Ad Tertium, *Resp: Vterque eorum negotium bene instructũ Sedi Apost: denunciare debet, vt decreuit Bonifac: VIII. in* cap. per hoc. de hæret: in 6. *& tradit* Eymer: in Directorio Inquisit: quæst: 50. *& sequitur* Pegna in suo commentario 99. in principio.

Ad Quar-

Ad Quartum, *Resp: Quòd non. Ita statuit Fel: record: Pius Quintus, vt sequitur.*

SANCTISSIMVS D. N. Pius Papa Quintus, in generali Congregatione Sancti Officij, consulens libertati ipsius Sancti Officij, & indemnitati recurrentium ad illud, vel in eo testimonium perhibentium, statuit, & decreuit, vt Regulares quorumuis etiam Mendicantium Ordinum personæ, quæ pro tempore ad Officium Sanctæ Inquisitionis pro quocunque fidei negotio recurrerint, seu confugerint, vel in eo testimonium perhibuerint veritatis, aut aliâs quomodolibet deposuerint, nequaquam à suis Superioribus per quinquennium continuum à die recursus, seu depositionis huiusmodi, molestari, vel ex quacunque causa, vel excessibus prætensis personarum istarum, & de debitis propterea pœnis, seu pœnitentijs eisdem imponendis, nisi ipsi Illustrissimi Cardinales Inquisitores Generales, certiores facti fuerint, vel eis clarè notificatum, & ab ipsis Cardinalibus desuper responsum fuerit.

Ad Quintum, *Resp: Quòd sic. & extat Decretum Fel: recor: Clementis VIII. tenoris sequentis.*

SANCTISSIMVS Dominus Noster, volens, ac intendens prouidere, vt causæ & negotia quouis modo spectantia ad Sanctam Inquisitionem cognoscantur, & expediantur omni qua decet integritate, amotis quibusuis sordibus, ac pecuniarijs solutionibus: statuit & decreuit, vt in posterum omnes Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, ac quiuis Ecclesiarum Prælati, seu inferiores Ordinarij, eorumque Vicarij & Officiales, in causis & negotijs Sancti Officij, pro examine testium, seu principalium reorum, pro sportulis sententiarum, pro quouis decreto seu actu, seu quacunque expeditione, nihil omninò exigant, & recipiant, etiam à sponte dantibus, sed gratis omnia expediant.

2. Ac eorum Secretarij, Cancellarij, & Notarij, pro scripturis Processuum, informationum, seu repetitionis testium,

Fisci, quas mittunt ad Sanctam & Vniuersalem Inquisitionem Romanam, nihil penitus exigant, sed gratis illas mittant.

3. Insuper mandauit omnibus supradictis, eorumque Vicarijs & Officialibus, vt cùm aliquid eis significatur, nomine supradictæ Inquisitionis, quamprimùm literis rescribant, & negotia iniuncta exequutioni demandent.

4. Et hoc Decretum, tam ipsi Prælati inuiolabiliter obseruent, quàm ab alijs obseruari curent, & eius exemplaria in eorum Cancellarijs affixa retineri, vt omnibus innotescat, & in Archiuijs registrari faciant, sub pœna indignationis Sanctissimi Domini Nostri, & alijs arbitrio Sanctitatis Suæ infligēdis.

5. In generali Congregatione Sanctæ Romanæ & Vniuersalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico, apud S. Petrum, coram Sanctissimo D. ac Illustribus & Reuerendissimis Dominis S. R. E. Cardinalibus, aduersus hæreticam prauitatem, generalibus Inquisitoribus. Nonis Ianuarij, Anno à Natiuitate Domini Nostri IESV Christi 1601. Quintilianus Adrianus Not.

CONSTIT: FEL: RECORD. GREGORII XV. *decretis Concilij adiuncta, in qua infrascripta statuuntur.*

TAm Regulares, quàm quomodolibet exempti, animarum curam personarum secularium in Monasterijs, seu domibus Regularibus, aut quibusuis alijs ædificijs exemptis incumbentem, seu aliàs Ecclesiastica Sacramenta exercentes, in his quæ huiusmodi curam, & administrationem concernunt; Omnimodè

modè Iuriſdictioni, viſitationi, & correctioni Diœceſani Epiſcopi, tanquam Sedis Apoſt: delegati, plenè in omnibus ſubijciantur.

II. Tam Regulares, quàm ſeculares huiuſmodi, nullis priuilegijs tueri ſe poſsint, quò minùs ſi deliquerint circa perſonas intra ſepta degentes, aut intra clauſuram, aut circa bonorum adminiſtrationem Monaſteriorum Monialium, etiam Regularibus ſubiectorum, ab Epiſcopo loci ſimiliter tanquam ad hoc Sedis Apoſt: delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant.

III. Vt Confeſſarij, ſiue ſeculares quomodocunque exempti, tàm ordinarij, quàm extraordinarij, ad confeſſiones Monialium, aut Regular: ſubiectarum audiendas, nullatenus deputari valeant, niſi priùs ab Epiſcopo Diœceſano idonei indicentur.

IV. Vt adminiſtrantes bona ad huiuſmodi Monaſteria Sanctimonialium etiã Regularibus ſubiectarum pertinentia, quomodolibet exempti; Epiſcopo loci, adhibitis etiam ſuperioribus Regularibus, ſingulis annis rationes adminiſtrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur.

V. Liceat Epiſcopo, ex rationabili cauſa, Regulares ſuperiores admonere, vt eiuſmodi Confeſſores atque adminiſtratores admoneant; ipſiſque ſuperioribus id facere detrectantibus, habeat Epiſcopus facultatem

 prædi-

prædictos Confessarios, atque administratores amouendi.

VI. Vt possit Episcopus, vnà cum Superioribus Regularibus, quarumcunque Abbatissarum, vel Præpositarum, electionibus per se, vel per alium, interesse, ac præsidere; absque vlla tamen ipsorum Monasteriorum impensa.

VII. Episcopus, tanquam Sedis Apost: delegatus, potest punire quoscunque exemptos, qui in alienis Ecclesijs, aut quæ suorum ordinum non sunt, absque Episcopi licentiâ, & in Ecclesijs suis, aut suorum Ordinum, non petitâ illius benedictione, aut ipso contradicente, prædicare præsumpserint, delinquentes toties, & quando opus fuerit, etiam extra visitationem, ad aliasque pœnas procedere, omnemque iurisdictionem exercere liberè, & licitè valeat.

TENOR CONSTITVTIONIS.

Gregorius Episcopus, Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

INscrutabili Dei prouidentiâ vniuersalis Ecclesiæ regimini, meritis licet imparibus, præsidentes: Pastoralis nostræ sollicitudinis partes esse dignoscimus in eam curam præcipuè incumbere, vt à dignis, & probatis tantùm Sacerdotibus sanctè administrentur Ecclesiastica Sacramenta, atq; vt Virginum Deo sacratarũ Monasteria diligentissimè custodiantur, & vt viri assumantur idonei ad prædicationis officium

cium salubriter exequendum. Sanè Trid: Synodi decretis prouidè cautum est, nullum Presbyterum, etiam Regularem, posse Confessiones secularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat.

Necnon vt in Monasterijs, seu domibus virorum, seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum secularium, præter eas, quæ sunt de illorum Monasteriorum, seu locorum familia, personæ tàm Regulares, quàm seculares eiusmodi curam exercentes, subsint immediatè in ijs, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cuius Diœcesi sunt sita. Itemque vt Episcopi vniuersi, sub obtestatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis æternæ, in omnibus Monasterijs sibi subiectis ordinariâ, in alijs verò Sedis Apostolicæ Auctoritate, Clausuram Sanctimonialium, vbi violata fuerit, diligenter restitui, & vbi inuiolata est, conseruari maximè procurent: inobedientes, atque contradictores, per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, quacunque appellatione postpositâ, compescentes.

Atque vt Regulares in Ecclesijs suorum Ordinum prædicare volentes, se coram Episcopis præsentare, & ab eis Benedictionem petere teneantur; in Ecclesijs verò quæ suorum Ordinum non sunt, nullo modo prædicare possint sine Episcopi licentia: contradicente autem Episcopo, nulli, etiam in suorum Ordinum Ecclesijs, prædicare præsumant.

Verùm, quia experientiâ compertum est, Ecclesiastici regiminis rationes postulare, vt decretis eiusmodi aliquid adiungatur; maturâ deliberatione Nostra, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac generali, ac perpetuò valitura constitutione decernimus, statuimus, & decla-

ramus,

ramus, vt deinceps tam Regulares, quàm seculares, quomodolibet exempti sint, animarum curam personarum secularium in Monasterijs, seu domibus Regularibus, aut quibusuis alijs Ecclesijs, vel beneficijs, siue Regularibus, siue secularibus incumbentem, exerceant, siue alijs Ecclesiastica Sacramenta, aut vnus ex illis, ministrent præuiâ Episcopi licentiâ, & approbatione: siue quomodolibet in dictæ curæ exercitio, aut in eorundem Sacramentorum, aut alicuius ex illis, administrationi de facto absque vlla authoritate se ingerant. In his quæ huiusmodi curam, seu administrationem concernunt, omni modo iurisdictioni, visitationi, & correctioni Diœcesani Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, plene in omnibus subijciantur. Ad hæc, tàm Regulares quàm seculares huiusmodi, nullis priuilegijs, aut exemptionibus tueri se possint, quominùs si deliquerint, circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram, aut circa bonorum administrationem Monasteriorum Monialium, etiam Regularibus subiectarum, ab Episcopo loci similiter, tanquam ad hoc Sedis Apostolicæ delegato, quoties & quando opus fuerit, puniri & corrigi valeant.

Confessores verò, siue seculares quomodocnuque exempti, tam ordinarij, quàm extraordinarij, ad Confessiones Monialium, etiam Regularibus subiectarum, audiendas, nullatenus deputari valeant, nisi priùs ab Episcopo Diœcesano idonei iudicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant. Sed & administrantes bona ad eiusmodi Monasteria Sanctimonialium, vt præfertur, etiam Regularibus subiectarum pertinentia, siue Regulares extiterint, siue seculares quomodolibet exempti; Episcopo loci adhibitis etiam Superioribus Regularibus, singulis Annis rationes administrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque iuris remedijs cogi, & compelli queant. Liceatque Episcopo ex rationabili causa, Regulares Superiores admonere, vt eiusmodi

modi Confeſſores atque Adminiſtratores, amoueant, ijſque Superioribus id facere detrectantibus aut negligentibus, habeat Epiſcopus facultatem, prædictos Confeſſores, & Adminiſtratores amouendi, quoties & quando opus eſſe iudicauerit. Ac ſimiliter poſſit Epiſcopus, vnà cum Superioribus, Regularibus quarumcunque Abbatiſſarum, Prioriſſarum, Præfectarum, vel Præpoſitarum eorundem Monaſteriorum, quoquo nomine appellentur, electionibus per ſe, vel per alium, intereſſe, ac præſidere, abſque vlla tamen ipſorum Monaſteriorum impenſa.

Ac demum, habeat Epiſcopus, tanquam dictæ Sedis delegatus, authoritatem coërcendi, ac puniendi quoſcunque exemptos, tam ſeculares, quâm Regulares, qui in alienis Eccleſijs, aut quæ ſuorum Ordinum non ſunt, abſque Epiſcopi licentia, & in Eccleſijs ſuis aut ſuorum Ordinum, non petitâ illius benedictione, aut ipſo contradicente, prædicare præſumpſerint. Ita vt Epiſcopi, in ſupraſcriptis caſibus, in prænominatas perſonas, in præmiſſis omnibus & ſingulis, aut circa ea, quoquo modo delinquentes, quoties & quando opus fuerit, etiam extra viſitationem, per cenſuras Eccleſiaſticas, aliaſque pœnas, vti eiuſdem Sedis delegati, procedere, omnemque iuriſdictionem exercere; liberè & licitè valeant.

Decernentes ſic per quoſcunque Iudices, quauis authoritate fungentes, etiam Sacri Palatij Auditores, necnon Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & Auctoritate, iudicari, & diffiniri debere. Irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis Auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus Conſtitutionibus, Ordinationibus Apoſtolicis, in fauorem quarumcunque perſonarum atque Ordinum, tam Mendicantium, quâm non Mendicantium, Militiarum, etiam ſancti Ioannis Hieroſolymitani, Congrega-

tionum, Societatum, & cuiusuis instituti, etiam necessariò, & in indiuiduo exprimendis, Monasteriorum, Conuentuum, Capitulorum, Ecclesiarum, & aliorum quorumque, tam secularium, quàm Regularium locorum, necnon illorum, etiam iuramento, Confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, vel consuetudinibus etiam immemoriabilibus, exemptionibus quoque indultis, & priuilegijs, etiam in corpore iuris clausis, aut ex causa, & titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam Mari Magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, conseruatorum deputationibus, eorumque, atque alijs inhibitionibus, quibus Episcopi deferre minimè teneantur; & quibusuis alijs, sub quibusque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis, etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis; nec non irritantibus decretis, etiam motu proprio & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet etiam per viam communicationis seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque tenoribus, & formis, specialis & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quæuis alia expressio habenda, aut alia aliqua exquisita forma seruanda esset; Tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent præsentibus, pro expressis habentes: quibus quoad ea quæ eisdem præsentibus aduersantur, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque.

Cæterum quia difficile foret præsentes literas ad singula quæque loca deferri, vt eæ tamen omnibus innotescant, mandamus illas ad valuas Lateranen: & Principis Apostolorum de Vrbe Basilicarum, atque Cancellariæ Apostolicæ, & in acie campi Floræ publicari, & inibi affigi, & per aliquod tem-

poris

poris spatium admitti, eisque detractis, earum exempla eo in loco relinqui.

Ac volumus vt earundem præsentium literarum transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo Prælati seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, in iudicio, & extra illud, vbi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrorum statuti, declarationis, decretorum, derogationis, mandati, & voluntatis, infringere vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ. M. DC. XXII. Nonis Februarij, Pontificatus Nostri Anno II.

DECLARATIONES ALIQVOT

Sacræ Congregationis Concilij Super Constitutione san: me: Gregorij XV. de Exemptorum priuilegijs, &c.

DVBITATVR.

AN liceat Episcopis visitare Altaria Regularium Ecclesiarum, quibus cura animarum personarum secularium non incumbit, aut loca, vbi in ijsdem Ecclesijs asseruatur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, vel vbi audiuntur Confessiones personarum secularium?

II. An Episcopi possint Regularibus præscribere, vt certis tantùm in locis ac temporibus, aut certarum personarum Confessiones audiant, vel aliàs illorum priuilegia restringere, ac moderari in Sacramentis administrandis?

III. An facultas Episcopis per Constitutionem attributa in exemptos, tam seculares, quàm Regulares, intelligatur etiam tributa in personas nullius Diœcesis?

IV. An eadem facultas competat inferioribus Prælatis proprium territorium, ac iurisdictionem quasi Episcopalem habentibus?

V. An per eandem Constitutionem in illis verbis, (possit Episcopus vnà cum Superioribus Regularibus quarumcunque Abbatissarum, &c. electionibus, per se, vel per alium, interesse, ac præsidere, ius Abbatissas confirmandi Episcopis attributum censeatur?

VI. An Confessores Monialium ante editam Constitutionem deputati, debeant ab Episcopo examinari, & approbari?

VII. An Superiores Regulares, similiter ante ipsius Constitutionis publicationem electi, seu deputati, aliâ indigeant Episcopi approbatione pro Confessionibus sanctimonialium sibi subiectarum audiendis?

VIII. An Confessiones, quas audiunt Superiores Regulares electi, seu deputati, vel confirmati post publicationem, & scientiam tenoris dictæ Bullæ, non obtentâ Episcopi approbatione, sint nullæ, atque irritæ, necne?

IX. An Regulares generaliter ab Episcopo approbati ad Confessiones personarum secularium audiendas, censeantur etiam approbati ad audiendas Confessiones Monialium sibi subiectarum?

X. An Regularis ad audiendas Confessiones Monialium vnius Monasterij ab Episcopo approbatus, Confessiones Monialium alterius Monasterij audire possit?

XI. An Confessores Regulares extraordinarij, semel ab Episcopo deputati, & approbati ad audiendas Monialium Confessiones pro vna vice infra Annum ad præscriptum Sacri Concilij Tridentini, possint, virtute dictæ approbationis, pluries

pluries tanquam Confeſſores extraordinarij earundem Confeſſiones audire, abſque noua Epiſcopi licentia ?

XII. Cùm in eadem Conſtitutione ſtatutum ſit, vt liceat Epiſcopo ex rationabili cauſa Superiores Regulares admonere, vt amoueant Confeſſores Monialium, atque Adminiſtratores bonorum ad earundem Monialium Monaſteria pertinentium, ijſque Superioribus id facere detrectantibus, habeat Epiſcopus facultatem prædictos Confeſſores, & Adminiſtratores amouendi, quoties, & quando opus eſſe iudicauerit: An eiuſmodi cauſam Epiſcopus Superioribus Regularibus ſignificare teneatur?

XIII. An eadem Conſtitutio, qua parte ſupponit Epiſcopi iuriſdictioni Regulares delinquentes circa perſonas degentes intra ſepta Monaſteriorum Monialium, aut circa clauſuram, vel bonorum Adminiſtrationem eorundem Monaſteriorum, habeat locum in omnibus delictis, an verò ſolùm in notorijs, & cum ſcandalo populi?

SACRA CONGREGATIO CARDINALIVM Concilij Tridentini Interpretum, cenſuit, Conſtitutionem ſan. me. Gregorij XV. de Exemptorum priuilegijs, nequaquam ſubijcere Regulares exemptos, quibus cura animarum perſonarum ſecularium non incumbit, Epiſcoporum iuriſdictioni in his, quæ Sacramentorum adminiſtrationem concernunt, niſi cùm in Sacramentis perſonis ſecularibus adminiſtrandis ijdem Regulares delinquunt: ac propterea,

AD Primum dubium reſpondit: Epiſcopis non licere in vim eiuſdem Conſtitutionis viſitare Altaria Eccleſiarum Regularium, quibus non incumbit animarum

cura personarum secularium, nec loca, vbi in ijsdem Ecclesijs asseruatur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, vel vbi Confessiones personarum secularium audiuntur.

Ad II. Hac in parte Constitutionem nihil noui iuris induxisse, nec vllam nouam authoritatem Episcopis in Regulares attribuisse: Ideoque in vim ipsius Constitutionis non posse Episcopos Regularibus præscribere, vt certis tantùm in locis, ac temporibus, aut certarum personarum Confessiones audiant, vel aliàs illorum priuilegia in Sacramentis Administrandis restringere, aut moderari. Quòd si aliunde Episcopis huiusmodi facultas competat, illam non fuisse ab eadem Constitutione sublatam.

Ad III. Censuit huiusmodi facultatem non intelligi tributam Episcopis in personas nullius Diœcesis.

Ad IV. Non competere.

Ad V. Ius confirmandi Abbatissas minimè fuisse Episcopis per Constitutionem attributum.

Ad VI. Confessores quidem extraordinarios Monialium, nullatenus posse post Constitutionem illarum Confessiones audire, nisi priùs ab Episcopo Diœcesano idonei iudicentur & approbentur. Ordinarios verò Confessores ante Constitutionis publicationem deputatos, posse, durante triennio ab eorum deputatione inchoando, pergere in Confessionibus Sanctimonialium audiendis absquè alio examine, & approbatione Episcopi. Quòd si contingat, vt illorum facultas à Sede Apostolica vltra triennium prorogetur; tunc debere eos ab Episcopo examinari & approbari.

Ad VII. Superiores Regulares electos, seu deputatos ante ipsius Constitutionis publicationem, quibus alioquin facultas competat audiendi Confessiones Monialium sibi subiectarũ, posse, durante eorum officio, pergere, sine alia Episcopi approbatione, in Confessionibus audiendis illarum tantùm, quæ spontè, ac proprio motu id ab eis petierint. At verò eos, qui

postCon-

post Constitutionem eligentur, aut quoquo modo deputabuntur, vel qui in eorum officijs, seu dignitatibus, expleto iam tempore à Constitutionibus cuiusque Ordinis, vel aliàs legitimè præfinito, ad aliud tempus confirmabuntur; nequaquàm posse Sanctimonialium Confessiones audire, nisi priùs à Diœcesano Episcopo idonei iudicati, atque approbati fuerint.

Ad VIII. Confessiones huiusmodi, nullas atq; irritas esse.

Ad IX. Regulares generaliter ab Episcopo approbatos ad Confessiones personarum secularium audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas Confessiones Monialium sibi subiectarum; sed egere, quoad hoc, speciali Episcopi approbatione.

Ad X. Regularem, ad audiendas Confessiones Monialium vnius Monasterij, ab Episcopo approbatum, minimè posse audire Confessiones Monialium alterius Monasterij.

Ad XI. Confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium Confessiones pro vna vice audiendas, haud posse pluries in vim approbationis eiusmodi illarum Confessiones audire: sed ab Episcopo toties esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.

Ad XII. Non teneri eiusmodi causam significare Superioribus Regularibus; sed hoc relinqui arbitrio, & prudentiæ Episcoporum: quorum conscientiam Sacra Congregatio seriò onerauit, nè facultate sibi hac in parte attributâ quoquo modo abutantur, eius rei in districto Dei iudicio rationem reddituri.

Ad XIII. Constitutionem habere locum in omnibus delictis, non autē in notorijs tantùm, & cum populi scandalo.

Quæ Sacræ Congregationis responsa, ad se relata, fel: rec: Gregorius XV, & Sanctiss: D. N. VRBANVS VIII. in omnibus approbârunt.

A. Card: Caetanus.

Prosper: Fagnanus S. Congr: Secr.

QVÆSTIONES AD PRÆDICATORES.
De quibus in dicta Bulla Greg: XV.

1. Prædicator quomodo præsentare se debeat Ordinario, vt habeat licentiam concionandi?

2. An Prædicatores ante omnia teneantur emittere fidei professionem?

3. An locorum Ordinarij possint examinare Prædicatores super doctrina: & an de vita, & moribus?

4. An possit admitti Religiosus, vel Clericus sacris non initiatus, si tamen sit idoneus, & an Prædicatio sit actus Ordinis?

5. An prædicare, olim Laicis fuerit permissum?

6. An idoneo præsentato ad prædicandum, possit Episcopus denegare licentiam: & an sine rationabili causa suspendere à Prædicatione?

7. An possit nominatim suspensus, vel interdictus, prædicare?

8. A quibus debent cauere Concionatores?

9. Ad quem spectat munus eligendi Concionatorem, & ei tribuere eleemosynam?

10. An possit Episcopus compellere ad præstandum eleemosynam laicos, qui eam præstare tenentur, vel solent?

11. An Parochus facultatem prædicandi in eius Parochia dare possit?

12. An Episcopus, non eligens idoneos Prædicatores, peccet mortaliter?

13. An ipse Episcopus, non prædicans in eius Ciuitate, vel Diœcesi, peccet mortaliter: & quando teneatur prædicare?

14. Prædicatio Episcopi, qualis esse debeat?

15. Prædicatio Sancti Ioannis Chrysostomi, qualis fuit?

16. Hæreses ortæ, ob Prædicationem Episcoporum non habitam?

Ad Primum, *Resp: Regulares, qui munus prædicationis obire volunt, à suis Superioribus de vita, moribus, & scientia examinati, cum fide eiusmodi approbationis coram loci Ordinario & personaliter se*

præsen-

præsentauerint; *prout in* Conc: Lateranen: c. vlt. Sess: 1. & Conc: Trid: etiam Sess: 5. c. 2. & Sess: 24. cap. 4.

Ad Secundum, *Resp*: *Nemo ad Prædicationis munus admitti debet, nisi præstitâ coram Ordinario fidei professione: prout cauetur in Constit: Pij IV. quæ incipit:* Iniunctum nobis, *&c.*

Ad Tertium, *Resp: Quòd sic. & ita obseruatur in omnibus Curijs Ecclesiasticis; insignes verò non examinantur, ob eorum notam doctrinam. ita etiam habetur in* Constitut. Leonis X. quæ incipit: Supremæ Maiestatis. edita Anno 1516. *vbi etiam habetur Prædicatores debere priùs examinari de vita & doctrina, & approbari ab Ordinarijs. Contrauenientibus, excommunicationis pœnam, cuius absolutio Papæ reseruatur, vltra alias iuris pœnas, imponit, & prædicationis munus interdicit.* §. 8. contrarijsq; derogat. § 9. de Constit.

Ad Quartum, *Resp: Poterit. quia nullo iure cauetur, quòd mittendus ad prædicādum, debeat Ordine Sacro esse initiatus, vt latè scribit* Nauar: cons. 7. lib. 1. de Offic: Iudic. deleg. num. 2. in impressis de anno 1610. pag. mihi, 165. *vbi respondet, quòd* text: in cap. Adijcimus. 19. caus. 16. quæst. 1. *quo cauetur, quòd nullus præter Sacerdotes audeat prædicare: locū habet in volente prædicare auctoritate propriâ, & auctoritate sui officij, quale habet Sacerdos Curatus.*

Ad Quintum, *Resp*: *Non. vt egregiè eius rescripto censuit Innoc: III.* in cap. cum ex iniuncto. 2. de Hæretic: *quòd impressit etiam* Eymer: in Director: Inquisit: par. 2. *Illudque exornat* Pegna, Comment: II. *vbi subdit; laicos in proposito nostro censeri, qui non sunt in aliquo sacro Ordine constituti.*

Ad Sextum, *Resp*: *Si præsentatus fuerit prædicator idoneus Ordinario iuxta decretum* Sacri Concilij Trid: Sess. 5. c. 2. *non est ei deneganda licentia, nec poterit Ordinarius ad libitum & sine rationabili causa suspendere à prædicatione.*

Ad Septimum, *Resp: Non licebit, si nominatim sint suspensi, vel interdicti; secùs verò è contra.* Nauar: in c. cum, teneantur. lib. 5. de sent. excom: n. 2 vers. 3. pag mihi, 553. secundum impressionem Venetijs, de anno 1610. & antea, in Manuali Confess: c. 27. n. 176.

Ad Octauum, *Resp: Primò debet cauere, ne publicè, & incautè reprehendat, vel mordeat Episcopos, sub pœna imposita à Leone X. Bullâ superius citata. Secundò, non erit inutile habere libellum instructionum Concionatorum, confectum iussu Sancti Caroli Borromæi Archiepiscopi Mediolan: & habetur in actis eiusdem Ecclesiæ: similiter & Rhetoricam R. P. Aloysij Granatensis, & alia huius farinæ. vide* Bullam Gregorij XV. *circa prædicationem Conceptionis.*

Ad Nonum, *Resp: Quòd Congregatio censuit electionem, & deputationem Prædicatoris, ad solos Episcopos in eorum Cathedralibus Ecclesijs spectare, nullâ habitâ ratione cuiuscunque consuetudinis, etiam immemorabilis, qua talis deputatio Capitulo, vel Episcopo vnà cum Capitulo, vel cuiuis alteri, competeret. Est autem in optione Episcopi, vtrum ipse malit Prædicatorem in sua Cathedrali eligere, aut deputare, quando populus illum etiam ab immemorabili tempore eligere & nominare consueuisset, vel prædictam nominationem ex immemorabili consuetudine relinquere: ita tamen, vt ipse Episcopus electionem, deputationemq; Prædicatoris faciendo, populum ad aliquid sustentationis gratia erogandum, non compellat: sin verò populum prædictâ facultate eligendi Prædicatorem Episcopus vti sinat, eundem populum cogere possit ad eas impensas, & eleemosynas Prædicatori præstandas, quas ipse populus in hanc causam præstare solitus est. In alijs Ecclesijs, ad Episcopum similiter pertinet electio, & Deputatio Prædicatoris, impensis eorum, qui illas præstare vel tenentur, vel solent. Concilium tamen non sustulit immemorabilem consuetudinem, qua facultas nominandi Prædicatorem in Ecclesijs non Cathedralibus alteri, quàm Episcopo, competeret in sua Diœcesi, etiamsi sit Cathedralis.*

Ad Decimum, *Resp: Episcopum posse ad præstandam eleemosynam Prædicatori, cogere laicos, qui eam præstare tenentur, vel solent.* Conc: Trid: cap. 4. sess: 24. de reform.

Ad Vndecimum, *Vide* Nauar: cap: 14 num: 141. & Henriq: in summa lib: 7. de Indulg: c. 28. sub: §. 8.

Ad Duodecimum, *Resp: Episcopus peccat mortaliter non eligens idoneos Prædicatores ex* c. inter cætera. de officio Ordinarij; &

rij, *& ideò non statim debet permittere conciones, nisi habitâ informatione de eorum idoneitate. Vtile est, per plures menses ante Quadragesimam illos eligere, & instruere, vt prædicent vtilia, & non vana: quia illos admonere in fine carnis priuij videtur inutile; cum composuerint conciones.*

Ad Decimum tertium, *Resp: Quòd laborare summoperè debet Episcopus, vt, quando potest, prædicet; aliàs sciat se non esse immunem à peccato mortali: ipsa enim prædicatio verbi Dei, est cibus animarum, quæ si deficiat, nil peius: nam Pastor, qui delinquentes non arguit, ipsos tacendo occidit.* c. Ephesijs. dist: 43. & *vt dicit Hier: & habetur* 44. Dist: in sum: *Non tantum prodest conuersatio innocentis exemplo, quantum silentio nocet; nam latratu canum, & baculo Pastorum, lupi sunt arcendi, &* in c. Audacter. 8. q. 1. *dicitur, quòd fames panis, & sitis aquæ, populi non tam extinguenda est, quàm fames verbi Dei. Vnde* Amos c. 8. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & emittam famem in terram; non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Dei. & Prælati non prædicantes dicuntur Canes muti, nescientes latrare.* Isaiæ. c. 56. *& audient illud Ezechielis. Si non fueris loquutus, vt custodiat se impius à via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem verò eius de manu tua requiram. & in* c. Dispensatio. dist: 45. *habetur. Nobis commissa est Diuini seminis dispensatio, væ si non sparserimus, væ si tacuerimus.* Paulus 1. ad Corinth: c. 9. *Væ enim mihi est, si non euangelizauero: & ex pluribus auctoritatibus Sacræ Scripturæ, relatis à Greg:* in c. si Rector. d. dist: *probatur Episcopum non prædicantem peccare mortaliter, & ibi id probat* Turrecrem. & dicit Glos: in §. Criminis. in verb: plus tacet: dist: 25. *quòd taciturnitas in Prælato est peccatum mortale, quod hodie expressè probatur in* Conc: Trid: c. 2. sess: 5. de reform: ibi, districtæ subiaceant vltioni, & prop: *& præceptum ibi positum.* Anton: in c. inter cætera, de off: Ordin: *in quo tex: adsunt similia verba. Dicunt aliqui, quòd sufficit, quòd prædicent per alios: sed hoc est falsum; quia poterunt per alios, quando sunt impediti, aliàs non. Vt in* d. Conc: habetur, sess: 24. de re-

form: c. 4. *nam vox mercenarij non ita penetrat, sicut vox Patris.* Medin: de pœnitent: lib: 1. c. 16. §. 1. *Ioannes.* c. 10. *Oues illum sequuntur, quia sciunt vocem eius, & est potestatem habentis. Vnde de Christo: erat docens, sicut potestatem habens.* Matth: 7. & Prouer: 37. *dicit Salomon: Vir sapiens, plebem suam erudit.*

Ad Decimum quartum, *Resp: Prædicatio Episcopi, vt in eius consecratione dicitur, non debet consistere in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis; sed ostensione spiritus virtutis: qua de re opprobrium est, Episcopum, qui redditurus est rationem, si non docuit viam salutis, & vitia non redarguit, prædicare conceptus inutiles, vt videatur hominibus sapiens. Vnde in* c. cum multa. dist. 88. *habetur graue, nefandumque esse Episcopum prædicare simplicibus ea, quæ non intelligunt; & qui talia prædicat, dicitur prædicare ad sui ostentationem. Ibidem dicit* Paulus 1. ad Corinth. c. 14. *In Ecclesia malo quinque verba sensu meo loqui, vt & alios instruam, quàm decem millia verborum in lingua. Et de Christo dicit* Marc: 4. *loquebatur eis verbum, prout poterant audire.* & Ioannes. 7. *Clamabat Iesus in templo docens: quia cum vehementia sunt redarguenda vitia.*

Ad Decimum quintum, *Resp: Quòd S. Ioan: Chrysost: primo die quo in Pontificali Cathedrâ Patriarchatus Constantinopolitani, præsente Imperatore Archadio, multisq; Episcopis, summo cum honore collocatus fuit, sic sequentem ad eos sermonem exorsus est. Nos qui ineffabilibus Dei rationibus ideò ad vos venimus, vt voluntatem eius testificemur, hoc primum verbum à Christo, & diuino eius Præcursore accipientes, vobis annunciamus, & suademus; pœnitentiam agite, propè est Regnum Cælorum. Hoc autem non dubitabo vobis assiduè reuocare in memoriam, hæc neminem reuerentes, neque timentes, ad vos loquemur. Ita habetur apud Surium.*

Ad Decimum sextum, *Resp: Ex non prædicatione Episcoporum, nonnullas hæreses ortas esse, tradit* Alphonsus de Cast: de Inst: hæret: pun: lib: 3. c. 4. *Si enim Episcopi Germaniæ laborássent, & restitissent Luthero, verisimile est Principes ipsius hæresibus non subscripsisse: & Hussitarum hæreseos fertur fuisse causam Pragensis Archiepiscopi negligentiam.*

QVÆ-

QVÆSTIONES.

Ad Abbatissam spectantes.

1. *Quas qualitates habere debeat Abbatissa, vt eligi possit?*
2. *A quibus eligi debeat?*
3. *Per quod tempus eligi debeat?*
4. *An si in Monasterio non reperiatur Monialis, quæ habeat necessarias qualitates præscriptas à Concilio Tridẽt: pro Abbatissa, possit ex alia Religione eligi?*
5. *Quomodo eligi debeat?*
6. *An eligi possit illegitima, vel corrupta?*
7. *An sit magis expediens Abbatissarum electio perpetua?*
8. *Electa, num etiam confirmanda, & benedicenda?*
9. *An Episcopus, & superior Regularis, qui præsint electioni, possint Claustra Monasterij ingredi tempore electionis, si electio non potest Canonicè fieri, vel ex aliqua alia iusta causa?*
10. *An Abbatissa electa à maiori parte, si appellatio interponatur de electione facta ab alia parte Monialium, quæ electioni non consensit, teneantur interim Moniales contradicentes obedire Abbatissæ?*
11. *An liceat Episcopo, in vim Constitutionis sanct: mem: Greg: XV. de Exemptorum priuilegijs, punire Regulares, qui ad Abbatissæ electionem procedunt ante tempus ipsi Episcopo significatum, aut die electionis eidem nullatenus prænunciatâ?*
12. *An Bulla Greg: XIII. de Abbatissis eligendis, comprehendat etiam alias Officiales Monasterij, ita vt absoluto triennio non possint ampliùs perseuerare in officio?*
13. *An Abbatissa temporalis, sit benedicenda?*
14. *An Abbatissa, sit capax potestatis spiritualis?*
15. *An Abbatissa, ius habeat suspendendi videlicet Clericos suæ Iurisdictioni subiectos?*
16. *An penes Abbatissam sit potestas iubendi, & imperandi aliquid, quo Monialium conscientiæ teneantur?*

17. *Tenor Constitutionis Greg: IV. fel: recor: circà Electionem Abbatissarum in Vniuersa Italia.*

Ad Primum, *Resp: Prater ea, quæ habentur in iure communi, prout in* c. indemnitatibus. de elect: lib: 6. *dicam quæ de iure nouissimo solùm pro practica, & PRIMO: Abbatissa, seu Præfecta Monasterij debet eligi non minor Annis Quadraginta, & quæ Octo Annis post expressam Professionem laudabiliter vixerit. SECVNDÒ, Si his qualitatibus nulla reperiatur in eodem Monasterio, ex alio eiusdem Ordinis eligi potest. TERTIÒ, Si hoc etiam incommodum Superiori, qui electioni præest, videatur; ex ijs, quæ in eodem Monasterio Annum Trigesimum excesserint, & quinque saltem Annis post Professionem vixerint, Episcopo, vel alio Superiore consentiente, eligatur.* Conc: Trid: sess: 25. c. 7. de reform: Regul. *QVARTÒ, An sufficiat attingere dictam ætatem, vel requiratur quòd expleuerit, vide* c. Sāctimoniales. 20. q. 1. & c. Diaconissam, 27. q. 1. & Nau: c. 25. num: 116. *QVINTÒ, Quòd non sufficit, quòd sit professa tacitè, sed requiritur, quòd sit professa expressè: hoc clarè dicit Concilium, & quomodo Professio debet fieri expressè. SEXTÒ, Quòd quando Conc: loquitur de Priorissis, & alijs Præfectis Monasteriorum, debet intelligi, non quando regitur per Abbatissam primò, secundò per Priorissas, seu Vicarias, & inde per alias Officiales, sed debet intelligi, quando Monasterium regitur vel per Abbatissam, quæ est vt caput, vel per Priorissam, vel per Præfectam: & sic habes, quòd circumstantias, de quibus suprà, illas sola debet habere, quæ eligitur in capite regiminis, nam* Gemin: in dict: c. indemnitatibus. notab: 5. *dicit, quòd non est differentia in modo eligendi Prælatum, licet diuerso nomine nuncupentur: & facit text: quia iura loquentia de Abbatissa, locum habent etiam in Priorissa. Vide* Syluest: in ver: elect: 4. n. 7. §. 6. & text: in d. c. indemnitatibus, & gl: ibi in verb: gubernatur. *SEPTIMÒ, Si non reperiretur aliqua in Monasterio, quæ non excedat Triginta Annos: Respondetur, quòd omnino debet esse talis. Ratio, quia datur forma, & vbi verba dant formam, si actus fiat non seruata illa forma, actus est nullus ipso iure.* Bart: in l. Gallus, in

prima columna, ff. de lib: & posthum: *& multa alia, quæ accumulat* Gom: in c. fin: §. si vero. de iudic: lib: 6. num: 19. & 20. *Octauo, Dicet quis, si non posset eligi in Abbatissam, vel Præfectam in capite regiminis, quia non habet requisita prout superiùs, ad minùs eligetur in Vicariam: ratio est, quia sufficit adimplere per æquipollens aliquid, quod non potest per formam propriam. Ad hoc respondetur primò, quòd hoc non est verum: quia quando in aliquo actu est data forma, non sufficit illã adimplere per æquipollẽs, sed debet ad vnguem obseruari; vt tradit* Alexand: in l. 1. col: 2. ff. de lib: & posthum: *& multi Doct: quos citat* Gom: in cap. 1. num: 18. de Const: lib: 6. *Nonò, Si non inueniretur in Monasterio talis, recurrendum est ad tria illa remedia Concilij, vt vel aliunde, vel alias; & hoc fundatur in Ratione, quia in persona, quæ vult regere alias, duo requirantur, grauitas morum, atque ætas; & experientia Religionis, & hanc parturit Professio, argum: eorum quæ dicit Sacrum* Conc: Trid: sess: 23. c. 2. & c. 14. de reform: & in c. iuuenculas. 20. quæst: 1. *& ratio rationis est, quia Abbatissa est velut præsidens, & vocatur Presbytera à sac: Canon:* c. mulieres. 23. d.

Ad Secundum, *Resp: Concilium non statuit à quibus debeat eligi, & confirmari: sed id reliquit dispositioni dicti c. indemnitatibus, vbi habetur, quòd eligi debeat à monialibus eiusdem Monasterij, & quòd non habeat vocem in electione illa, quæ non sit duodecim annorum, & sit professa tacitè vel expreßè, & debet confirmari ab Ordinario loci: sed si Monasterium immediatè est subditum Papæ, à Papa, vel Legato illius Prouinciæ debet confirmari, vt patet per* Capitulum si Abbatem, de elect: lib. 6 Syluest. in verb. Abbatissa. n. 4. §. 1. & Ang. in verb. confirmatio. §. 4. *Hic est dubium, quia in d. capit. indemnitatibus, dicitur, quòd dans vocem, debet esse duodecim annorum, & quòd sit professa tacitè, vel expreßè, an hodie poßit dare vocem illa, quæ iam est duodecim annorum, quia in tali ætate suscepit habitum, per* c. 17. Concil: Trid: Sess: 25. *sed non est professa, nec tacitè, nec expreßè, quia nondum habet sexdecim annos, vt per* c. 15. ead. Sess: *Respondetur, quòd non: sed si excesserit sexdecim annos, & perseuerauerit*

rauerit per annum in Religione, & non emiserit professionem expressam, cùm iã cẽseatur professa tacitè, per c. periculoso. de stat. regul. lib. 6. & c. 1. de reg. eo. lib. & c. ex parte, de reg. extra. *quòd tunc posset dare vocem, quia in hoc sacrum Conc: non derogauit iuri antiquo. Vide* Panor: in c. Vidua: n. 7. de Regul.

Ad Tertium, *Resp: Quòd Gregorius XIII. Bullâ suâ, quæ infra recensetur, statuit, vt Abbatissa, & aliæ Monasteriorum Præfectæ, eligantur non vltra triennium, & ita seruatur in praxi in Italia.*

Ad Quartum, *Resp: Prohiberi* in Clem: 1. de elect. *ne Religiosus aliquis, in Abbatem, vel Prælatum alterius Religionis, vel habitus de cætero eligatur; dans rationem: quia rationi non congruit, vt homines disparis professionis, vel habitûs, simul in eisdem Monasterijs socientur. & hæc est ratio rationis, tum quia non conueniunt in professione, quia Benedictinæ, Ordinis Beati Benedicti, faciunt professionem primò, & postea consecrantur: Franciscanæ, semel, & simul profitentur, & velantur: tum etiam, quoad officia diuina sunt diuersa Breuiaria, & sunt etiam diuersæ Obseruantiæ, & ceremoniæ, vt patet* in Clem: ne in agro Dominico. cum similibus. *Accedit etiam, quòd* Conc: c. 7. in secundo remedio *dicit, quòd eligatur ex alio eiusdem Ordinis, Monasterio: & non loquitur de alio alterius Ordinis, etiam si in extrema necessitate coarctetur electio: & ne mireris, quòd dicta* Clem: 1. de elect: *loquatur de maribus.* Abb: in d. Clem: n. 1. *Nam appellatione Monachorum, veniunt Moniales.* Abb: in cap. de Monial. n. 3. de sentent: excom: *quia idem est de fœminis, propter identitatem rationis: facit* c. in noua actione, 16. q. 7. *vbi dicitur. in vno enim eodemque officio non debet dispar esse professio; dicente Domino ad Mosen,* Deut: c. 22. *Non arabis in Boue & Asino. Id est Homines diuersæ professionis, & in officio vno, non sociabis Vide* Gom: de grat: expect: num. 71. & cap. officij. ext. de elect. *Et licet Abbas debeat eligi de Ordine suo: tamen si fuerit expediens, potest eligi de alieno, & sic de Abbatissa.* Abb: in dicto c. officij. num. 1. & 4. de elect.

Ad Quintum, *Resp: Electionem posse fieri tribus modis de iure antiquo. Primò, per modum Scrutinij, vt sc. à duabus partibus eligatur, vel*

tur, vel compromissi, vel inspirationis, c. quia propter. ext. de elect: Armil: in ver. Abbatissa. n 8. Syluest: in verb. electio 3. num. 7. vsque ad finem. *Secundò: Concilium verò cap. 27. videtur solùm admittere viam scrutinij, & inspirationis: nam ita disponit; Is verò, qui electioni praeest Episcopus, siue alius Superior, claustra Monasterij non ingrediatur, sed ante Cancellorum fenestrellam vota singularum audiat*, & Sac: Cong: declar: q. 16. *sic censuit: In electione Abbatissæ, Episcopus potest vnà cum Vicario suo, vel Secretario, vel alio ab ipso assumpto, vota singularum Monialium, oretenus expressa, audire. Tertiò, ista electio debet fieri per vota secreta singularum eligentium, ita vt eligentium nomina nunquam publicentur.* Con: 1. 6 ibid. *at si non fiat secretè, non valet electio: quia esset contra formam Concilij. ita* Gemin: cum multis, in c. cum expediat, vers: sed pone quòd Canonici, de elect: lib. 6. *& ita fuit decisum Romæ in electione Prouincialis Carmelitanorum, Prouinciæ terræ laboris, Regni Neapolis, qui fuit electus vnanimi consensu, vnica voce, omnibus Fratribus acclamantibus, Eligimus talem: tamen, quia non fuit electus per vota secreta, fuit declarata irrita electio, & loco illius fuit alter electus. Ratio est, quia forma est essentialis, data à Sacro Con: quam non licet alterare, prout dictum est.* §. 1. superiùs.

Ad Sextum, *Resp: Illegitimam eligi, vel corruptam, vetitum est, vt tradit* Glos: in cap. indemnitatibus. 43. §. 1. in verb. Canonicam, de elect: in 6. *& tradit* Felyn: in cap. meminimus. 13. de accusat: num. 4. Zabar: in Clem: 2. §. statuimus. quæst. 10. & seq. de statu Monachorum.

Ad Septimum, *Resp: Multa super hoc articulo.* Nauarr: *adducit* in cap. nullam. 9 caus: 18. quæst: 2. & Rod. tom. 1. quæstionum Reg: in quæst. 16. art. 1. *vbi in fine rationem refert, ob quam Sedes Apostolica in aliquot Religionibus electionem Superiorum temporalem esse censuit.*

Ad Octauum, *Resp: Vtrumque verum esse pro certo supponitur* in Clem: 2. §. statuimus. de statu Monachor: *dum ibi disponitur, eas benedici debere infra annum suæ confirmationis. Tradunt* Panorm:

norm: Felyn: & alij, in cap. Meminimus. 13. in princ. de accusat: & Zabar. in d. § statuimus. in princ. & quæst. 12. in fine, *eas ipso iure priuari dicunt, nisi benedicantur infra annum.*

Ad Nonum, *Resp: Vide* Nauarr: in c. statuimus. 19. q. 3. n. 59. Fr. Ioann. de la Crux, de statu. Relig: lib. 1. c. 5 dub. 1. concl. notab. 3. propè finem, *vbi resoluit hoc limitandum esse, nisi Prælati prudenter iudicent non posse fieri Canonicè dictam electionem ipsis non intrantibus, ob inquietudinem Monialium, & suspicionem subornationis votorum inter ipsas subortæ; aut ob alias iustas causas à Superioribus prudenter arbitrandas, & ibi possunt vota recipere.*

Ad Decimum, *Resp: Quòd Abbatissa, vt supra electa, interim in tēporalibus, & spiritualibus administrabit, & omnes Moniales ei obedire tenentur.* Mirand: in tract: de sac: Monial: q. 7. art. 10. concl. 3.

Ad Vndecimum, *Resp: Sacra Congreg: Concilij Trident: interpretum respondit: Regulares ex eadem Constitutione ita demùm teneri Episcopo significare diem electionis Abbatissæ, eumq; vsque ad præfinitum tempus expectare, si anteà ipse expressè declarauerit se vti velle facultate sibi hac in parte attributa, Abbatissarumque electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere. Post eam verò declarationem, licere Episcopo animaduertere in Regulares, qui ante tempus significatum, aut die electionis eidem non prænunciata, ad Abbatissæ electionem procedunt. Ista declaratio de verbo ad verbum, vt suprascripta, reperitur in quarta parte Bullarij post declarationes dubiorum* Constitutionis fel. rec. Greg: XV. fol. 102.

Ad Duodecimum, *Resp: Quòd nec Concil. Trident: nec Constitutio fel: rec: Greg: XIII. nihil omninò de his disponunt: sed* Sacra Congreg: num. 24. *sic censuit, Moniales, quæ à cap. sui Monasterij electæ sunt in Officiales, vt bona illius Monasterij administrent, possunt in huiusmodi officio perseuerare, quamdiu Superioribus Monasterij visum fuerit; & sic videtur, primò non currere triennium officialibus istis, nec confirmatio superioris est necessaria, nec circumstantiæ aliquæ de quibus supra; sed in quibusdam locis sunt istæ officiales post gradum professionis.*

Ad De-

Ad Decimum tertium, *Resp: Abbatissa temporalis, non est iure benedicenda, nisi Sacrosancta Sedes Apost: aliud statuat expressè, vel seruet contrarium.* Nauarr: cons. 4. de Regul: lib. 3. fol. 574 in antiquis. & cons. 2. de statu Mona: in nouis.

Ad Decimum quartum, *Resp: Conuenire inter omnes Theologos,* in 4. dist: 19 & dist: 25. *& Canonici Iuris Interpretes* in cap. dilecta. de maior: & obe. *non esse capacem potestatis, quæ dicitur Ordinis: an tamen capax sit illius, quæ dicitur potestas spiritualis iurisdictionis, dubiæ est quæstionis. Sanctus* Thom: in 4. dist. 19 q. 1. art. q. 3. ad 4. & dist. 25. q. 2. art. 1. ad 2. Paludanus in 4. dist. 19. q. 2. art. 1. Syuest: in verbo, Abbatissa, num. 1. Sot: in 4. d. 20. q. 1. art. 4. *& multi alij Theologi, negant eam esse capacem spiritualis iurisdictionis ordinariæ, sed tantùm commissæ, delegatæ Romani Pontificis auctoritate: Panormitanus tamen in c. dilecta. citato, & cæteri Iurisconsulti, cum Glossa ibidem, videntur innuere illam esse capacem iurisdictionis etiam ordinariæ, non solùm delegatæ, & demandatæ: id colligunt ex* c. dilecta, de maior. & obed. *vbi dicitur de Abbatissa quadam, Clericos sibi subiectos à Beneficio, & Officio suspendisse: nam certè quodquis ratione dignitatis, munerisue publici, quo fungitur, facit; id ordinariâ auctoritate, non commissa, facit. Dicunt insuper* Glossa, & Abbas in illo cap. dilecta. citato, *posse iure Abbatissam Ecclesias, & Beneficia suo Monasterio subiecta conferre. Vera esse hæc sententia videtur: nam sicut fœmina, ratione dignitatis, vel muneris, capax est ciuilis iurisdictionis, potest enim esse Regina, Ducissa, vel Comitissa, vt vulgò dicitur; sic etiam Abbatissa ratione publici muneris, & officij, ius habet aliquando instituendi Clericos in Ecclesijs suo Monasterio subiectis, & beneficia conferendi, vt colligitur ex* cap. dilecta. citato: *sed hoc non negant* S. Thomas, Paludanus, & alij Theologi, *quando hæc iurisdictio conuenit Præfectæ Monialium ratione Monasterij, cui præest.*

Ad Decimum quintum, *Resp:* Glossa in cap. dilecta. citato, *à Beneficio quidem, non tamen ab officio, eam posse suspendere. At Innocentius ibidem sentit, eam posse ius habere suspendendi ab vtroque,*

 à Be-

à Beneficio videlicet, & officio: nam in cap. dilecta. suprà citato, iubet Pontifex suspensionem seruari, qua Abbatissa suos Clericos à Beneficio, & officio suspendit, & amouet. Quare standum existimo sententiæ Panormitani. Sicut enim Abbatissa ius non habet excommunicationis, aut interdicti sententiam ferendi; sic nec suspensionis propriè acceptæ, siue à Beneficio, siue ab officio: hoc est, non potest suos Clericos ita suspendere, vt si suspensi ipsi Diuina ministeria, & officia præstiterint, & obierint, irregularitatem contrahant. Hæc enim suspensio est propriè censura Ecclesiastica; fœmina autem huiusmodi pœnam irrogare minimè potest. Suspensio autem illa, qua in c. dilecta, Abbatissa Clericos suspendit, est impropriè, ac latè suspensio: quatenùs est præceptio quædam, qua quis suo munere, & officio fungi prohibetur: & Glossa, cùm negat Abbatissam ab officio suspendendi ius habere, locum habet in suspensione primo modo accepta.

Ad Decimum sextum, Resp: Sotus, in 3. d. 20. q. 1. art. 4. Victoriam secutus; non plus auctoritatis tribui Abbatissæ, quàm matrifamilias, ciuiliue magistratui: Quemadmodum, inquit, penes hos potestas spiritualis non est, sed domestica, & ciuilis: & proinde nihil imperare queunt, quo subditorum conscientia obligetur, nisi ratione rei, & materiæ imperatæ, quæ si grauis fuerit, & alicuius momenti, grauem obligationem continet; sin minùs, leuem: Sic etiam Abbatissa, cùm potestatis spiritualis capax non sit, nihil præcipere, & iubere potest, quod grauem obligationem inducat, nisi ratione rei, quam fieri iusserit, potest præcipere Monialibus, nec externis literas scribant, neue illorum literas recipiant, ne cum viris loquantur, ne ad hortos exeant, sed hæc, & similia præcepta pro grauitate, aut leuitate materiæ, Monialium conscientias obstringunt, non quia Abbatissa velit, vt ita obligentur, vt si aliter fecerint Moniales, lethaliter peccent. At Abbates, & alij Præfecti spirituales possunt aliquid præcipere, excommunicationis pœnâ constituta in eos, qui non paruerint. Hæc ex Soto. Nihilominùs tamen potest, vt etiam concedit Sotus, Abbatissa præcipere Monialibus virtute sanctæ Obedientiæ, & ratione voti facti: nam munere, & officio publico fungitur, eiq; Moniales vi professionis emissæ

parere

parêre coguntur, & in eam Superiores Ordinis Regularis, sub quo militant, potestatem, & iurisdictionem transtulerunt.

QVÆSTIONES, AD REDDITIONEM computorum ab Officialibus Monasterij ab Episcopo exigendam, spectantes.

1. Electio Officialium, qui bona Monasterij administraturi sunt, ad quem spectat?

2. An Officiales Monasteriorum, teneantur conseruare bona introitus, & census ipsorum Monasteriorum intrò dicta Monasteria?

3. An valeat quietatio Abbatissæ tempore infirmitatis factæ procuratori in detrimentum Abbatissæ quæ ei successit, & Monasterij, & quid si sit quietatio generalis?

4. An facta exequutione in bonis debitoris, impediatur fieri exequutio in personam, etiam per carcerationem, & an è contra?

5. An solutionis exceptio, possit opponi post sententiam in exequutione?

6. An debitor condemnatus pœnâ debiti, & parti ad certam summam pro interesse, si petat se admitti ad luitionem pœnæ in corpore, eò quòd non habet in ære, sit audiendus?

7. Procurator, seu Administrator Monasterij, si durante administratione efficiatur pauper, an teneatur satisdare, aliàs remoueri possit?

8. An Administratores Ecclesiarum, & locorum piorum, effecti diuites post Administrationem, præsumantur quæsiuisse bona, & subtraxisse de redditibus Ecclesiæ, & locorum piorum?

9. An Procurator Monasterij, seu Ecclesiæ, aut Capituli, qui non exegit à debitoribus, teneatur de suo?

10. Vt Procurator possit repetere expensas in lite, quæ concurrere debeant?

11. Quid si non habeat mandatum, an repetat, quæ vtiliter expendit pro Ecclesia?

12. *Quid si vtiliter cepit, sed succumbit in lite, an repetat expensas?*

13. *Quid si negotia Ecclesiæ agens cum mandato, incidat in Latrones?*

Ad Primum, *Resp*: Ex Sac: Cong: decreto, *vbi censuit in hæc verba: Electio Officialium, qui Administraturi sunt bona Monasteriorum, spectat ad Superiores Monasterij, & ideò licet Episcopus sit eius Superior, ipsi Officiales eligere possunt.*

Ad Secundum, *Resp*: Ex Sac: Cong: in hæc Verba, *Officiales electi pro Administratione bonorum Monasterij à Superioribus eiusdem, possunt, prout ipsis magis expedire videbitur, redditus ipsorum Monasteriorum, in loco conuenienti, etiam extra Monasterium, conseruare, & ab eisdem subministrare pro tempore necessaria ipsis monialibus.*

Ad Tertium, *Resp*: *Negatiuè.* Afflict: decis: 166. num: 2. *Nec quietatio generalis extendetur ad res occultas dolo, prout præsumitur in rebus mobilibus.* l. tres Fratres. ff. de pactis. Iason in l. sub prætextu, num. 2. vers: ego puto. de Transactionibus.

Ad Quartum, *Resp*: *Dubitant Doct: an solutionis exceptio possit opponi post sententiam in executione, & licet varia dicant, ego dicerem, quòd si ante sententiam pars non allegauerit solutionem, tunc solutionis exceptio potest opponi in actu executionis. ita* Capic: decis: 52. Capell: Thol: decis: 270. Rub: decis: 23. Rot: Genuen: decis: 104. Faber, decis: 6. c. de Sententijs Præfect: Præt: *Si autem allegata fuerit solutio ante sententiam, tunc post sententiam in causa executionis admittetur exceptio solutionis per instrumentum nouè repertum, petita tamen restitutione ex clausula generali, ita* Cancer: citat: decis: 309. Artaman: decis: 3. de solut.

Ad Quintum, *Resp*: *Quòd facta exequutione in bonis debitoris, ad instantiam Creditoris, non potest impediri exequutio in personam debitoris, etiam per carcerationem, postquam vtrumque remedium tendit ad eundem finem.* Bart: in l. consentaneam col pen: vers. Secundò quæro. Quom. & quod Iudex: *de quo meminit, eum q.*

sequitur

sequitur Decius in l. iubere carcerari. in fin. ff. de Iurisdict: omn: Iud. & in l. creditor. la 2. col. 1. ℣. & ad hoc, ff. Si certum petatur: *plenius* Marſ. *qui allegat.* concord: in l. vnicus. §. fin. num: 36. ℣. pro quo facit in ſimili. ff. de quæſt. *& ſi debitor eſſet carceratus, creditor non impediretur exequi in bonis debitoris: quia captura perſonæ eſt compulſio, non ſolutio; vt dicit* Bald: in l. 1. in fin. C. de Iur. & fact: ignor. *& latè Dominicus* de Franc: deciſ: CC.

Ad Sextum, *Reſp: Quod quando debitum dependet ex contractu, poteſt tunc debitor cedere bonis, ſi creditor petat debitum, non autem ſufficiat, quòd, creditore non petente, offerat debitor, per* tex: in l. penult. in fin. ff. de in ius vocando. *vbi* Bald: Paul: de Caſtr: Alexan. Ant: de Alex: Iaſon. & Iacobus Decius, in l. ſiquis id quòd. col: 3. in 5. not. ff. de Iuriſd: omn: Iudic. *Iſtam concluſionem non procedere teſtatur* Vincen: de Franchis, deciſ: CCC. LVIII. tit: 4. *& quando verè debitor non eſt ſoluendò, quia hoc caſu etiam creditore reluctante Iudex poteſt arbitrari, quòd debitor luat in corpore, & dicit* Ant: de Alex: in d. c. 1. ℣. ſed luet. *quòd quamuis debitor inuito creditore non luat in corpus, non tamen debet detineri in carceribus, ſed debet haberi fides de debito, donec peruenerit ad meliorem fortunam, allegat* Bal: in l. Quicunque. C. de ſer: fug. *In Regno Neapol: eſt caſus particularis, vbi quando quis non poteſt luere in ære, luat in corpore, ea eſt pœna trigemina.* Afflict: in conſuet: Regni Neapol. in 6. notabil. *vt tenet* Franchus in ſupra dicta deciſ.

Ad Septimum, *Reſp: In hac quæſtione dicendum, quòd tenetur ſatis dare, alias poteſt remoueri ab Officio. Per* tex: in l. liberto. §. largius. ff. de annuis legatis. *vt notat* Bart. *In exequutore teſtamentario electo procuratore, qui poſt mandatum ſit effectus pauper, intelligitur eo ipſo reuocatus. Sed de procuratore vide latiùs per* Bart: in l. ſi cum Cornelius. ff. de ſolut.

Ad Octauum, *Reſp: Rector Eccleſiæ ſeu Hoſpitalis effectus diues poſt Adminiſtrationem, præſumitur quæſiuiſſe de bonis Eccleſiæ, & tenetur ad reſtitutionem.* gl: in l. defenſionis facultas. C. de iure fiſci.

lib: 10. *tenet, quòd si Officialis missus in Prouinciam, lucratus est mille vltra Officium; quòd fiscus potest aufere ei: quia præsumitur quæsiuisse de bonis fisci, quantumcunque sit paratus reddere rationem, quia non potestse tueri contra fiscum. Alij distinguunt, quòd aut Officialis est industriosus, qui potest negotiari, & præsumitur quæsiuisse ex industria, alij aliter distinguunt, vt est videre apud* Ioan: de Plat: in d. l. defensionis. *Alij, quos refert* Bald: in Auth: licentiam. C. de Episc: & Cler. *distinguunt, quòd cum Officialis teneatur reddere rationem Administrationis, aut reddit eam benè, & constat pro eo; aut malè & condemnatur ex hoc prætextu, non autem est contra eum aliqua præsumptio, quòd ipse substraxit. Ita tenet* Petrus Gugliel: de Cunes, *nec videtur obstare secundùm ipsos* d. Auth: licentiam. *quia in illis loquitur Administratoribus, qui non consueuerunt reddere rationem Administrationis, cùm sint Administratores perpetui: sed* Bald: *in* d. Auth: licẽtiam. *singulariter aduertit, quòd hospitalarij debent reddere rationem Superiori quolibet Anno.* Clem: quia contigit. de Relig: domib *& nihilominùs in eis habet locum* d. Auth. *vnde ipse saluando* gloss: in d. l. defensionis, *dicit, quod disponitur in his qui gerunt administrationem fisci: quod idem dicendum est in Administratoribus Ecclesiæ, qui præsumuntur quæsiuisse de bonis Ecclesiæ; & sic habes, quòd Rectores Ecclesiarum, & Hospitalium, siue Hospitalarij, siue Prælati, ditati, post administrationem censentur acquisiuisse bona intuitu Ecclesiæ, & ditari ex bonis Ecclesiæ.*

Ad Nonum, *Resp. Quod de iure Exactores militaris annonæ, si vltra Annum protraxerint exactionem, tenentur de suo, & hoc fauore publico; ius tamen exigendi ab his, qui non soluerunt, ipsis reseruatur. ita habetur in* l. missi opinatores. C. de Exactoribus tributorum. *& ibi* Luc: de Penn. & Io: de Platea. *& de milite ad Ecclesiam, & Ecclesiasticas personas, validũ est arg.* iuxta glos. & omnes. in l. miles. ff. de re Iudic. *versatur enim fauor publicus cultûs Diuini.* cap: ius autem. dist: 1. *Moniales autem quotidie non desinunt orationibus pugnare pro populo: sed vbi non adest fauor publicus, aliud est dicendum: hinc concludit* Io: Ant: Lanar. cons: 99. *Ærarium*

rium Baronis non teneri de suo, pro eo quòd non exigit: quia non solet vrgens aliquod periculum imminere Baroni.

Ad Decimum, *Resp. Clarum est, quòd Procurator Ecclesiæ potest repetere expensas, quas fecerat in lite, duobus concurrentibus. Primùm, quòd fecerit expensas: Secundùm, quòd habuerit mandatum à Capitulo; & si expendit propter accessum ad Sedem Apost. ita demum repetit, si propter litem accesserit; secus si non propter hoc, sed propter aliud. ita probatur in* c. cum pro causa, de procuratoribus, *& poterit constare de mandato, fortè per iuramentum cum vno teste:* ex c. insinuatione. de Procurator. *vt dicit* Ant: de Butr: in d. c. cùm pro causa; *& expensæ possunt probari, præmissá taxatione, per iuramentum.* l. 2. c. de alim: & popul: præst.

Ad Vndecimum, *Resp: Quòd sic:* per tex: in c. quicunque. 2. q. 4. gl: & Ant: de Butr: in d. cap: cùm pro causa. *dicit , quod si habuit Mandatum, indistinctè repetit; si non habuit, repetit solùm quæ expendit vtiliter in negotijs Ecclesiæ. Et si ob aliam causam iuit ad Curiam, vel ad alium locum, non poterit repetere expensas, nisi propter Procurationem traxerit longiorem moram.* l. ex parte. ff. fam: ercis.

Ad Duodecimum. *Si egit cum mandato, siue succumbat, siue obtineat, repetit expensas: si egit sine mandato, ita demum repetit, si obtinuit in fauorem Ecclesiæ. Verùm si certum est, quòd vtiliter cæpit negotium, licet succũbat, repetit expensas per* Text: in l. si autẽ vltro: ff. de neg: gest: *si certum est quòd inutiliter cæpit, & in dubio, propter sententiam contra Ecclesiam reportatam, præsumitur quòd inutiliter cæperit.*

Ad Decimũtertium. *Si agens negotia Eccles: etiam cũ mandato, incidat in Latrones, an repetat expensas? dicendum quòd non,* per l. inter causas, § non omnia. ff. mandati. *Secus in societate.* l. cum duobus, § quidam. ff. pro socio: gl: & Ant: in d c. cùm pro causa. *Non omittendum quod Eccl: tenetur ex contractu particulari inito cum Canonico, vel alio non habente Administrationem Ecclesiæ, si probet rem esse versam in eius vtilitatem.* Innoc: Ant: in c. 1. de dep. *Quæ tãquã vtilia recensere volui.*

REVOCATIO QVARVMCVNQVE Electionum de Iudicibus conseruatoribus hactenus factarum; & noua de eis, eorumq; electionibus in posterum faciendis dispositio: vbi dubium exortum, super nonnullis verbis huius Constitutionis declaratum per Congreg: Concil: Trident: Interpretum recensetur, cuius tenor est infra scriptus.

SAnctissimus in Christo Pater, & Dominus Noster D. GREGOR: diuinâ prouidentiâ Papa XV. ex certis rationabilibus causis animum suum moueñ: & de voto Venerabilium Fratrum suorum S. R. E. Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, partim fel: rec. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris sui vestigijs inhærendo.

§. 1. Reuocauit, ac nullas, & inualidas decreuit omnes, & quascunque Iudicum Conseruatorum electiones, & nominationes, seu deputationes, tàm in vim literarum Conseruatoriarum, iuxta formam in quinterno Cancellariæ descriptam, quàm in vim quorumcunque priuilegiorum, perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum, Apostolicâ auctoritate concessorum, seu aliâs quocunque Iure, vel titulo hactenùs factas pro quibuscunque Conuentibus, Capitulis, Militijs, etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani, Congregationibus, Collegijs, Ordinibus, Monasterijs, Hospitalibus, aut alijs quibusuis pijs, tàm secularibus, quàm cuiusuis Ordinis, etiam Mendicantium, seu Instituti, vel Societatis Regularibus, locis quantumuis exemptis, etiam de necessitate exprimendis, seu illorum personis, cuiusuis qualitatis, seu conditionis existant.

§ 2 In futurum verò Sanctitas Sua hac generali, & perpetuò valiturâ Constitutione statuit, & decreuit, vt Iudices Conseruatores huiusmodi, siue Principales, siue subrogati, eligi, nomi-

nominari, aut deputari non possint, nisi non solùm habeant qualitates requisitas, & descriptas in Constitutione similis rec: Bonifacij Papæ VIII. etiam Prædecessoris sui, quæ incipit (Statutum) ita vt vel dignitate Ecclesiasticâ præditi, vel personatum obtinentes, vel Ecclesiarum Cathedralium Canonici existant; sed etiam in Concilijs Prouincialibus, aut Diœcesanis, iuxta Decretum Concilij prædicti, iudices electi, seu designati sint.

§. 3. Quòdque deinceps literæ Coseruatoriæ per Sedem Apostolicam concedendæ suprascriptis tantùm dirigantur, & si quæ literæ aliter expedientur, illæ, ac deputationes huiusmodi, omniaque exinde sequenda, nullius sint roboris, vel momenti.

§. 4. Et nihilominùs qui secùs, quàm iuxta formam superiùs præscriptam, Conseruatores huiusmodi cum effectu eligere, nominare, seu deputare, aut electis, nominatis, seu deputatis vti ausi fuerint, Regulares quidem voce actiuâ, & passiua sint ipso iure priuati, adeò vt habilitationem à nemine, præterquàm à Romano Pontifice consequi valeant; reliqui verò alijs pœnis arbitrio Sanctitatis Suæ coerceantur, & prædictorum omnium Conuentus, Monasteria, ac loca huiusmodi, eorumque personæ, ac bona careant Conseruatore ad annum, ita vt illorum causæ interea coram locorum Ordinarijs duntaxat cognosci, ac diffiniri debeant.

§ 5. Cæterùm, vt latiùs pateat Conseruatorum huiusmodi deligendorum facultas, Sanctitas Sua admonitos voluit omnes locorum Ordinarios, vt in Synodis Prouincialibus, aut Diœcesanis, quamplures personas ex habentibus qualitates in prædicta Constitutione eiusdem Bonifacij Prædecessoris contentas, & alioquin ad id aptas, designari procurent; & si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci cum consilio Capituli alium in eius locum vsque ad futuram Prouincialem, aut Diœcesanam Synodum.

 §. 6. In-

§. 6. Insuper Sanctitas Sua, inhærendo hac in parte Decreto similis recordationis Gregorij Papæ XIII. etiam Prædecessoris sui, statuit, & ordinauit, vt Regulares ac personæ huiusmodi, in Italia infra duos, extra Italiam verò infra sex menses à die publicationis in Vrbe præsentis Constitutionis inchoandos, debeant sibi eligere, seu assumere Conseruatores iuxta formam superiùs propositam.

§. 7. Eiusque electionis, seu assumptionis documentum infra tempus huiusmodi, penes Acta Curiæ Ordinariorum exhibere, & admittere teneantur: alioquin eo termino elapso, quamdiù Conseruatores secundùm formam præsentis Constitutionis non elegerint, coram eisdem Ordinarijs conueniantur.

§. 8. Quòdque Conseruatores huiusmodi, semel legitimè deputati, nisi ex legitima causa, à Sede Apostolica, aut locorum Ordinarijs, prout ijsdem Regularibus, & alijs supradictis libuerit, approbanda, durante quinquennio à die deputationis, amoueri, aut mutari nullatenus possint, aut valeant.

§. 9. Ad hæc statuit Sanctitas Sua, vt coram ipsis Conseruatoribus Regulares, ac personæ suprascriptæ conueniri quidem, aut trahi debeant; sed alios conuenire, aut trahere non possint: ita vt memorati Conseruatores in causis, in quibus Regulares, & alij Actores fuerint, nullam prorsus iurisdictionem habeant, sed in ijs tantùm in quibus Rei extiterint; neque extra Ciuitates, seu Diœceses, in quibus fuerint deputati, contra quoscunque procedere præsumant.

§. 10. Si qua verò inter Iudices Conseruatores huiusmodi, & locorum Ordinarios controuersia super competentia iurisdictionis orta fuerit; nequaquam in causa procedatur, donec per arbitros, in forma Iuris electos, super iurisdictionis competentia fuerit iudicatum.

§. 11. Quòd si qui Conseruatores, siue in hac parte, siue aliàs quomodolibet, suos limites excesserint, per annum ab officio

Conser-

Conſeruatoris huiuſmodi ſuſpenſi ſint, & pars, quæ hoc fieri procurauerit, ſententiam excommunicationis incurrat, iuxta formam alterius Conſtitutionis eiuſdem Bonifacij Prædeceſſoris, quæ incipit (Hac Conſtitutione) quam Sanctitas Sua in omnibus, quæ præſenti Conſtitutioni non aduerſantur, innouauit, & innouat.

§. 12. Per hoc tamen non intendit Sanctitas Sua prohibere, quominùs Regulares, & alij ſupradicti, in caſibus à iure permiſſis, petant Iudicem non ſuſpectum à Principibus, ſeu Magiſtratibus Secularibus; dum tamen hæc tria copulatiuè concurrant: videlicet, vt Regulares, & alij prædicti ſint actores, non autem rei; vtque agant contra laicum, non autem contra Eccleſiaſticum, vel aliâs à Iuriſdictione ſeculari exemptum; atque vt cauſa, in qua Iudex deputatur, fuerit prophana, non autem Eccleſiaſtica, & in ea iuxta Sacrorum Canonum diſpoſitionem, laicus, vt præfertur, eligendus, Iudex competens exiſtat.

§. 13. Quæ omnia & ſingula in præſenti Conſtitutione contenta, Sanctitas Sua voluit inuiolabiliter obſeruari; decernens ſic in ijs, cæteriſque omnibus præmiſſis per quoſcunque, &c. etiam Sacri Palatij Apoſtolici Auditores, necnon Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata, &c. iudicari, &c. nec non irritum, & inane, &c.

§. 14. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac literis Conſeruatorijs, quas omnes ad formam præſentis Conſtitutionis reduxit, in fauorem quorumcunque Ordinum, tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum, etiam Sancti Ioannis Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum, aut cuiuſuis alterius Inſtituti, etiam neceſſariò exprimendi, Collegiorum, Capitulorum, Eccleſiarum, Monaſteriorum, ac piorum quorumcunque, tam ſecularium, quàm Regularium locorum: necnon illorum etiam iuramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel firmitate

aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, Priuilegijs quoque, etiam ex cauſa, & titulo oneroſo, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam Mari magno, ſeu Bulla aurea, aut aliâs nuncupatis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis, etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliâs quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis, conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque tenoribus, & formis, ſpecialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſeruanda eſſet, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitùs omiſſo, & formâ in illis traditâ obſeruatâ, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habens: quibus, quoad ea, quæ præſentibus aduerſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſsè derogauit, cæteriſque contrarijs quibuſcunque.

§. 15. Cæterùm, vt præſens Conſtitutio faciliùs omnibus innoteſcat, Sanctitas Sua voluit, & mandauit, vt non ſolùm in Cancellaria Apoſtolica, ſed etiam ad valuas Baſilicæ, Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in Acie Campi Floræ, publicetur, illiuſque exempla in iiſdem locis affixa, dimittantur, ac in Quinterno Cancellariæ inter Conſtitutiones perpetuas deſcribatur, & annotetur.

Placet, publicetur, & deſcribatur, A.

Lecta, & publicata fuit ſupradicta Conſtitutio, in Cancellaria Apoſtolica, ab altero ex Reu: P. D. Maioris Præſidentiæ Abbreuiatoribus, die vigeſima Menſis Septembris, Anno Incarnationis Dominicæ,

Milleſi-

Millesimo, Sexcentesimo, Vigesimo primo. Pontificatûs verò prælibati Sanctissimi Domini Nostri, D. Gregorij Papæ Decimiquinti, Anno Primo.

Et postmodum, die & Anno, supradictis, in Quinterno eiusdem Cancellariæ inter alias Constitutiones Apostolicas descripta, & annotata fuit.

Nicolaus Vrsinus, Procustos.

In Dei nomine, Amen. Anno à Natiuitate Domini Nostri Iesu Christi, Millesimo, Sexcentesimo, Vigesimo primo, Indictione quarta, die verò vigesima Septembris, Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri, D. Gregorij Diuinâ prouidentiâ Papæ Decimiquinti, Pontificatûs sui Anno Primo, retroscripta Constitutio Apostolica affixa, ac publicata fuit in valuis Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & in Acie Campi Floræ, per me Augustinum Braccherium, Apostolicum Cursorem.

Octauius Spada, Magister Cursorum.

Sequitur aliquod dubium super ista Constitutione exortum, cum sua declaratione.

In Constitutione de Conseruatoribus, edita à san: mem: Gregorio Decimoquinto, ex sententia Sacræ Congregationis Concilij, inter cætera statutum est, vt coram Conseruatoribus Regulares conueniri quidem, aut trahi debeant; sed alios conuenire, aut trahere non possint: ita, vt memorati Conseruatores, in causis, in quibus Regulares, & alij, Actores fuerint, nullam prorsus iurisdictionem habeant, sed in ijs tantùm, in quibus rei extiterint.

Dubitatur nunc: An per hæc verba, sublata sit facultas, quam habent Conseruatores defendendi Regulares, & alios à mani-

à manifestis iniurijs, & violentijs, quæ illis de facto inferuntur, dum à suis possessionibus deijciuntur, & proprijs bonis, vti ac frui, impediuntur?

Sacra Congregatio Cardinalium, Concilij Tridentini Interpretum, censuit, eiusmodi verbis minimè sublatam fuisse facultatem, quam habent Conseruatores, defendendi Regulares à manifestis iniurijs, ac violentijs; dummodò obseruent formam præscriptam Constitutionibus Innocētij Quarti, & Bonifacij Octaui, relatis in *Cap: 1. & fin: de offic: deleg: in 6.*

C. Card: de Torres.

Prosper Fagnanus, S. Congr: Secr.

QVÆSTIONES.

1. *Conseruatores Religionum, quando possunt suam iurisdictionem alteri delegare?*
2. *An possint, absq; insertione suarum facultatum, citare?*
3. *An sint Iudices ordinarij, vel delegati?*
4. *Conseruatorum suæ Religionis foro, in aliqua causa, Prælatus si non vtatur, an sibi præiudicet?*
5. *Conseruatoribus suppositi, & ab Ordinarijs exempti, an possint se iurisdictioni Ordinariorum submittere?*
6. *Ab huiusmodi Conseruatorum sententijs, seu grauaminibus, ad quem dabitur appellatio?*
7. *An Constitutio præfata Gregorij XV. de Conseruatoribus edita, afficiat Religionem Hierosolymitanam?*

Ad Primum, *Resp. Non. vigore huius Bullæ, quia id expressè non disponit: ad* tex: in cap: fin. §. vices. de offic. de leg: in 6. *& scribit* Petrus Greg: in Syntag: Iur: lib: 47. cap: 22. num: 27.

Ad Secundum, *Resp. Citant, si citandus est in loco citantis.* Ias: cons: 145. lib: 4. n. 6. *vel in loco non multùm distante.* Gratian:

tian: lib: 1. discept: forens: cap: 170. n. 30. & seq. post Syluest: in Summ. in verbo, Conseruatores. in 3. ℣. Dico quintò.

Ad Tertium, *Resp. Delegati sunt, ideoq; de illis tractatur in* c. 1. & vlt: de offic: deleg: in 6. *& hoc pro certo tradit* Nauar: in cons: 1. aliâs 3. lib: 1. de offic: deleg: n. 1. & Petrus Greg: in syntagm: Iur: lib: 47. c. 22. n. 23. post Syluestr. in Summa, §. Conseruator. n. 3. ℣. Decimoquinto, & Summa Armil: in d. §. Conseruator. num: 4.

Ad Quartum, *Resp. Non præiudicare. ita tenet* Federicus de Senis, in cons: 14. num: 5. *vbi antiquiores allegat.*

Ad Quintum, *Resp. Poterunt: sed sibi, & non alijs præiudicant.* Ferret: cons: 102. lib: 1. in n. 18. Corn: Cons: 214. lib: 2. n. 8. Rota in Decis: Seraph: 595. n. 7. *vbi subdit secus esse de Exẽptis, & Sedi Apost: immediatè subiectis: de quibus suprà.*

Ad Sextum, *Resp. Conseruatores, sunt Iudices delegati à Papa, in causis eis commissis.* cap: 1. & seq: de offic: Iudic: deleg: in 6. *propterea ad Papam tantummodò ab eis appellatur.* Ancharan: cons: 72. n. 1.

Ad Septimum, *Resp: Quòd non, nisi quoad Iudices Conseruatores, eidemq; Religioni adhuc ius eiusmodi, Iudices Conseruatores eligendi competere, declarauit* Sac: Congr: Conc: Trid: die 6. Februarij, 1627. *sub his verbis:* Sacra Congregatio Illustrissimorum Cardinalium Conc: Trid: Interpretum, censuit Constitutionem sanctæ mem: Gregorij XV. de Conseruatoribus, nõ afficere Religionem Hierosolymitanam, nisi quòd Iudices Conseruatores, eidemque Religioni adhuc ius eiusmodi, Iudices Conseruatores eligendi competere. *Supradicta declaratio reperitur, impressa in Bullario SS. D. N. Vrbani VIII.* fol: 392. *quæ incipit:* Exponi nobis, &c.

BVLLA FEL: RECOR: GREG: XV.

In qua fit Confirmatio, & ampliatio, Constitut: Pij IV. editæ, contra Sacerdotes in Confeßionibus Sacramentalibus, pœnitentes ad turpia sollicitantes.

GREGORIVS PAPA XV.

Ad futuram rei memoriam.

VNiuersi Dominici gregis curam, eamque immeriti, cœlesti dispositione gerentes, sedulò inuigilare tenemur, vt ab omnibus prauis contagijs conseruetur immunis, multoque maiori studio prouidere, vt omnis pestis ab ijs auertatur, quibus alios sanandi officium est commissum, ne, quod Euangelica scripta nos admonent, sale infatuato, non sit in quo saliatur, & ad nihilum prosit vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.

§. 1. Quoniam autem à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, quibusdam in locis prouisum fuit, vt impium, ac nefandum scelus, quod non solùm inter Christi fideles nõ esse, sed nec etiam nominari debet, procul ab ijs arceatur; videlicet, vt aliquis Sacerdos ad sacras audiendas confessiones deputatus, Sacrosancto Pœnitentiæ Sacramento, sollicitando pœnitentes ad turpia, abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane aspidem porrigat, ex cœlesti Medico infernalis veneficus, & ex Patre spirituali, proditor execrabilis animarum reddatur: Idcirco Nos ea, quæ his perniciosissimis Diaboli insidijs arcendis, certis in locis salubriter constituta sunt, vt nullibi desiderentur, quantùm ex alto conceditur, prouidere duximus.

§. 2. Aliàs siquidem, à fel: rec: Pio Papa IV. prædecessore nostro, emanârunt literæ tenoris subsequentis, videlicet;

Pius

Pius Papa IV. Venerabili Fratri Archiepiſcopo Hiſpalenſi, in Regno Hiſpaniæ hæreticæ prauitatis Inquiſitori Generali. Dum ſicut nuper, non ſine animi noſtri moleſtia, accepimus, diuerſi Sacerdotes in Regnis Hiſpaniarum, atque etiam in Ciuitatibus, & Diœceſibus curam animarum habentes, ſiue eam pro alijs exercentes, aut aliâs audiendis confeſſionibus pœnitentium deputati, in tantam proruperint iniquitatem, vt Sacramento pœnitentiæ in actu audiendi confeſſiones abutantur; nec illi, vt qui in eo inſtituti ſunt, Domino Deo, & Saluatori noſtro Ieſu Chriſto iniuriam facere vereantur, mulieres videlicet pœnitentes, ad actus inhoneſtos, dum earum audierunt confeſſiones alliciendo, & prouocando, ſeu allicere, & prouocare tentando, ac loco earum per Sacramentum huiuſmodi Creatori noſtro reconciliationis, grauiorum peccatorum mole eas onerando, & in manus Diaboli tradendo, in Diuinæ Maieſtatis offenſam, animarum perniciem, & Chriſti fidelium ſcandalum non modicum. Nos, in animum inducere nequeuntes, quòd qui de Fide Catholica rectè ſentiunt, Sacramentis ab Eccleſia Dei inſtitutis abutantur, aut illis iniuriam faciant, Fraternitati tuæ, de cuius eximiâ pietate, virtute, atque Doctrinâ plurimùm in Domino confidimus, per præſentes committimus & mandamus quatenus per te, vel alium, ſeu alios, à te deputandum, ſeu deputandos, contra omnes, & ſingulos Sacerdotes dictorum Regnorum, ac illarum ciuitatum, & Diœceſium de præmiſſis quomodolibet diffamatos, tàm ſeculares, quàm quorumuis etiam exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectorum Ordinum Regulares, cuiuſcunque dignitatis, ſtatûs, gradûs, ordinis, conditionis, & præeminentiæ exiſtant, tàm ſuper præmiſſis, quàm ſuper fide Catholica, & quid de ea ſentiant, diligenter inquiras, & iuxta facultatem tibi contra hæreticos, aut de hæreſi quouis modo ſuſpectos, à Sede Apoſtolica conceſſarum continentiam, & tenorem procedas, ac culpabiles repertos iuxta exceſſuum ſuorum qualitatem, prout

de iure fuerit faciendum, debitâ præcedente degradatione, secularis iudicis arbitrio puniendos tradas. Non obstant: &c. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 16. Aprilis, Anno Domini, Millesimo, Quingentesimo, Pontificatûs Nostri anno secundo.

§. 3. Igitur vt literæ prædictæ perpetuis futuris temporibus, & vbique locorum inuiolabiliter obseruentur, Motu proprio, & ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione nostrâ, ac de consilio Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, contra hæreticam prauitatem generalium Inquisitorum, præinsertas literas huiusmodi, ac omnia, & singula in eis contenta, Apostolicâ auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque omnibus, & singulis, inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, illasq; non solùm in prædictis Hispaniarum Regnis, sed in quibusuis Christiani orbis partibus firmiter, & inuiolabiliter obseruari præcipimus, & mandamus.

§. 4. Ac præterea, ne in futurum de pœna his delinquentibus imponenda, & de modo contra eosdem procedendi ab aliquo dubitari possit; statuimus, decernimus, & declaramus, quòd omnes, & singuli Sacerdotes, tàm seculares, quàm quorumuis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediatè subiectorum Ordinum, Institutorum, Societatum, & Congregationum Regulares cuiuscunq; dignitatis, & præeminentiæ, aut quouis priuilegio muniti existant, qui personas, quæcunque illæ sint, ad inhonesta, siue inter se, siue cum alijs quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis confessionis, siue ante, vel post immediatè, seu occasione, vel prætextu confessionis huiusmodi, etiam ipsa confessione non secuta, siue extra occasionem confessionis in confessionario, aut in loco quocunque vbi confessiones Sacramentales audiantur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare, vel prouocare ten-

taue-

cauerint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint, in officio Sanctæ Inquisitionis seuerissimè, vt infra, puniantur. Et præterea omnes hæreticæ prauitatis Inquisitores, & locorum Ordinarios, omnium Regnorum, Prouinciarum, Ciuitatum, Dominiorum, & locorum vniuersi orbis Christiani, in suis quemque Diœcesibus, & Territorijs, per has nostras literas, etiam priuatiuè quoad omnes alios, specialiter, ac perpetuò Iudices delegamus, vt super his contra prædictos simul, vel separatim, in omnibus, prout in causis fidei, iuxta Sacrorum Canonum formam, necnon officij Inquisitionis huiusmodi Constitutiones, Priuilegia, consuetudines, & decreta, diligenter inquirant, & procedant: & quos in aliquo ex huiusmodi nefarijs excessibus culpabiles repererint; in eos pro criminum qualitate, & circumstantijs, suspeñ: ab executione Ordinis, priuationis beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcunque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, necnon vocis actiuæ, & passiuæ (si regulares fuerint) exilij, damnationis ad triremes, & carceres etiam in perpetuum absque vlla spe gratiæ, aliasque pœnas decernant: eos quoque, si pro delicti enormitate grauiores pœnas meruerint, debitâ præcedente degradatione, Curiæ seculari puniendos tradant.

§. 5. Dantes etiam facultatem Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, & Generalibus Inquisitoribus, ne delictum tam enorme, Ecclesiæ Dei tam perniciosum, remaneat, ob probationum defectum, impunitum, cùm difficilis sit probationis, testibus etiam singularibus, concurrentibus præsumptionibus, indicijs, & alijs adminiculis, delictum probatum esse, arbitrio suo iudicandi, & Curiæ seculari, vt præfertur, reum tradendum esse, pronunciandi.

§. 6. Non obstañ: omnibus, quæ dictus prædecessor in suis literis prædictis voluit non obstare, cæterisque contrarijs quibuscunque.

§. 7. Mandantes omnibus Confessarijs, vt suos pœnitentes, quos nouerint fuisse ab alijs, vt suprà, sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes, seu, vt præfertur, tractantes, Inquisitoribus, seu Locorum Ordinarijs prædictis: quòd si hoc officium prætermiserint, vel pœnitentes docuerint non teneri ad denunciandum Confessarios sollicitantes, seu tractantes, vt supra; ijdem Locorum Ordinarij, & Inquisitores, illos pro modo culpæ punire non negligant.

§. 8. Volumus autem, vt præsentium transsumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra vbique habeatur, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 9. Quodque eædem præsentes literæ, seu illarum exempla, ad valuas Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Vrbe, & in Acie Campi Floræ affixæ, omnes ita arctent, & afficiant, ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent.

Dat: Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die 30. Augusti. M. DC. XXXII. Pontificatûs Nostri Anno Secundo.

Anno à Natiuitate Domini Nostri Iesu Christi, Millesimo, Sexcentesimo, Vigesimo secundo, Indictione quinta, die verò primâ Mensis Septembris, Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris & D. N. D. Gregorij, Diuina prouidentia Papæ XV. Anno eius Secundo, retroscripta Constitutio, siue literæ Apostolicæ affixæ fuerunt ad valuas Sancti Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum, Basilicarum de Vrbe, & in Acie Campi Floræ, vt moris est, per me Brandimartem Latinum, Apostolicum Cursorem.

Octauius Spada, Mag: Cursorum.

DE.

DECLARATIONES FACTÆ

per Sacram Congreg: Eminentissimorum Cardinalium Inquisitorum Generalium Hæreticæ prauitatis super dicta Bulla, & transmissæ Illustrissimo Archiepiscopo Aueniouen: die 27. Octobris 1614.

MOlto Illustre, e Reuerendissimo Signore. Dopò essersi hauuta lunga, & matura consideratione sopra il dubio significato da diuerse bande, se i Penitenti son obligati à denunciare i Confessori, daquali sono stati sollicitati nelluogo, ò atto della Confessione, quando hanno consentito alla sollicitatione: Nostro S. e questi miei SS. Illustr: in Congregatione auanti Sua Santità, à 25. de Luglio passato, Dopò hauere anco inteso il parere di vna particulare Congr: deputata per questo effetto, hanno risoluto, che qual siuoglia penitente è tenuto à denunciare il Confessore, ancorche l' habbia consentito, e non è tenuto à propalare il proprio consenso, ne sopra ciò s' interroghi dal Vescouo, ò Inquisitore, ò da loro Vicarij, auanti i quali deporrà la Confessione denunciato; prodecedendosi poi contra di lui ne i constiuti, chese gli faranno. Non s'interroghi sopra detto consenso, & in caso chegli volesse dirlo da se, non si scriua il suo detto, come cosa in ordine alla persona sollicitata, non spettante al Santo Officio. Le parti dunque di V. S. Sono il significare la detta risolutione à i Confessori, & incaricargliene strettamente l'osseruanza, acciò ne i casi, ch' occorrono alla giornata conforme al tenore della constitutione publicata da Gregorio XV. san: memor: contra i Confessori sollicitanti, significhino à i Penitenti l' obligo, che hanno di denunciare i Confessori, da quali saranno stati sollecitati, & hauendoli consentito, e facendo difficoltà in scoprire il proprio consenso conforme alla risolutione, che s'

è fatta, si dichiari apertamente, che non sono tenuti à propalare il detto consenso, e che tanto essi Penitenti, quanto i Confessori sollicitanti, procedendosi contra di loro, non saranno di ciò interrogati, e dicendolo da se, non si receuerâ, ne scriuerà il detto. E quando tuttauia il penitente persistesse nella medesima renitenza, N. S. si contenta, che dal Vescouo, ô dall' Inquisitore, si dia auttorità al Confessore di riceuere per scrittura, e con giuramento la denuncia, per portarla subito à chi l' hauera data auttorità di pigliarla: e se oltre le cose sudette occorrerà altro caso graue, per il quale non si possa il penitente indurre à denunciare; vuole Sua Santita, che se ne scriua quà, e s' aspetti la risposta, & intanto si soprasedi nella assolutione di esso. E tanto si contenterà V. S. di far osseruare nella sua Diocese, facendo registrare la presente ne gl' atti di cotesta Corte per information sua, e de sui Successori, che doueranno hauer mira, che la presente risolutione risguarda solo quei penitenti, che per hauer consentito, fanno difficoltà in denunciare; ma à quei, che non hanno consentito, ò hauendo consentito, non sono in ciò renitenti, non deue il Confessore porre difficoltà alcuna, ma lasciare, che liberamente, & indifferentemente sodis faccino all' obligo, che hanno di denunciare conforme alla sudetta Constitutione: e per fine il S. Iddio conceda à V. S. ogn' altra prosperità maggiore. Di Roma, li 27. di Settembre, 1624. Di. V. S. Affectionatissimo per Seruirla. Cardinal il Millino.

QVÆSTIONES.

1. *Num hæc pœnalis Constitutio, loquens de tentantibus mulieres, locum habeat etiam contra tentantes adolescentes de vitio nefando, ex maioritate rationis?*

2. *An credatur testi vnico, quando est impossibile, vel difficillimum alios inuenire: & quid moneant Doctores in hac materia sollicitationis?*

3. *An*

3\. *An credatur pœnitenti contra Confessarium, si dicat reuelasse eius confessionem?*

4\. *An Confessarij qui sollicitauerunt ad turpia in actu confessionis, vel ante, vel postea, per quamcunque gratiam factam, vel faciendam, possint restitui, vt valeant Confessiones secularium audire, & quid si abiurarunt aliàs secretè, vel publicè?*

Ad Primum, *Resp: Quòd sic: ita punctualiter post* Saled: *qui allegat hanc Bullam; & hunc casum comprehendere tradit* Rod: qu. 27. art. 3. & etiam Stephan: Quaranta, in sua Summa, in verb. Confessor: vers. ampliatur. *Vbi luculenter nonnullas optimas rationes adducit, & ita etiam in dict: Tribunal: Sanctiss: Inquisitionis practicari ab eiusdem Ministris accepi.*

Ad Secundum, *Resp: Quòd testi vnico credatur, quando impossibile est, vel difficillimum, alios inuenire: latè tradit* Marsilius in l. si quis, in fin: ff. de quæst: *ad quem te remitto. Admonent tamen Doctores, Episcopos, & Inquisitores, quòd vbi huiusmodi sollicitationes contingunt, multa debent præ oculis habere: neque enim temerè quibusuis credere testibus singularibus, neque debet probitas Confessariorum ob vnius, vel alterius mulierculæ, maximè impudicæ, testimonium, in discrimen venire, & inquirendum sit in vitam & mores tam Confessarij, quàm mulierum*, Iac: Leonissa, cons: 55. n. 12. inter consilia crimin: diuers: tom: 1. Ludouic: à Paramo, lib: 3. de orig: Officij S. Inquisit: cap: 10. n. 165. 166. & Riccius, resol: 440. *Ego autem monerem, quòd quando casus huiusmodi eueniret, Episcopus, vel Inquisitor consuleret Sacram Congr. referendo merita causæ, & testes examinatos, & fidem, quæ illis potest adhiberi.*

Ad Tertium, *Resp: Quòd creditur pœnitenti contra Confessarium, si dicat reuelasse eius Confessionem, ad puniendum pœnâ extraordinariâ. Abb. & DD.* in Cap: Hominis. de pœnit. *& Rojas latè in singular: fidei 3. quia veritas alio modo haberi non potest. Sed Cardinalis in d. loco dicit posse hoc quæri: vt autem pœna arbitraria puniri possit, requiritur, quòd reuelatio Confessionis probetur: puta si aliquod factum appareat reuelatum alijs, & pœnitens asserat Sacerdotem Con-*

tem Confessionem reuelâsse, nam Sacerdos probare debet, ab alijs fuisse reuelatum, & non per ipsum Confessarium, aliâs condemnabitur tantùm pœna arbitr: vt est communis opinio Nauar: in cap: penult: de pœnitent: & remission: num: 164. Mascard: in conclus: 1292. n. 5. Cardin: & Abbas, in cap: omnis. de pœnit. *Secundò probatur, si Sacerdos fateatur reuelasse tale dictum, sed negaret illud habuisse in Confessione: etenim est præsumptio contra ipsum, ex quo condemnatur etiam pœna arbitraria.* Angel: in sua summa, in verb: confess: n. 21.

Ad Quartum, *Resp: Quòd Sacra Congregatio Sancti Officij,* vt refert Quara: in verb: Confessor. *decreuit, vt infra, die 2. Decembris, 1562. Illustrissimi DD. Cardinales Inquisitores Generales decreuerunt, quòd per quamcumq; gratiam factam, vel fiendam, quibusuis alijs decretis, non intendunt eos restituere, vt possint Confessiones aliquorum secularium audire. Idem confirmatum fuisse reperitur in Actis Sancti Officij, sub die 15. Nouembris 1565. cum additione, seu declaratione, quòd illi, qui abiurarũt aliâs secretè, vel publicè, aut aliâs quomodocunq;, non admittantur ad audientiam Confessionum secularium: ita habetur inter decreta Sancti Officij in fine iudicior: inquisi: Rom: impressi: Anno 1570.* fol: 476.

DECRETVM FEL: REC: GREGORII XV.

Vbi confirmando Decretum sanct: mem: Pauli V. per quod Mandatum erat, quòd nemo audeat in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & alijs quibuscunq; actibus publicis, asserere, quòd B. Virgo fuerit concepta cum peccato originali: & contrà facientes voluit, & declarauit subiacere debere, & subiecerit censuris, & pœnis in Constitutionibus suorum Prædecessorum, & sua, ipso facto incurrendis, extendit, & ampliauit etiam ad priuata colloquia,

loquia, & scripta, prout infra. In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico, in Monte Quirinali, coram S.D.N. D. Gregorio diuinâ prouidentiâ Papa XV. ac Illustrissimis & Reuerendissimis DD. S. R. E. Card: aduersus Hæreticam prauitatem Inquisitoribus Generalibus, à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

SAnctissimus D. N. auditis votis Illustrissimorum, & Reuerendissimorum DD. Cardinalium contra Hæreticam prauitatem Generalium Inquisitorum, Decretum aliâs editum, à fel: record: Paulo V. eius prædecessore, tenoris sequentis, videlicet:

Sanctissimus Dominus Noster post longam, & maturam discussionem, auditis votis Illustrissimorum, & Reuerendissimorum DD. Cardinalium contra hæreticam prauitatem Generalium Inquisitorum, re accuratè, ac diligenter perpensa, prouidè considerans, quòd quamuis in Constitutione fel: record: Sixti IV. super conceptione Beatissimæ Virginis Mariæ, pro submouendis inter Christi fideles scandalis, rixis, & contentionibus, edita, à Sancta Tridentina Synodo innouata, & deinde in alia Constitutione san: mem: Pij V. super eadem re, quas similiter Sanctitas Sua innouauit cum quibusdam prouisionibus, & adiectionibus pœnarum pro efficaciori earum obseruatione, relinquebatur vnicuique libera facultas tenendi, & etiam asserendi vtramque partem, quòd scilicet fuerit, vel non fuerit concepta cum peccato originali, dum tamen neutra veluti erronea, aut hæretica damnaretur: nihilominus quia ex occasione assertionis affirmatiuæ, in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & actibus publicis, quòd eadem Beatissima Virgo fuerit cum peccato originali concepta; oriuntur in populo Christiano cum magna Dei offensa, scandala, iurgia, & dissentiones. Propterea volens huiusmodi scandalis, ex debito sui muneris, prouidere, decreuit,

 & præce.

& præcepit, ac præsentis decreti virtute mandat, & præcipit omnibus, & singulis cuiusuis Ord: & Instituti Regularibus, & alijs quibuscunq;, tàm Ecclesiasticis, quàm secularibus personis, cuiusuis cōditionis, status, gradûs, Ordinis aut dignitatis, tàm Ecclesiasticæ, quàm secularis, etiamsi specialis, specifica, & indiuidua earū esset necessariò mentio facienda, vt in posterum, donec articulus huiusmodi à S. Sede Apostolica fuerit diffinitus, vel per Sanctitatem Suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, alijs quibuscunque actibus publicis asserere, quòd eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali. Contrafacientes autem, eadē Sanctitas Sua voluit, & declarauit subiacere debere, & subiecit censuris, & pœnis contentis in supradictis Constitutionibus suorum prædecessorum, & sua, ipso facto incurrendis. Per huiusmodi tamen prouisionem Sanctitas Sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec in vllum pro. sus præiudicium inferre; eam relinquens in eisdem statu & terminis, in quibus de præsenti reperitur, præterquàm quoad suprà disposita. Vlterius, sub eisdem censuris, & pœnis mandans, quòd negatiuam opinionem, videlicet quòd non fuerit concepta cum peccato originali, in prædictis publicis actibus asserentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, seu tractent. Insuper voluit, & expresse mandauit, vt extra hos casus expressos publicorum actuum, in reliquis omnibus supradictæ Constitutiones firmæ, & illæsæ remaneant, & exactè obseruentur, perinde ac si præsens decretum non emanasset. Et ita decreuit, & mandauit vbique inuiolabiliter obseruari, non obstantibus in hac parte supradictis Constitutionibus, & alijs omnibus in contrarium facientibus, &c.

Hoc suo præsenti Decreto ex eisdem causis euitandi scādala, dissensiones atque discordias in populo Christiano, quæ pari ratione oriri possunt, &, vt accepit, in aliquibus regionibus iam ortæ sunt ex sermonibus priuatis occasione assertionis affirmatiuæ, extendit, & ampliauit etiam ad priuata colloquia, & scripta, mandans & præcipiens omnibus, & singulis supradictis, ne de cætero, donec articulus huiusmodi à Sede Apo-

de Apoſtolica diffinitus, vel per Sanctitatem Suam, & Sedem Apoſtolicam fuerit aliter ordinatum, neque etiam in ſermonibus & ſcriptis priuatis audeant aſſerere, quòd eadem Beatiſſima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmatiua aliquo modo agere, ſeu tractare: exceptis tamen, quibus à Sancta Sede Apoſtolica fuerit ſuper hoc ſpecialiter indultum. Per hoc tamen Sanctitas Sua non intendit reprobare hanc opinionem, nec ei vllum prorſus præiudicium inferre, eam relinquens in eiſdem ſtatu & terminis, in quibus reperitur, præterquàm quoad in ſupradicto fel: record: Pauli V. & hoc ſuo decreto diſpoſita. Eademque Sanctitas Sua voluit, & expreſsè mandauit, vt in reliquis omnibus, vbi huiuſmodi decretis non aduerſantur, Conſtitutiones Sixti Quarti, Alexandri VI. & Pij V. ac Pauli V. eius prædeceſſorum, ſuper Conceptione Beatiſſimæ Virginis firmæ & illibatæ remaneant, ac exactè obſeruentur, perinde ac ſi huiuſmodi Decretum non emanaſſet. Et inſuper eadem Sanctitas Sua, cùm Sancta Romana Eccleſia de Beatiſſimæ Virginis Conceptione Feſtum ſolemnizet, & Officium celebret, omnibus, & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis, tam ſecularibus, quàm cuiuſuis Ordinis, & Inſtituti Regularibus mandat, ac præcipit, vt in Sacroſancto Miſſæ ſacrificio, ac diuino Officio celebrandis, tam publicè, quàm priuatim, non alio, quàm Conceptionis nomine vti debeant. Contrauenientes autem, Sanctitas Sua voluit, & declarauit ſubiacere debere, & ſubiecit cenſuris, & pœnis contentis in ſupradictis Conſtitutionibus, ac præfato decreto ſuorum prædeceſſorum, ipſo facto incurrendis. Et ita decreuit, & mandauit vbique inuiolabiliter obſeruari, non obſtantibus in hac parte Conſtitutionibus ſupraſcriptis, decreto præfato Pauli V. conſuetudinibus etiam immemorabilibus, necnon omnibus, & ſingulis, quæ prædeceſſores prædicti voluerunt non obſtare, ac alijs quibuſcunque in contrarium facientibus. Volens, & decernens

pro obseruatione, & executione præsentis decreti,& omnium in eo contentorum,quòd contra huiusmodi transgressores, etiam Regulares cuiusuis Ordinis, & Instituti, etiam quomodo libet exemptos, & alias quascunque Ecclesiasticas, status, conditionis, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quàm secularis; tam Episcopi, & Prælati Superiores, alijque Ordinarij locorum, quàm hæreticæ prauitatis vbique locorum deputati Inquisitores,procedant, & in eos seuerè animaduertant, tribuens eis, & eorum cuilibet, liberam facultatem, & auctoritatem contra eosdem transgressores procedendi, ac pœnis coërcendi, & puniendi. Voluit demum, ne præmissorum ignorantia à quoquam prætendi possit; quòd præsens decretum, seu illius exempla ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ affixa, omnes ita arctent & afficiant, perinde ac si vnicuique personaliter intimata fuissent; quòdque præsentium transsumptis etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Andreas de Petinis S. R. & Vniu;
Inquisit; Notarius.

Anno à Natiuitate Domini Nostri Iesu Christi, Millesimo Sexcentesimo Vigesimo Secundo, Indict: v. die verò secunda Mensis Iunij, Pontificatus Sanctiss: in Christo Patris, & D. N. D. Gregorij diuinâ prouidentiâ Papæ XV. Anno eius secundo, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ, vt moris est, per me Brandimartem Lanum, S. D. N. Papæ Curs.

Octauius Spada, Mag: Cursorum.

QVÆSTIONES.

1. *Cur in dicto Decreto dicitur articulum de Cōceptione Beatæ Mariæ Virginis, non fuisse à sancta Sede Apostolica diffinitum; vel ab ea fuerit aliter ordinatum, si in Synodo Basiliensi Sess: 36. iam diffinitum fuit B. Virginem absque peccati originalis maculâ conceptam fuisse?*

2. *Cur ab Ecclesia nihil adhuc de fide diffinitum circa hunc articulum Conceptionis B. MARIÆ Virginis?*

3. *An Fratribus Ordinis Prædicatorum sit aliquid indultum à Sede Apostolica, vt inter se tractare possint de materia eiusdem Conceptionis B. MARIÆ Virginis?*

Ad Primum, *Resp: Synodum illam, non esse attendendam affirmat. Nam ante* d. Sess. 36. *discesserunt à vero Papa* Eug. IV. in Sess. 34. *& ille eam Synodum iam transtulerat ad Ciuitatem Ferrariæ, vt habetur in sua* const: 11. sup. tom. 1. *Quicquid ergò ibi postmodum actum fuit, irritum est, & inane, vt in* Conc: Lateranen. 3. Sess. 11. & Bulla 20. Leonis X. *ibi firmata habetur, quæ est* sub tom: 1. in §. 6. *& etiam id supponit* Concil: Trid: Sess: 5. *dum in* c. de peccat: orig. *obseruari constituit supradictam constit: Sixti IV. qui neutram opinionem damnat; & ideò iure merito Pius V. in præcit. eius* Const: 114. *vtrumq; permittit.*

Ad Secundum, *Resp: Dispositionis diuinæ inuestigare causas, ob quas Ecclesiæ occultauerit hoc mysterium, nolens hanc veritatem à Sede Apostolica, tanquā Catholicæ fidei assertionē definiri, difficilè admodum est, vt post alios sic nouissimè scribit* Carthag: Homiliar: lib. 1. Homil: 4. pag. mihi 21. *vbi tamen subdit, quòd Diuina sapientia hanc veritatem sub opinionum tegumento latere voluit, ne si rudes homines exploratum habuissent, Beatissimam Virginem peccatum originale non contraxisse, illam Deum esse putarent. Et vt huius cōtrouersiæ occasione, stupenda B. Virginis encomia, cum immortali eius gloria in lucem prodeant. scias autem, quòd post hanc Pauli sanctionem aliud ab eodem emanauit decretum, prohibens in quibuscunque actibus publicis asserere posse, B. Virginem cum peccato originali con-*

nali conceptam fuisse, & deinde aliud à prædicto Gregorio XV. fel: rec: editum fuit decretum suprascriptum, prohibens etiam in priuatis colloquijs id posse affirmari.

Ad Tertium, *Resp: Quòd dictis Fratribus Ordinis S. Dominici per Greg: XV. fel: record: in eius constitut. quæ incipit, Eximij, atque singulares fructus. sub Dat. Romæ apud Sanct. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die 28. Iulij 1622. Pontif: anno Secundo, fuit indultum his verbis: vt de cætero in quibuscunq; priuatis eorum colloquijs, seu conferentijs, inter se duntaxat, & non inter alios, aut cum alijs, de materia eiusdem Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis disserere, & tractare, absque vllo pœnarum in dictis decretis contentarum incursu, liberè, & licitè possint, & valeant, Apostolica auctoritate, tenore præsentium licentiam concedimus, & impartimur.*

BVLLA FEL: REC: GREG: XV. contra maleficos, & Sortilegos, cum Diabolo pactum facientes, & à fide apostatando alios lædentes.

GREGORIVS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

OMnipotentis Dei Saluatoris nostri, qui, vt hominem à laqueis Diaboli liberaret, Crucem subire dignatus est, vices, quanquam immeriti, gerentes in terris: in id summo studio, iuxta creditum Nobis desuper Apostolicæ seruitutis officium, incumbimus, vt gregem Dominicum, inæstimabili pretio redemptum, aduersus Sathanæ fraudes defendamus, eiusdem officij partes desuper interponendo, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

§. 1. Sa-

§. 1. Sanè nonnulli, suæ conditionis obliti, & solemnis sponsionis ab ijs factæ, cùm in Christi gregem, per sacrum regenerationis lauacrum, adsciti fuerunt: Sathanæ, cui renunciârunt, artibus, maleficijs, superstitionibus, ac nefarijs inuentis operam dare non verentur; quinimò magistrum imitantes, qui capitali odio, quo humanum genus prosequitur, hominibus insidiari nunquam cessat, proximum varijs modis lædere, animas verò suas perdere, non timent.

§. 2. Quapropter, vt tam exitiosa scelera à Christi fidelibus arceantur, grauioribus pœnis vindicanda duximus. Motu itaque proprio, & ex certa scientia, ac maturâ deliberatione, nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium decernimus, præcipimus, & mandamus, vt constito, quòd aliquis pactum cum Diabolo fecerit, & à fide apostatando, maleficijs, siue sortilegijs, vnam, seu plures personas, ita læserit, vt ex maleficio, vel sortilegio, mors secuta sit, etiam primo lapsu, Curiæ seculari tradatur, debitis pœnis puniendus: Qui verò, similiter apostatando, pactum cum Diabolo, vt præfertur, fecerit, & maleficium, seu sortilegium commiserit, ex quo, licet mors secuta non sit, infirmitas tamen, diuortia, impotentia generandi, siue animalibus, frugibus, vel alijs fructibus damnum notabile prouenerit, muro claudi, siue perpetuis carceribus, in sancto Inquisitionis officio, vbi illud existit, fabricandis, mancipari debeat.

§. 3. Qui verò similium delinquentium notitiam habuerint; eos Episcopo, siue Inquisitori, denunciare teneantur.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscunque.

§. 5. Volumus autem, quòd præsentium transsumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, munitis, eadem prorsus fides vbique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 6. Quodque eædem præsentes, postquam in valuis Basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apostolicæ, necnon in Acie Campi Floræ affixæ fuerint, omnes & singulos, ad quos spectat, arctent, & afficiant; perinde ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 20. Martij. M. DC. XXIII. Pontificatûs Nostri Anno Tertio.

Anno Millesimo, Sexcentesimo, Vigesimo tertio, Indictione sexta, die verò vigesima tertia, mensis Martij, Pontificatûs SS. D. N. D. Gregorij, Diuinâ prouidentiâ Papæ XV. Anno eius Tertio, retroscriptæ literæ Apostolicæ, affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis, Principis Apostolorum de Vrbe, Cancellariæ Apostolicæ, & in Acie Campi Floræ, per me Brandimartem Latinum, Apostolicum Cursorem, &c.

QVÆSTIONES.

1. *Sortilegium quid sit?*
2. *Quotuplex est sortilegium?*
3. *Dæmon quot modis dicatur implorari Sortilegijs?*
4. *Sortilegi quot modis possint infirmitates prouocare?*
5. *Quot modis potest contingere maleficium?*
6. *Qualiter viris, & fœminis contingat; & quæ sit differentia?*
7. *An maleficium impediat respectu omnium?*
8. *Ex quibus signis potest cognosci maleficium?*
9. *An, ad tollendum maleficium, liceat vti vanis rebus?*
10. *An liceat vti vanis rebus, protestando animum esse non vtendi illis tamquam vanis, & à Dæmone institutis?*
11. *Vnde dignosci possit, quæ media sint licita, & quæ vana?*
12. *An liceat petere, à malefico parato, vt maleficium maleficio oluat?*

13. *An*

13. An liceat petere non explicando, vt maleficio ſoluat, quando alio modo neſcit ſoluere?

14. Maleficia ob bonum finem, an ſint permiſſa?

15. An ſit tolerandum, maleficium maleficio tollere?

16. An quando medio licito poteſt maleficium ſolui, liceat petere à Dæmone, vt ſoluat?

17. An poſſit interrogari malefica, an norit in quo maleficium id conſiſtat, & ſi id didicerit à Dæmone, fas ſit, eâ ſcientiâ vti, ad maleficiati medelam?

CVm in Epiſcopalibus Curijs tàm contra laicos, quàm Eccleſiaſticos maleficos, & Sortilegos, ad præſcriptum Bullæ ſupradictæ denunciandos, ſæpe ſæpiùs formentur proceſſus: operæ prætium eſſe duxi, explicare has præpoſitas quæſtiones, quæ Iudicibus in huiuſmodi conficiendis proceſſibus ſatis deſeruire poſſint, ad ſciendum quod genus maleficij, vel Sortilegij ſit, quomodo ſe habeat, & ad explicandas in actis omnes illius qualitates ſcitu neceſſarias. Et ideò

Ad Primum, *Reſp. Sortilegium eſt ſuperſtitio quædam illuſoria, & ſummè noxia, quâ vtitur homo Dæmonis miniſterio.* c.1 & 2. de Sortileg: l. nemo. & l. multi. C. de malefic: & Mathemat. D.Thom. in 2. 2. quæſt. 93. art. 4. *Aliter autem diffiniri ſolent Sortilegi: eſſe illos, qui ſub nomine fictæ religionis, per quaſdam, quas ſanctorum ſortes vocant, diuinationis ſcientiam profitentur; aut quarumcunque Scripturarum inſpectione, futura promittunt. vt habetur in* c. vno. 26 quæſt.

Ad Secundum, *Reſp. Quòd duplicis generis ſunt Sortilegia, hæreticalia, & non hæreticalia. Prima ſunt, vel reſpectu operis, vel reſpectu operantis. Hæreticalia reſpectu operis ſunt, quando fiunt ſortilegia in illis caſibus, in quibus Dæmoni denegata eſt potentia, ſed ſoli omnipotenti Deo eſt reſeruata: vt mortuum ſuſcitare, vt habetur de Lazaro.* Ioan. cap. 11. *& habetur de illo filio viduæ,* Matth: c.17. *vel in ſubſtantiam animæ introire, quod ſoli Deo permittitur.* Matth: c. 22. *Si igitur in ſimilibus Omnipot: Dei auxilium imploratur cum*

potestate Dæmonis, sortilegium hæreticale committitur. *vt notant* Paul: Grilland: in tract: de Sortileg: quæst. 10. Clar: in §. hæresis. vers: *successiuè quæro. Hæreticalia verò respectu operantis, sunt, cum Dæmonis auxilium imploratur etiam in ijs, quæ ipse facere potest. hæreticalia quidem sunt, quia contraueniunt primo præcepto, & primo articulo fidei.*

Ad Tertium, *Resp: Quòd dupliciter Dæmon à sortilegis imploratur: secundum* Oldrad: in cons: 210. *Vel per modum imperij, & suffragij; vel per modum adorationis, & cultûs latriæ: primo casu Dæmon imploratur à sortilegis tacitæ professionis Diabolicæ, qui nondum penitùs remoti sunt à Christiana Religione. Secundo verò casu per modum adorationis Dæmon inuocatur à sortilegis expressæ professionis, qui expreßè abnegarunt Christi fidem, & iterum baptizati sunt in nomine Beelzebub, principe Dæmoniorum.* Glo: in c. accusatus. §. sanè. de hæret: lib. 6. *& declarat notabiliter,* Paul: Grilland: de Sortileg. q. 10.

Ad Quartum, *Resp. Quòd possunt etiam sortilegi infirmitates prouocare; & hoc dupliciter, animis, vel corporibus. Quod imaginibus cereis, vel cretâ confectis, vel alio modo faciunt: prout recenset* Paul: Gril: d. tract: c. 3. n. 6. & seq. & Albertus Magnus de animalibus, lib. 22 & Petrus de Palud. in 4. sent. dist. 34. q. 2. *de quibus in* l. eorum. in princip. C. de malefic: & Mathemat: in l. 3. §. hæc adiectio, ff. de sicar: in l. siq. aliquid. §. qui abortionis. ff. de pœnis. *Item fascino, & maleficijs, ita solent ligare, vt rei venereæ fiant prorsus inhabiles: de quo per* Ioan: Brunell: in tractat: de sponsalib: & matrim:

Ad Quintum. *Resp: Quòd quinque modis solent Dæmonis arte malefici viros impotentes ad copulam reddere. Quos refert* Palud: 4. dist. 34. quæst. 2. art. 3. num. 16. *& ex ipso omnes desumpsêre: & nouissimè eos refert, illustrans varijs exemplis ex diuersis Doctoribus petitis,* Martinus Delrius. lib. 3. disquisitionum magicarum, part. 1. quæst. 4. tota sectione 8. *Primus modus est, corpora impediendo, ne sibi mutuo appropinquent ad coitum; vel directè secernendo*

nendo ea, detinendouè in diuersis locis: vel indirectè, interponendo se in corpore assumpto, & quando copulari contendunt, inijciendo intermedium Phantasma, vel quid aliud. Secundus est. Ita inflãmando ad actum, vt ante coitum effundatur semen; vel refrigerando ab actu illo, adhibendo occultè virtutes rerum, quas optimè nouit. Tertius est, turbando imaginationem, & æstimatiuam, qua reddit mulierem viro exosam, menti obijciendo speciem fœminæ deformis, vt eam exosam habeat, vel alterum alteri, vel inuicem, odiosos reddendo per calumniam, suspicionemuè, aut morbi alicuius immissionem. Et refert Delrius proximè allegatus; aliquando Dæmonem efficere, vt cùm ardentissimè vir, & fœmina mutuo amore flagrent, quando Veneri vacare volunt, subitò odio exardescant, ita, vt alter alterum cædat, vel vnguibus laceret. Quartus est, Prohibendo rigorem membri, reddita viri virga flaccida, saltem, quando coire vult. Sicut, & potest Dæmon motum cuiuscunq; membri impedire. Quintus modus est, Prohibendo missionem spirituum ad membra, in quibus est virtus motiua, quasi intercludendo vias seminis, ne ad vasa generationis descendat: vel ne excitetur; vel ne emittatur: vel semen subtrahendo. ita Sanchez disp:44. lib. 7. de imped: matr. *His modis addit aliam rationem* Delrius *proximè allegatus, nempè obserando, aut nimium arctando vas muliebre: aut genitalia abscondendo, retrahendo, vel reuera adimendo.*

Ad Sextum, *Resp: Quòd non soli viri, sed etiam fœminæ possunt maleficijs impotentes ad copulam reddi. Quod omnes fatentur. At frequentiùs id malum in viros serpit: quòd plus operæ, & instrumentorum in eis desideretur. Adde, quia plures sunt maleficæ, quàm malefici, & ideò potiùs viros, quàm fœminas maleficijs lædere conantur. Sic aduertit* Delrius, lib: 3. disquisitionum magicarum. part: 1. quæst: 4. sect: 8. pag: 1. *Ea autem est differentia (vt optimè notat* Abulensis cap. 19. Matth: quæst: 90. colum: 3) *quòd maleficia circa viros fiunt communiter per operationem aliquam realem, aut per motum ipsius Dæmonis, nullâ re applicatâ. Potest enim inuisibiliter membrum viri aptum iam ad coitum comprimere, ac cogere subito relaxari, ignorante prorsus causam viro ipso: aut per applica-*

plicationem alicuius rei naturalis, illam applicante Dæmone, intra organa genitalia, qua apposita remittitur subitò rigor membri exsufflato toto spiritu inflante. At fœmina communiter maleficiatur per solam opinionem, seu phantasiæ læsionem: potest enim vir accedere, nec rigor membri relaxatur: at cum conatur accedere, illa subitò horret genitale viri, quasi improportionatæ magnitudinis, & nulla ratione sinit se cognosci. Cum tamen reuera non ità sit, sed Dæmon efficit speciem in phantasias mulieris, vt membrum aliter appareat, quàm reuera sit. At quamuis communiter ità accidat, solet tamen quandoque Dæmon vas fœmineum arctare?

Ad Septimum, *Resp: Quòd maleficium quandoque impedit potentiam absolutè, & quoad omnes: quandoque tamen respectu vnius. Sic tradit D. Thom: ab omnibus receptus* 4. d. 34. quæst: vnica. art: 3. ad 4. *atque eam reddit rationem: Quia cum Diabolus voluntariè & non ex naturæ necessitate agat, potest respectu vnius impedire, relictâ potentiâ non impeditâ erga alias personas. Deinde quia impedimentum maleficij potest esse ex Dæmonis impressione in hominis imaginatione, ex qua tollatur viro concupiscentia, mouens ad talem mulierem, & non ad aliam. At rarò contingit circa omnes, & communiter est erga vnam, vel alteram personam, maleficium. Vt benè docent* Abulensis cap: 19. Matth. quæst: 90. columna 3. *& supplementum Gabrielis* 4. dist: 34. quæst: vnica. art: 2. Concl: 6. & fatentur omnes.

Ad Octauum, *Resp: Quòd maleficij signum est, vt ait* Sanchez loc: 10. citato, *quando coitum quis appetit, & Virgam erigit, ita, vt ad copulam aptus sit, & cum ad Vas fœmineum penetrandum appropinquat, relaxantur, ac concidunt subitò organa, nec potest complere: atque iterum rigent, & si iterum copulari nitatur, denuò laxantur. Id enim ex radice naturali consurgere nequit: quippe semel organa rigentia non laxarentur, quo vsque exsufflarentur, vel consumerentur spiritus ea inflantes. Præterea, quia id nequit, ex viri frigiditate prouenire: Cum enim membrum erigat, non est frigidus. Sic* Abulensis cap: 19. Matth. quæst: 90. paulò post principium. in 5. ratione. So-

ne. Sotus 4. d. 34. quæst: vnica. art: 3. paulò post principium. in 1. Conclus. Ludouicus Lopez, 2. p. in instruct. vbi de matrim: cap: 52. colum: 6. vers: circa 2. art. *Item quando vir mouetur ad coitum, & membrum erigit, ac perficere nequit; est maleficij signum. Item vt maleficij signum sit, oportet, vt simul adsit quòd remittatur rigor membri, ac subitò laxetur, cùm vir conatur accedere. Id enim non potest ex viri, vel fœminæ, defectu naturali consurgere. Vel secundò, vt nulla arctitudo, aut Virginitas in fœmina reperiatur, quæ obstaculo esse possit illi penetrationi. Cùm enim tunc nullum obstaculum naturale dari possit, tribuendum est Dæmoni impedienti congressum. Aliud etiam maleficij signum est, quando vir potest cum alia fœmina, & non cum propria vxore commisceri: sed vt dictum est, neque hoc sufficit, quòd possit esse impedimentum ex arctitudine, aut Virginitate fœminæ. Quare* Fragosus, num: præced. *relatus, addidit, si per aspectum nullus reperiatur defectus in temperamento, ac membri proportione. Imò* Scotus 4. d. 34. quæst: vnic. *in fine corporis, absolutè tradidit, maleficium præsumi, quoties in virili membro non apparet defectus: sed adhuc non sufficit, nisi ex parte fœminæ non detur arctitudinis, aut Virginitatis obstaculum. Erit tamen optimus cognoscendi modus, an ex maleficio viri consurgat impotentia. V. g. si Vir appetens coitum, subito accedere tentans exhorrescat, nec accedere possit: manifestum est, id non posse ex causa naturali procedere, quare maleficio tribuendum est. Quod benè docuit* Henriquez lib: 12. de Matrim: c. 8. num: 8. *Similiter si fœmina, viri coitus auida, cùm vir accedit, subitò illa horrore capiatur, erit signum maleficij: quod hoc modo fœminis solet accidere: Et ità tradit* Sotus 4. d. 34. q. vnica. art: 3. paulò post principium, in 1. Conclusione.

Ad Nonum, *Resp: Quòd omnia media non naturalia sed vana, ad tollendum maleficium, illicita sunt, nec superstitione vacant, & cuiuscumque rei vanæ vsus, vt vanæ, est culpa venialis: vt vanæ locutionis vsus. Et aliud medium indecens est, nec culpa vacat. Sic* Iacobus Sprenger, in malleo maleficorum, part: 2. q. c. 6. vers: de secundis verò remedijs. Gaæta repetitione, c. ad limina 30.

q. 1. § 4. q. 236. num: 541. Delrius lib: 6. disquisitionum magicarum, c. 2 sect: 1. q. 2. pag: 4. vers: alij itaque. Philiarcus de Officio Sacerdotis, tom: 1. par: 2. lib: 3. c. 11. conclus: 4. *Sed admittit Delrius ibi, cum Syluestro* verb: maleficium. quæst: vlt. *hoc licere, quando quis ea vana, nec superstitiosa experiri volens efficeret: aut credens per ea maleficium solui, non Dæmonis operatione, cooperantis ad maleficij solutionem, sed per cessationem ipsius Dæmonis ab operando: quòd sciret Dæmonem pactum iniisse cum malefico, fore vt à vexatione desisteret, re illa vanâ exercitâ. vt refert* Sanchez disp: 95. lib: 7.

Ad Decimum, *Resp: Quòd non excusat à culpâ, aliquorum cautela, qui cùm videant mirabiles effectus, ex rebus vanis, & superstitiosis operationibus consurgentes; eis vtuntur, protestantes animum esse non vtendi illis, quatenus res vanæ, ac superstitiosæ sunt: nec consequendi effectum, si ex Dæmonis pacto obtineatur: sed solum vtendi, quatenus sunt res licitæ, & effectus à Deo obtinetur. Nam tunc hæc cautela bona est, & prodest, quando dubium est, an hæ obseruationes sint superstitiosæ, & vanæ. vt docet* Sanchez loco supra citato, n. 4.

Ad Vndecimum, *Resp: An media, per quæ maleficium aufertur, licita sint? (præter ipsam signi ablationem, quam constat medium naturale esse) manifestum est, si adhibeantur exorcismi Ecclesiæ, opera pœnitentiæ, Sacramentorum receptio, ad placandum Deum, vt vel sic misericorditer dignetur coercere Dæmonem, nè amplius vexet; ea media licita esse, & à Deo ordinata ad hunc finem consequendum: vt constat ex vsu Ecclesiæ, & ex* c. finali. 33. quæst: 1. *Quando autem media non sunt huiusmodi, hæc Regula accipienda est: Quidquid efficitur, aut dicitur gratia alicuius boni obtinendi, aut mali vitandi, quod nec vim naturalem, nec supernaturalem ad eum effectum habet, vanum est, & superstitiosum: ac proinde effectus sic comparatus, est tribuendus occultæ Dæmonis operationi. Et ratio est, quia tales res non adhibentur, vt causæ: cum nulla virtus ad eum effectum operandum illis insit. Ergo adhibentur, vt signa: & non diuina, quippe quæ non sunt Sacramenta, nec Sacramentalia. Ergo vt signa vana pacti occulti*

culti cum Dæmone initi. Deinde quia illud vanum, ac superstitiosum est, quod non prodest ad finem, ad quem adhibetur. At hæ res sunt huiusmodi: ac subinde vanæ. Deus autē nō delectatur vanis, sed Dæmon. Præterea quidquid denuo efficitur, ab aliqua causa prouenire debet.

Ad Duodecimum, *Resp: Quidam licere existimant: Quòd petens non censeatur ad peccatum inducere maleficum, sed peccato vti ad salutem comparandam, sicut contingit in petente mutuum ab vsurario parato: vel iuramentum ab infideli parato ad iurandum per idola: sic sustinent* Aureolus 4. d. 34. quæst: 2. Angelus, verb: superstitio. n. 13. *Verùm certissimum est, nullatenus id licere. Quia solum licet petere id, quod ipse licitè potest præstare, quando petentis interest, vt necessitati suæ consulat. Tunc enim non est petere peccatum, nec cooperari peccato alterius: sed res petita non potest licitè fieri, & alter malitiâ suâ illicitè præstat. Ita* Sanchez, vbi sup.

Ad Decimum tertium, *Resp: Quòd non licet petere à tali malefico solutionem maleficij, non explicando vt maleficio soluat, quando constat eum nescire soluere absque alio maleficio. Quia petitur res, quam nequit licitè præstare: sic colligitur ex Doctoribus* num: præced: *allegatis: nam ratio, cui innituntur, etiam militat in hoc casu.*

Ad Decimum quartum, *Resp. Vtroq; iure esse prohibita maleficia, ad finem etiam boni tendentia: sic deducitur, & quantum pertinet ad ius ciuile, est* tex: in l. 1. c. de Thesaur: li. 10. *vbi tradit* Odoffr: nec obstat. d. l. eorum. *quia in ea non dicitur, quòd tales incantationes possint fieri ad finem boni arte Dæmonum; sed simpliciter loquitur posse quæri remedia vtilia: & hoc debet intelligi virtute diuinâ, ne iura iuribus sint contraria, non autem inuocatione Dæmonum, quod est prohibitum, vt dicit* Angel: in d. l. eorum. *& sic debet intelligi* Scotus in d. q. 1. *vbi tenet quòd licitum est tollere maleficium cum intentione curandi maleficiatum, quod est meritorium, quod fieri potest per destructionem signi, si illud sciri potest: non autem dicit, quòd mediante maleficio illud tolli possit; & ideo falsò allegatur Scotus ad hoc, qui Catholicè loquitur. Nec Hostiens: dicit, quòd maleficio debeant maleficia tolli, licet possit tolerari, quòd vana vanis, sed*

non cum

non cum illicitis, tollantur. Et quòd potiùs sit tolerandum tale maleficium, quàm quærere tale auxilium, & tex: Deuter: cap: 18. *Vbi lex præcipit interfici, qui Magos consulit, & quærentem à mortuis veritatem, vt scribit Cardinalis de* Turrecremata, in c. si per sortiarias. 33. q. 1. *Vbi quòd non est quærendum aliud auxilium, quàm diuinum, sc: per orationes, & ieiunia, & confessiones peccatorum; & latè scribit* D. Tho: in 3. lib: sentent. dist: 24. q. 3. ad tertium. & Io: de Maior: in 4. lib: sent: dist: 34. q. 2. *Non enim licet inuocare auxilium Dæmonis, etiam pro mille corporum sanitatibus: quia minus detrimentum est, quòd pereant mille corpora, quàm quòd pereat vna anima, vt probatur expreßè in* c. admonet. 26. q. 6. *dicens hæc omnia esse laqueos, & insidias antiqui hostis, quibus ille perfidus genus humanum decipere nititur.*

Ad Decimumquintum, *Resp: De iure Canonico est prohibitum remedijs Diabolicis recuperare sanitatem, etiamsi aliter haberi non posset.* c. admoneant. 26. q. 7. Abb: in c. 2. per illum tex: de Sortileg. *Vbi Rom: Pont: potiùs patitur bona Ecclesiæ Rom: furto ablata perdi, quàm quòd quærantur per huiusmodi remedia.*

Ad Decimum sextum, *Resp: Quòd licet Brianconus dicat in Collectario* sup: 4. sentent. quæst: 13. concl: 3. *non solùm à malefico peti posse, vt soluat medio licito maleficium; sed etiam ab ipso Dæmone, si is maleficia dedisset: Nihilominus benè ipsum impugnat* Delrius eo dicto 4. n. præced. alleg. cum Soto 4. dist: 34. quæst: vnic. art: 3. colum: 4. vers: quòd si quis sciscitetur. *Quia omnis familiaritas, & amicitia cum Dæmone, prohibita est, ac cum eo perpetuum bellum indictum: ideò precibus ab eo peti minimè licet: Imperio autem nemini integrum est vti, quòd Dæmon ei non subijciatur, sed duntaxat Dei nomine, per exorcismi modum ei poßumus imperare.*

Ad Decimum septimum, *Resp: Posse quidem interrogari alium maleficum, an norit, in quo tale maleficium consistat, vt signum destruatur: quod si ille ignoret, minimè potest induci, vt per suam artem id inuestiget. At si fortè is addiscat nouo pacto cum Dæmone inito, possum hac scientia ad destruendum signum maleficij in meum cōmodum*

vti. Ita

vti. Ita Ouandus in num. præced. allegatus. Et id mihi ſuadeo, quia, quamuis culpa ſit grauiſſima, inquirere à Dæmone, vt ex cognitione ab ipſo parta, vtilitati noſtræ conſulamus; id enim eſt quoddam amicitiæ fœdus: At ſi veritatem aliquam ab ipſo edocti ſimus, præter culpam in ea inquiſitione admiſſam, nulla eſt iam culpa, vti ea ſcientia ad bonum finem, quando ea vera eſt, nec Dæmonis opera poſteà concurrit. Vt ſi quempiam veram Grammaticam, aut Philoſophiam Dæmon doceret, peccaret lethaliter, ſic addiſcendo, at poſtea careret culpâ, illa tanquam verâ ſcientiâ vtens, & non tanquam à Dæmone acceptâ. Ita Sanchez diſp: 96. lib: 7.

DECRETA S. CONGREGAT: CONCILII, *de Regularibus Apoſtatis, & Eiectis.*

SAcra Congregatio Cardinalium Concilij Trid: Interpretum, Regularium eiectorum, & fugitiuorum ſtatui, conſulere, illorumque ſcandala ſummouere, & ſuccreſcentem numerum frangere, operæpretium exiſtimans; auditis Religionum Superioribus, reque diligentiſſimè perpenſa, communicato etiam conſilio cum SS. D. N. Vrbano VIII. atque ex peculiari Sanctitatis Suæ facultate, infraſcripta decreta edidit.

§. 1. Ac primò, vt infecta ſemina, è quibus praui eiuſmodi fructus potiſſimùm prodeunt, deinceps ne ſerantur in vinea Domini, cenſuit eſſe innouandas, & Sanctiſſimi auctoritate innouat Conſtitutiones, & Decreta generalia ſan: mem: Clementis VIII. ad Regularium reformationem, ac Nouitiorum receptionem, Profeſſionem, atque inſtitutionem ſpectantia: diſtrictèque præcipit Generalibus, atque alijs omnibus Ordinum Superioribus, vt illa exactè obſeruent, atque, vt obſeruentur, efficiant, ſub pœnis ſtatutis in ijſdem Conſtitutionibus.

§. 2. A quibus tamen excipiendum cenſuit caput illud,

 quo de-

quo decernitur, ne in Conuentibus, seu Monasterijs, ad Nouitios recipiendos hactenus designatis, & approbatis, seu in posterum designandis, & approbandis, Nouitij ad habitum vllatenùs recipi possint, nisi prius à Congregatione Reformationis Apostolicæ, vel à proprijs locorum Ordinarijs, expressè, & nominatim approbati fuerint. A cuius quidem decreti obseruatione, Sacra Congregatio iustis de causis censuit, Regulares esse absoluendos, prout auctoritate Sanctissimi Domini Nostri absoluit, atque exemit.

§. 3. Deinde, vt apostatandi opportunitas Regularibus præripiatur, statuit, vt de cætero nullus permittatur ad arctiorem Religionem transire, nisi prius Superiori legitimè constiterit, eam Religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit, tumque Regularis rectà se transferat ad arctiorem. Quod vt re ipsa adimpleatur, idem Superior omni studio, ac diligentiâ inuigilet.

§. 4. Rursus statuit, vt fugitiui, & Apostatæ, siue habitum Regularem deferant, siue non, possint, ac debeant ab Episcopo loci, vbi moram trahunt, in carceres conijci, ac Superioribus Regularibus consignari, secundùm Regularia instituta puniendi, vtque ipsi quoque Superiores teneantur eos perquirere, ad Religionem reducere, atque efficere vt apprehendantur: salua tamen in omnibus facultate Ordinarijs locorum attributa *Decreto Concilij, cap: 3. sess: 6.*

§. 5. Quod si Apostatæ huiusmodi, citra montes infra quatuor, vltra montes verò infra octo Menses, à præsentis Decreti publicatione inchoando, sua sponte ad suam quisque Religionem redierit: tum pœnarum omnium ipsis propter Apostasiam inflictarum, aut infligendarum, remissionem, atque impunitatem assequantur. Ita tamen, vt debeat à Superiore absolutionem humiliter petere, & coram eo culpam fateri, atque emendationem polliceri: Superior verò è contra benignè illos teneatur ab huiusmodi pœnis absoluere, & paternâ charitate complecti.

§. 6. Ad hæc, vt in posterum è Religionibus, nullus legitimè professus eijci possit, nisi sit verè incorrigibilis; verè autem incorrigibilis minimè censeatur, nisi non solùm concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex iuris communis dispositione requiruntur, sublatis hac in parte Statutis, & Constitutionibus cuiusque Religionis, & Ordinis, etiam à Sede Apostolica approbatis, & confirmatis: verùm etiam vnius anni spatio in ieiunio, & pœnitentia probetur in carceribus; proindeque vnaquæque Religio priuatos habeat carceres in qualibet saltem Prouincia. Elapso autem anno, si nihilominùs non resipuerit, sed animo indurato in sua peruicacia perseuerauerit, ne contagione pestifera plurimos perdat, tanquam pecus morbida, ac membrum putre, ejici tandem possit, sed ab ipsomet Generali tantùm, de consilio & assensu sex Patrum, ex grauioribus Religionis, eligendis in singulis Capitulis, vel Cõgregationibus generalibus; cumque nonnisi instructo secundùm eorum stylum, & Constitutiones, Processu, & plenè probatis causis expulsionis, ad Sacrorum Canonum præscriptum. Interea tamen vsque ad primum generale Capitulum, seu Congregationem proximè celebrandam, si quempiam ex iustis, & necessarijs causis expellere oportebit, eiectio fieri possit à Generali, cum consilio & assensu sex Patrum, vt suprà, quos idemmet Generalis eligere debeat infra quatuor menses, à præsentis Decreti publicatione; seruatâ tamen in reliquis formâ superiùs præscriptâ.

§. 7. Sic verò eiecti, quam diu non redierint ad Religionem, in habitu Clericali incedant, atque Ordinarij loci iurisdictioni, & obedientiæ subsint; proindeque Generalis illicò expulsionis sententiam eidem Ordinario notificare teneatur.

§. 8. Cæterùm, Sacra Congregatio Religionum Superiores seriò admonet, ac per Iesu Christi viscera obtestatur, vt memores Paternæ charitatis, & mansuetudinis quam profitentur, nihil intentatum relinquant, vt lucrentur animas Fra-

trum suorum, ferè in profundum malorum delapsas, antequã grauissimum, atque extremum expulsionis remedium experiantur. Idque eò magis, quòd subditorum sanguinem, qui ex malo negligentium, & sui officij immemorum Prælatorum regimine peribunt, Dominus Iesus Christus in supremo Dei iudicio, de eorundẽ Prælatorum manibus sit requisiturus.

§. 9. Præterea statuit, vt ijdem Superiores, nemini ex Religiosis expulsis literas testimoniales concedant, illos ad Sedem Apostolicam reijcientes, vel iubentes aliam ingredi Religionem.

§. 10. Item, vt eiecti, extra Religionem degentes, sint perpetuò suspensi ab exercitio Ordinum, sublatâ Ordinarijs locorum facultate, dictam suspẽsionem relaxandi, aut moderãdi.

§. 11. Ac postremò censuit esse innouandam, & suæ Beatitudinis auctoritate, innouat Constitutionem fel: recor: Gregorij Noni, relatam in *c. fin: extra de Regul.* ac præterea declarat eam Constitutionem in ijs quoque vendicare sibi locum, seruandamq́ue esse, qui iustè, diffinitiuèque, ac Iuris ordine seruato, expulsi fuerint; dummodò tamen in expulsis huiusmodi subsit spes euidens emendationis, ex literis saltem testimonialibus Ordinarij: cuius conscientiam in his literis concedendis, Sacra Congregatio seriò onerauit.

§. 12. Ne qua verò difficultas in suprascriptis Decretis, & Ordinationibus exequendis, suboriatur, Sacra Congregatio Sanctissimo Domino Nostro annuente, atque approbante, vniuersis Generalibus, Prouincialibus, Commissarijs, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicarijs, & quibuscunque alijs Superioribus quorumcunque Ordinum, vel Congregationum, Monasteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum Regularium vbique locorum existentium, iniungit, serioque mandat, vt illa diligenter obseruent, atque obseruari procurent in omnibus Cœnobijs, ac Monasterijs, Collegijs, ac Domibus quorumcunque

cunque Monachorum, ac Regularium, vbique locorum existentibus, efficiantque, vt tàm Decreta supra dicta fel: record: Clementis VIII. quàm præsentes Ordinationes in singulis huiusmodi locis, bis saltè in anno legantur in publica mensa.

§. 13. Si quis verò ipsorum aduersus ea, quæ superiùs præscripta sunt, vel eorum aliquid, quoquo modo facere, vel moliri præsumpserit, ipso facto pœnam incurrat priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocisque actiuæ, & passiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis, ad illa in posterum obtinenda, pœnaque huiusmodi sit Sanctitati Suæ, ac Sedi Apostolicæ reseruata, ijsdem Superioribus, etiam Generalibus, & Protectoribus illam moderandi, seu relaxandi, potestate penitùs interdictâ, & nihilominùs sit irritum, & inane, quicquid secus à quoquam actum extiterit.

§. 14. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, in fauorem quarumcunque personarum, atque Ordinum, tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, Congregationum, Monasteriorum, Conuentuum, Domorum, ac locorum Regularium quorumcunque, necnon illorum etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, iudultis, & priuilegijs, etiam in corpore iuris clausis, aut ex causa, vel titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam Mari magno, seu Bulla aurea, aut aliâs nuncupatis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, & cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus Decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliâs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis, concessis & iteratis vicibus, approbatis, & innouatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumq; totis tenoribus, & formis, specialis, & indiuidua, ac de verbo

ad ver-

ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset; tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro expressis habens: quibus quo ad ea, quæ supradictis quomodolibet aduersantur, illis aliâs in suo robore permansuris, specialiter, & expresse, Sanctitatis Suæ auctoritate derogat, cæterisque contrarijs quibuscunque. Datum Romæ, die 21. Sept. 1624.

C. Card: de Torres.

Prosper Fagnanus, S. Congr: Secr.

QVÆSTIONES.

1. An Regulares, eiecti à Religione, teneantur se præsentare coram Episcopo loci, & illius obedientiæ se subdere?

2. An sint tuti in conscientia, si se non emendent? (eiecti?

3. An ad Episcopum pertineat perquirere, si iustè vel iniustè sint

4. An teneantur obseruare, existentes in seculo, tria Religionis substantialia & essentialia vota?

5. An teneantur proprijs manibus laborare?

6. An quidquid acquirant, sibi acquirant, an Monasterio?

7. An si sint Subdiaconi, vel alio sacro Ordine insigniti, ad alios possint promoueri?

8. An possint cogi à Superioribus ingredi Religionem?

9. An si eiecti conuertantur, atque humiliter exposcant habitum, teneantur necessariò Prælati Regulares ad Ordinem eos recipere?

10. An restitutio degradatorum, & solemniter eiectorum ab Ordine, reseruata sit Prælatis Religionis, an potiùs summo Pontifici?

11. An si aliquis Religiosus vagatus sit extra claustra, & postea redijt ad Monasterium, ibique decidat, bona illius extra claustra acquisita applicentur Cameræ, vel Monasterio in quo vixit?

12. Quid

12. *Quid, si aliquis Religiosus Apostata transiuit ab vno Ordine ad alium, & ab illo rediјt ad statum secularem, in quo multa bona acquisiuit?*

13. *An Regularis, renuncians Episcopatui, si ad claustra non redierit, dicatur Apostata?*

14. *Quæ in Iure prohibentur Apostatis?*

15. *Apostasia, quos habet effectus?*

16. *Quæ debent concurrere, vt quis dicatur Apostata à Religione?*

17. *An de Iure sit iudicandus Apostata verè, & propriè, deferens habitum laicalem; sed non constat an habuerit animum deserendi Religionem?*

18. *An dicatur Apostata, qui dimisit habitum ob prælatorum rigorem, animo citò illum reassumendi?*

19. *An Regularis deferens habitum suæ Religionis subtus habitu alterius Religionis, sit censendus Apostata?*

20. *Quæ Bullæ Summorum Pontificum, & sacræ Constitutiones loquuntur contra Religiosos Apostatas, aut malè translatos, vel extra claustra vagantes?*

21. *Pœna, quæ datur Apostatis?*

Ad Primum, *Resp. Regulares per suos Superiores à Religione, seruata forma Bullæ Vrbani VIII. eiecti, præsentare se debent coram Episcopo loci, & subdere se illius obedientiæ, & ab eo exspectare quid agere debent, & sub obedientia Episcopi viuere, postquam eiecti sunt.* Nauar: in c. non dicatis. 11. q. 4. 2. n. 34.

Ad Secundum, *Resp. Eiecti, seu incorrigibiles, non sunt tuti in conscientia, nisi se emendent, & in viam redeant: quo facto, si ad claustra redeuntes non admittãtur, tunc tuti sunt in conscientia.* Sot: in lib. 7. q. 2. art. 1. de iust. & iu: Sylu: in ver. Religio. 6. §. 12.

Ad Tertium, *Resp. Pertinet ad Episcopum perquirere, An iustè, vel iniustè fuerit eiectus.* Card: in Clem: 1. §. quia verò, ver. addo quartò, *quod nota pro quotidiana practica: nam multi sunt eiecti, etiam culpa sua, & relicto habitu regulari viuunt clericaliter, & laxiori vitâ, quàm priùs; & sic videtur, quòd eis suus dolus patrocine-*

tur contra Regulam; & proinde ad præscriptum Bullæ supradictæ Generalis Ordinis, qui seruatis seruandis in expulsione supradicta processit, illicò expulsionis sententiam Ordinario loci notificare tenetur.

Ad Quartum, *Resp: Certissimum est, omni dubio procul, quòd supradicti Religiosi eiecti obseruare tenentur, etiam existentes in seculo tria Religionis substantialia, & essentialia vota, Obediētiæ, Castitatis, & paupertatis. Hac conclusio est omnium Doctorum communis, & de ea specialiter videndus est* Soto lib. 7. de Iust: & iur. q.2. art.1. & Nauar. super ca. nō dicatis, à n. 33. cū seq. & Cordub: super Reg: c. 2. q.2. & Roder. 1. tom. 99. Reg. q.30. art. 20. *sed loco obedientiæ suorum prælatorum, à quorum Iurisdictione per eiectionem prædictam eximuntur; tenentur tamen eam præstare Episcopo Ordinario, seu alijs, in casu quo fuerint relegati.*

Ad Quintum, *Resp: Religiosi, vltra statuta suæ Regulæ, non tenentur manibus laborare: possuntq; de eleemosynis viuere.* Nauar: super c. non dicatis. n 37. *vbi concludendo id dicit de mente, & sententia* Diui Tho: 2. 2. q. 187. art. 3. & opusc. 19. 5.

Ad Sextum, *Resp: Religiosi eiecti, quicquid acquirunt, siue lucrantur, non sibi quærunt, nec verò Monasterio; sed Dominium acquiritur Deo, ius verò supremum Administrandi, Summo Pontifici eiusdē Vicario; speciale autem Ecclesiæ seculari, vel Regulari, cui legitimè fuerint translati, alioquin Episcopo. Hanc Conclusionem expressè tenet* Nauar: in d. c. non dicatis. n. 33. *Quòd non sibi quærant, exinde patet, quia sunt incapaces cuiuscunque Dominij, ac iuris pecuniarij, ratione solemnis voti paupertatis, à quo non absoluuntur per suam culpam, & sententiam contra ipsos latam, vt tenet Cardin:* in Clem: 1. § quia verò. de stat: Monach: q. 1. post Inno: in c. Dilectus. l. 2. de simonia, *dicendo quod Monachus per depositionem non desinit esse Monachus: quod latè prosequitur.* Nauar: in cap: nullam. 18. q. 2. n. 45. *& ratio ad idem est appositissima, quia nemo debet ex sua culpa reportare commodum, contra* l. itaque fullo. ff. de furt. & c. 1. de post: Præl: *Quòd etiam non acquirant Monasterio, exinde patet; quia per expulsionem iam fuerunt translati, & desierunt esse*

membra

membra obedientialia illius: & tales non quærunt amplius Monasterio, cui fuerant addicti, & à quo sunt absoluti. argu: c. siquis iam translatus. 21. q. 2. & c. ne pro cuiuslibet, 16. q. 1. *Quærunt igitur Dominium Deo, vt prædictum est, & ius Summum administrandi Papæ, ipsius Vicario: speciale autem illi Ecclesiæ Regulari, seu seculari, adquam fuerint translati:* argum: Dictorum Capitulorum, cũ suis Glossis. *alioquin Episcopo originario, seu alij, vt tradit* Panor: in dict: c. fin: de Reg: *Videatur hac de re* Sylu: ver: Apostasia. q. 9.

Ad Septimum, *Resp: Certissimum est, quòd eiecti, si erant Subdiaconi aut aliquo Ordine insigniti, nisi aliud obstaret, poterant, ad alios Sacros promoueri. hæc conclusio est certa, & manifesta, & communi vsu comprobata, & de ea, vt credo, nemo est, qui dubitet, aut dubitare possit: videatur hac de re* Nauar: l. 3. Consi: de Regul: Cõsilio 4. de stat: Mon: *& Pater Frater Emman: Rodriques* in qq. Reg: 1. Tom: q. 38. art: 24. *& quòd eiusmodi ad Sacros Ordines promotio fieri debet de licentia propriorum Episcoporum, quibus per expulsionem ab Ordine, fiunt subiecti. Dixi notanter, nisi aliud obstet: etenim si delicta, ob quæ ab Ordine eijciuntur, Irregularitatem induxerunt, seu aliquam aliam inhabilitatem Summo Pont: reseruatam, quærenda est primùm dispensatio ab eo; si autem non sit Summo Pont: reseruata, Episcopi idipsum facere poterunt, & Ordinare ipsos, præuiâ, ac bonâ habitâ informatione de sua vita, & moribus, & reddere illis aliquam commoditatem, atque viuendi modum, quo non cogantur statim mendicare. Hodie verò vigore supradictorum Decretorum sacr: Congreg: eiecti à Religionibus, remanent suspensi ab Ordinum exercitio.*

Ad Octauum, *Resp: Eiecti semel, iustè non possunt cogi, à superioribus ingredi Religionem.* Nauar: dicto cap: non dicatis. n. 26. vers: Addo septimò. *patet ratione, quia iam functi sunt officio suo.*

Ad Nonum, *Prælati Regulares, eiectos ab Ordine, iterum recipere tenentur, in casu quo id humiliter petant, ac sint parati corrigi, secundum Ordinis disciplinam; in casu etiam quo cesset causa expulsionis ipso-*

nis ipsorum, & dummodò id fiat, præcedente Summi Pont: licentiâ siue dispensatione. Hæc Concl: *cum prædictis conditionibus, ac limitationibus intellecta, est certa, & nullâ aliâ indiget probatione. At non existentibus prædictis conditionibus, & si eorundem receptione, aliquod probabiliter timeatur scandalum, in Ordine, siue extra, aut si aliàs ipsi redeant, aliqua contagiosa infirmitate infecti, & inhabiles ad seruitium Ordinis, nullatenus sunt admittendi & recipiendi. Et in hoc sensu intelligenda sunt verba D Bonau:* loco supra cit: *vbi postquam ad probandum, quòd prædicti eiecti debent recipi ad Ordinem, adduxit illud commune dictũ, nempe, quòd miseris miseratio est adhibenda, tamen crudelis est miseratio, vnde plures, & meliores grauiter offenduntur; sicut qui furem liberaret, vnde pauperes spoliarentur; maximè cùm tales longo vsu tepefacti, rarissimè, verè & perseueranter emendentur, & facilis ipsorum remissio, alijs etiam ansam præbeat delinquendi. Nec possunt allegare, fieri sibi iniuriam in eo, quòd non recipiuntur, cùm ipsi ex sua propria culpa, tales se præstiterint, indigniq; facti fuerint, vt recipiantur; quin potius Ordo legitimam habet causam contra illos agendi, pro eo quòd adeò ipsum dehonestârunt; quocirca meritò potest illos punire, & tradere seculo, cui seruierunt: & addit, quòd Sedes Apost: quæ ius suum seruat vnicuique, & Ordinem vult in sua puritate permanere, non cogit illos tenere, quorum conuersatio noxiua esset Ordini, nam tunc reos foueret, atque puniret innocentes, & occasionem daret Ordinis corruptioni, per huiusmodi pestiferos, si eosdem recipere necessariò oporteret. Verba sunt expressa D. Bonau: valde notanda, ac memoriæ commendanda. Quod etiam confirmatur ex declaratione Pauli IV. quam fecit, cuiusdam sui Motus proprij, quo præcepit alios apostatas recipi ad Ordinem. Instante enim bonæ mem: Pio V. cùm esset in minoribus, & hac de re testimonium ferente, dixit suæ intentionis nullatenus fuisse, vt quoscunque apostatas, & eiectos sine discrimine, & absque vllo respectu recipere tenerentur superiores, & suo Ordini iterum admittere: sed illos tantummodo, de quibus emendationis vitæ propositum concipere, & sperare possent probabiliter. De qua autentica declaratione, fidem facit* Parasel:

fasel: in suo comp: priuileg: f. 180. *Sed praeterea accedit, vt videtur, alia ratio, ob quam praedicti eiecti Regulares recipi non debent: nam vt notat* Lap: conf: 38. Federici. *tales sunt infames, & Religionum infames, Praelati minime cōpelluntur eos ad Ordinem recipere, qui verò prohibentur id ipsum facere, per nouissimam Constit: Sixti V. quæ statuit, ad Religionem nullatenus posse recipi, qui propter sua delicta reputantur infames: quæ constitutio, licet expresse loquatur, de secularibus expostulantibus habitum; pari ratione extendenda videtur, ad praedictos eiectos, qui postquam soluti sunt ab obedientia suorum Praelatorum, iam reputantur quasi seculares. Praeterea, si dicti expulsi iustè, & per sententiam diffinitiuam eiecti, compellere possent Praelatos Regulares, vt illos iterum reciperent, idque ipsi facere tenerentur; frustrarentur profectò, & quasi inania redderentur Priuilegia Religionibus concessa, quibus possunt Fratres criminosos expellere atq; inperpetuum eijcere: quod cum non sit; dicendum videtur vt in supradictis.*

Ad Decimum, *Resp: Si degradatio, & eiectio fieret ab Ordine tantum verbaliter, & absque priuatione, & spoliatione habitûs, certissimum est, quòd stando in iure communi, Generalis Minister, & Religionum Praelati, Episcopalem, vel quasi Episcopalem iurisdictionem habentes, possent huiusmodi, sic verbaliter tantum eiectos, ad Ordinem restituere. Sed verò Restitutio depositorum, siue solemniter, & actualiter degradatorum ab Ordine, de iure communi, solummodò Summo Pontifici est reseruata: prout rectè distinguit* Miranda in Mā: Prælat: Regular: q. 7. concl: 1. & 2. *Ergo, &c.*

Ad Vndecimum, *Resp: Non: quia Bulla fel: record: Greg:* XIII. *quæ incipit:* Officij Nostri. Anno 1577. *loquitur de Religiosis vagantibus, & morantibus extra Claustra; vt colligitur ex illis verbis:* si decesserit sine facultate testandi; *hæc enim facultas non potest considerari in Monacho,* Auth: ingressi: Cod: de Sacros: Ecclesijs. vbi omnes. *& tradit* Lap: alleg: 129. num: 18. *& colligitur etiam ex alijs verbis constitutionis extra Claustra degentium, & paulò infra, post eorum obitum: siquidem verbum, eorum, est repetitiuum præ*

uum præcedentium, cum omnibus eius qualitatibus. Bart: in l. si quis seruum. 8. §. fin: & de legat: 2. n. 5. & in l. 1. ff. de recipiator: necnon Paris: cons: 18. lib: 2. num: 32.

Ad Duodecimum, *Resp: Ad Cameram Apostolicam spectant, attendendo Greg: Const: quæ pro se clarè & breuibus respondet.* Nauar: in Cons: 80. libr: 3. de Regular: *incipit.* Regularis Apostata.

Ad Decimum tertium, *Resp: Non: quia non dicitur à principio Apostata, qui de licentia S. Pontif: è Religione exierit.*

Ad Decimum quartum, *Resp: Multa in iure prohibentur Apostatis. Primò: Non potest esse testis. 2. Non potest facere testamentum. 3. Repellitur ab omnibus actibus legitimis. 4. Non potest esse Episcopus, & si Papa eum non nouerit & promouit. 5. Non potest Doctorari, quia Doctoratûs est dignitas. 6. Est inhabilis ad Beneficia Ecclesiastica. 7. Non habet ius præsentandi, quamuis Beneficia sint patronata. Omnes hos casus per extensum recenset* Riuius, Variar: resolut: resol: 97. *vbi plures congerit Doctores.*

Ad Decimum quintum, *Resp: Apostasia multos habet effectus. Primò, Apostatarum bona publicantur, ipso iure. 2. Licet crimina reorum morte extinguantur, crimen Apostasiæ non extinguitur. 3. Quisquis propter Apostasiam à commercio hominum prohibetur. 4. Pro crimine Apostasiæ receditur à Regulis iuris communis. 5. Apostata nemini succedere potest. 6. Crimen Apostasiæ, est publicum 7. Licet ius accusandi non permittatur nisi ei tantùm, cuius interest: tamen in hoc crimine cuilibet, etiam cuius non interest, permittitur accusatio. 8. Apostata carcerari, & affligi potest. 9. Pœna Apostasiæ punitur ille, qui Apostatandi, Ordinem & Consilium præbet. 10. Ordinatus in Apostasiâ, Ordines exercere non potest. Idem* Riuius, supradicta resol: 97.

Ad Decimum sextum, *Resp: Tria concurrere debent: Vt quis dicatur Apostata à Religione. Primò, vt sit Religiosus Professus, nam Nouitius non ferens habitum Religionis, non dicitur Apostata. Secundò, vt assumat habitum secularem, quia si de vna ad aliam Religionem*

ligionem transeat, non dicetur Apostata. Tertiò, concurrere debet animus non redeundi.

Ad Decimum septimum, *Resp: Negatiua opinio probatur in* cap: 2. *Vbi Canones ita tenent.* Ne Cler: vel Monach: *prout etiam tenuit Rota coram* Achil: de graff: decis: 346. per tot: & per alios. Rod: de quæst: Regular: tom: 1. quæst: 30. art: 2. *Benè verum est, vt ibi dicitur* num: 11. *quòd est vagabundus, & largo modo, & impropriè dicitur Apostata: & ita intelligenda est* decis: 19. lib: 2. Thom: Triuisan: *dicentis Venetijs fuisse Apostatam quendam Regularem coopertum alio habitu seculari suprà induto.*

Ad Decimum octauum, *Resp: Non: quia Apostasia propriè est retrocedere à Religione,* Nauar: lib. cons: 1. in tit: de Apost: num: 6. & seq. *secundum impressionem de Anno 1597.*

Ad Decimum nonum, *Paria esse, non deferre habitum, & deferre coopertum.* Achilles de Graff: decis: 1. de Apostat: Henriques cons: 22. Rubeus cons: 60. *Quare* Anan: in rubrica de Apostat: *quem sequitur* Calcaro, cons: 23. *voluit deferentem habitum subtus, esse Apostatam: & ita etiam tenet* Riuius decis: Del: in Praxi rerum fori Ecclesiastici, *qui respondet contrarijs.*

Ad Vigesimum, *Resp: Paulus Quartus edidit Constitutionem contra huiusmodi Religiosos Apostatas, aut malè translatos, aut extra Claustra vagantes, & Pius Quartus in sua Constit: quæ incipit:* Sedis Apostolicæ solertia: *edita Anno 1560. reduxit dictam Constit: Pauli Quarti ad formam iuris, & Sacrarum Constit: quæ sunt in* cap. primo, de Apostatis & in cap: vltimo, de Regularibus. *vbi scribentes hanc materiam præclarè tangunt.*

Ad Vigesimum primum, *Resp: Pœna, quæ datur Apostatis, Prima est, quia carcerari, & affligi possunt; & ita procedit* tex: in c. à nobis. vbi Abbas, & DD. omnes de Apostatis. *secundò: nam omnia bona Apostatarum publicantur, & fisco applicantur.* l. 1. de Apostat: glos: in c. secundum leges, de hæreticis, lib: 6. *vbi in ea habetur, in quibus casibus bona fisco applicantur: quos casus enumerat* Iul: Clar: lib: 5. sent. §. fin. q. 37.

DECRE-

DECRETVM, QVO CONCEDITVR & præſcribitur facultas Ordinarijs, circa acceſſum Regularium ad Monaſteria Monialium, ad colloquendum cum eis.

CVm aliâs de Anno 1590. per Sacram Cardinalium negocijs Regularium Præfectorum Congregationem, de mandato fel: recor: Sixti Papæ Quinti, circa acceſſum Regularium, cuiuſcunque Ordinis, ad Monialium Monaſteria, fuerit decretum: Quòd nulli Religioſo cuiuſcunque Ordinis, gradûs, qualitatis, & dignitatis exiſtat (Superiore, cui Monaſterij, ſeu Domûs cura incumbit, Viſitatore, vel Viſitatoribus, Confeſſarioque Ordinario, & extraordinario, qui ad tempus deputabitur, duntaxat exceptis) liceat abſque licentia expreſſa eiuſdem Sacræ Congregationis, accedere ad Monaſteria, ſeu Domûs quarumcunque Monialium, vel Sororum, ſiue ſui, ſiue alterius cuiuſuis Ordinis, ad colloquendum, ſiue tractandum cum eis. Quòd ſi aliquando, mandato ſui Superioris, aliquos Religioſos ad prædicandum Verbum Dei, vel ad celebrandas Miſſas in ipſarum Monialium, ſeu Sororum Eccleſijs, ſiue Oratorijs exterioribus, ſiue extra Clauſtra exiſtentibus, mitti contigerit; ne dicti Religioſi, vllo quæſito colore, Moniales, Sorores, aut quamlibet aliam perſonam, intra Clauſuram degentes, alloqui poſſint, ſub pœnis priua-

tionis

tionis officiorum, ac vocis actiuæ & pasſiuæ, ipſo facto incurrendis, alijſque, eiuſdem Sacræ Congregationis arbitrio; Fueritque poſtmodum declaratum, etiam Equites S. Ioannis Hieroſolymitani, ſub eodem Decreto cõprehendi, & quoſcunque contra facientes, ab alio, quàm ab Apoſtolicâ Sede, aut à Sacrâ Congregatione abſolui, & rehabilitari non poſſe: Ampliſsimi eiuſdẽm Sacræ Congregationis Patres, Decreta huiuſmodi innouanda, & inuiolabiliter obſeruanda, ſtatuerunt. Verùm quia experientiâ compertum eſt, interdum, ob pias & rationabiles cauſas, eaſque ita ferente caſu, repentinas, vt ab eadem Sacrâ Congregatione licentiam expectari, ſummè incommodum, vel inutile ſit: Regularibus ſupradictis colloquendi cum Monialibus ſibi attinentibus, neceſsitatem obuenire, facto verbo cum SS. D. N. Vrbano VIII. & de Sanctitatis Suæ expreſſo ordine, & mandato, facultatem tribuerunt in poſterum Locorum Ordinarijs, vt quatenus ſibi viſum fuerit in Domino expedire, licentiam concedere poſsint, per quatuor vices ad ſummum, quolibet Anno, cuicunque Regulari, vt Moniales ſibi, in primo, & ſecundo tantùm conſanguinitatis gradu, coniunctas, conuenire, & alloqui poſsit. Id verò non aliter, quàm ſeruata ad vnguem forma infraſcripta: Vt id nullo modo liceat diebus Feſtiuis, aut in Aduentu, Quadrageſimâ, Feriâ ſextâ, Sabbatho, & Vigilijs: prædictaque licentia obtenta ab Ordinario, & ab

alio, ad quem spectat, eam concedere, consignetur Cõfessario Ordinario Monasterij, qui penes se retinere debeat, isque associet, & præsens sit, & Auscultatrices de more, non autem aliæ, assistant, prædictaque licentia pro die, & hora certa, & in scripris concedatur, in librisque Cancellariæ eiusdem Ordinarij annotetur. Quòd si prædicti locorum Ordinarij, per plures vices, vel in vlteriori gradu coniunctis, aut aliter, quàm seruata forma supradicta, licentias concesserint, vel permiserint; sciant se intentionis Sanctiss: D. N. & Sacræ Congregationis Trasgressores, iudiciumque reformident: Regulares autem pœnis in supradicto Decreto contentis, ac si nullam licentiam obtinuissent, eo ipso se nouerint esse addictos, & arbitrio Sacræ Congregationis seueriùs puniendos. Romæ xij. Kal: Decembris. M. DC.XXIII.

Oct: Card: Bandinus.

Laur: Campegius Secr.

QVÆSTIONES.

1. An Excommunicatio Episcopi, lata contra alloquentes Moniales, procedat etiam in alloquentes cum Monialibus exemptis, & Regularibus subditis, quæ Episcoporum Iurisdictioni non subsunt, existentes intra Diœcesim?

2. An Regularis, absq; legitima licentia accedens ad Monasterium Regularibus subiectum, ibiq;, in loco colloquendi destinato, cum Moniali colloquens, à Diœcesano Episcopo, tanquam Sedis Apostolicæ delegato, còërceri, & puniri possit?

3. *An Episcopus, carcerare, & punire possit Regulares, alloquentes Moniales ipsi Episcopo subiectas, sine licentia ipsius?*

I*N hac quæstione, nonnulli asserunt præfatam Excommunicationem, non includere alloquentes Moniales exemptas à iurisdictione Episcopi: nam paria sunt, locum esse extra Diœcesim, & esse exemptum, secundùm* glos: *Magistram. & communiter receptam in* cap: vt animar. in glos: fina. de Constit: in 6. *quam commendat* Panorm: in cap: fina. de Priuil. Ias: Deci: & reliqui communiter, in l. territorium. ff. de iurisdict: omnium Iudic. & Rot: diuers: in dec: 207. parte 2. *& clarum est, excommunicationem non ligare nonsubditos*, cap: à nobis. *cum similibus, de* sent: excommunic. Abb: Fely: & alij, in cap: quod te. de pœnitentia. & glos: in cap: Nouit. de offic: legati. *ex quo subditus delinquens in loco exempto, non incurrit excommunicationem ab Episcopo primò latam, & prohibentem, in quo delinquit.* Sylue: in summa, verbo, Excommunicatio. 2. n. 12. & glos: in cit: c. vt animarũ. verb: Diœces. de Constit: Apostolic. in Prælud: Constit: Regni. q. 6. n.

In contrarium tamen est communis opinio Doctorum, ex infrascriptis rationibus.

PRIMÒ: *Quia Episcopus facit excommunicationem, tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, virtute Sac: Conc: Trid:* sess: 25. c. Bonifacij VIII. *& circa hoc Ordinarij, vocantur etiam delegati à Pio V. in sua Bulla 100.* fol: 190. *& tenet* Nauar: in cap: statutum. n. 55. 19. q. 3. *& ante etiam Concilium Tridentinum tenuerunt*, Geminianus & Franchus, in cap: 1. de statu Regularium. in 6. Angel: in verbo, statutum. 3. Syluest: in verbo, excommunicatio. 2. n. 3. Henricus de Gottis, de Syn: Episcopi. parte 3. art: 1. conclus: 13. num: 40. Iason in conc: 83. volum: 1. Rolandus à Valle, concl: 33. volum: 3. *qui tamen dicit, quòd est facienda specialis mentio, de Monasterijs exemptis: aliás si statutum sub pœna excomm: de non accedendo simpliciter loqueretur, non includeret alloquentes cum Monialibus in Monasterijs exemptis. ad hoc conferunt notata & scribentes in* cap: fin: de foro comp.

Secundò, *facit textus* in cap: Monasteria, de vita & honestate Clericorum. *vbi ad Episcopum spectat, prouidere circa accessum ad Monasteria, nec fit distinctio an sint exempta, vel non.*

Tertiò, *facit Conc: Trid:* sess: 25. de Regularibus. c. 5. *vbi Episcopi, tanquam Apostolicæ Sedis delegati, in Monasterijs Sanctimonialium exemptis possunt se intromittere, & curam habere clausuræ Monasteriorum; & accessus ad dicta Monasteria videtur pertinere ad Clausuram.*

Quartò, *Quia locus exemptus est in Diœcesi, vt patet ex* decis: Rotæ 207. part: 2. diuers: *& Prælatus Regularis, non habet Iurisdictionem Episcopalem in territorio, iuxta terminos textûs* in cap: non dicatis, 63. distin: Cardinalis, in Clement: prima, de statu Monachorum. Caput-aquen: decis: 22. part: 2.

Quintò, *Quia Episcopus potest prohibere sub pœna excommunic: ne quis accedat ad loca exempta, & contra facientes dictam pœnam incurrent.* l. Mercatores. C. de Conuer: & Mercatoribus, *vbi prohibentur Ciues Romani habere commercium cum Persis, qui non erant subiecti Romano Imperio. facit etiam textus* l. vlt: ff. de Decret: ab Ord: faciend: *quam opinionem tuetur* Azor: 1. part: instit: Moral: lib: 5. cap: 75. §. 4. quæritur.

Sextò, *Quia Episcopus pro custodia Sanctimonialium excommunicare potest omnes accedentes ad Monasteria earum, etiam exempta, subdita Regularibus.* Geminianus Franchus in c. 1. de statu Monial: in 6. *& Doctores vbi supra.*

Ad II. *Sacra Congregatio Conc: Trid: Interpretum censuit posse. Quam Congregationis sententiam Sanctissimus Dominus Vrbanus VIII. ad se relatam approbauit, vt refertur in* Bullar: tomo quarto, fol: 102.

Ad III. *Resp: Quòd sic: ita tenet* Boer: decis: 211. & Guid: Pap: q. 159. *ad terminos Conc: Trid:* sess: & c. 29. & sess: 21. c. 8. & sess. 29. cap: 19. de refor.

BVLLA

BVLLA S. D. N. VRBANI PAPÆ VIII. *contra malè ad Sacros, vel Minores Ordines, seu Clericalem characterem Ordinantes, & malè Ordinatos.*

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

SEcretis æternæ prouidentiæ consilijs, nullo nostrorum suffragio meritorum, speculatores Domûs Israël, in sublimi Apostolatûs culmine constituti, eò potissimùm Pontificiæ sedulitatis officia conuertenda esse arbitramur, vt qui in sortem Domini vocantur, Christique Militiæ dant nomen, spiritualem Ecclesiæ tranquillitatem non perturbent, sed pacem confirment, vires augeant, ac tam strenuè se gerant, vt ipsam terribilem, quasi castrorum aciem ordinatam, inferæ potestates, ac principes tenebrarum, quotidiè magis perhorrescant.

§. 1. Hæc autem quantò impensiùs fieri optamus, tantò maiori indignatione irreligiosam quorũdam impudentiam detestamur, ac sacrilegã temeritatem execramur, qui Sacros Canones, Summorumque Pontificum Decreta non verentes, Clericales Ordines illegitimè suscipiunt, ac dum in Ecclesiasticorum Ministrorum cœtum per nefas irrepunt, Dei cultui, animarum saluti, omnibusque ad optimum Christianæ Reipublicæ regimen pertinentibus, plurimum obesse noscuntur.

§. 2. Aliâs siquidem fel: rec: Clemens Papa IV. Prædecessor noster, volens periculis animarum eorum obuiare, qui vinculo excommunicationis adstricti, aut Apostatæ, seu irregulares, vel aliâs Ordinum Sacrorum susceptione indigni, suam patriam, in qua de his haberetur notitia, fugientes, se in

 remotis

remotis partibus faciebant ad huiusmodi Ordines promoueri; statuit, vt nullus Episcoporum Italiæ, de cætero aliquem Vltramontanum Clericum ordinare præsumeret, nisi ab eodem Clemente Prædecessore, vel ab Episcopo, de cuius Diœcesi traxerat originem, Ordinandus, vel in cuius Diœcesi beneficiatus existebat, per eius patentes literas causam rationabilem continentes; quare ipsum nolebat, aut nequibat Ordinare; specialem licentiam haberet: eos verò, quos contra præmissa contigisset Ordinari, manere voluit absque spe dispensationis, super hoc à Sede Apostolicâ obtinendæ, suspensos, ac Ordinantes condigna pœnitentia puniri.

§. 3. Cùm autem, non sine graui animi nostri molestia, Nobis innotuerit, quàmplures Vltramontanos, suæ salutis immemores, Deique timore postposito, ad Ordines prædictos, Dimissorialibus literis, seu etiam falsò, cum bonorum omnium scandalo, se promoueri fecisse: Nos innumeris, quæ ex minùs canonica Clericorum Ordinatione huiusmodi proueniunt, malis, quantum Nobis ex alto conceditur, prouidere volentes, prædictam Clementis Prædecessoris Constitutioné, cum omnibus & singulis in ea contentis, approbantes, & innouantes, motu proprio, & ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, in Italia existentibus, tenore præsentium prohibemus, ne quouis prætextu, & ex quacunque causa, Hispanos, Lusitanos, Gallos, vel Germanos, aliosque quoscunque Vltramontanos, & ex quibusuis locis extra Italiam oriundis, non solùm ad Sacros, sed neque etiam ad Minores Ordines, vel Clericalem characterem, promouere audeant, seu præsumant, nisi Dimissoriales suorum Ordinariorum literas, à Nostris, & huius Sanctæ Sedis Nuncijs, seu Collectoribus, in illis partibus commorantibus, recognitas, probatas, & subscriptas habeant, eorundemuè Nunciorum, seu Collectorum, subscriptiones, à

Dilecto

Dilecto Filio Nostro, in Almâ Vrbe Vicario in Spiritualibus Generali, similiter examinatæ, recognitæ, & approbatæ fuerint: aliâs promouentes, ad Annum ab exercitio Pontificalium; promoti verò, perpetuæ suspensionis pœnam, absque spe dispensationis à Sede Apostolicâ obtinendæ, incurrant eo ipso. Insuper Promotos huiusmodi, ac etiam eos, qui cum falsis, vel fictis, aut fiduciarijs patrimonij titulis, scienter se ad Ordines huiusmodi promoueri fecerint, non solùm prædictis, verùm etiam maioribus, arbitrio nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis, infligendis pœnis.

§. 4. Italos verò, si quos in posterum Clericali charactere insigniri, vel ad Minores Ordines promoueri ab alieno Episcopo, cum falsis Dimissorijs contigerit, etiamsi qualitatibus per Concilij Trident: Decretum, *cap: 16. sess: 23.* requisitis; præditi sint, nihilominùs sequutâ tamen prius desuper Iudicis Ecclesiastici declaratione, fori priuilegio minimè gaudere, sed seculari iurisdictioni, vt antea, plenè in omnibus subiacere, & subiectos esse respectiuè, volumus.

§. 5. Sicque, & non aliter, per quoscunque Iudices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores, sublatâ eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, auctoritate, iudicari, & diffiniri debere, ac irritum & inane, si secus super his, à quoquam, quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari. In contrarium facien: non obstantibus quibuscunque.

§. 6. Per præsentes autem Constitutioni rec: mem: Pij Papæ II. Prædecessoris Nostri, contra malè promotos editæ, nullatenus derogare intendimus: sed illam cum omnibus & singulis in ea contentis, in suo robore & efficacia permanere; perinde ac si præsentes non emanâssent, decernimus.

§. 7. Vt autem præsentes literæ ad omnium notitiam faciliùs deuenire possint, volumus, quòd illæ, siue earum exempla, in valuis Basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis, ac

Princi-

Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apostolicæ; necnon in Acie Campi Floræ, vt moris est, affixæ, omnes & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent.

§. 8. Quodque earundē transsumptis, etiam manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra illud vbique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 11. Decembris 1624. Pontificatûs Nostri Anno Secundo.

QVÆSTIONES.

1. An Clerici, vtentes falsis Dimissorijs, ignorantes esse falsas, & illas recipientes à viro probo, & bonæ opinionis, puniantur pœna in supradicta Bulla contenta?

2. An Clericus Ordinatus à non suo Episcopo sine falsis Dimissorijs, incurrat pœnam præfatæ Constitutionis?

3. An Ordinarius possit ratificare Ordinationem sui subditi, factam ab alio Episcopo; ac quid requiritur; & an in præiudicium tertij?

4. An Episcopus sibi non subdito Ordines conferens cum spe ratihabitionis proprij Episcopi, suspensionem incurrat?

5. An Episcopus Ordinans alienum Clericum, excusetur à suspensione, si probabiliter ignorauit Clericum à se Ordinatum esse alterius Diœcesis, sed communiter habitum de sua Diœcesi?

6. Quæ concurrere debent, vt quis possit Ordinari ab alieno Episcopo ratione domicilij?

7. An Ordinandus etiam Episcopo Ordinanti non subditus, irretitus aliqua censurâ Ecclesiasticâ, vel Irregularitate, habeat aliquod releuamen, vel Beneficium per absolutionem, vel dispensationem, qua vtitur Episcopus in principio Ordinationis?

8. An

8. An laicus fabricans falsas dimissorias, possit puniri ab illo Episcopo, cuius iurisdictio offensa est in fabricatione dictarum dimissoriarum?

9. Quid si laicus incepit falsò scribere dimissorias, ad perfectionem tamen non deductas?

Ad Primum, *Resp: Clericali charactere insignitos, vel ad minores Ordines promotos ab alieno Episcopo, cum falsis dimissorijs, quas falsas ignorabat, & à probo viro receperat non incurrere pœnas præfatæ Constitut: ex reg: Iur: falsitatem non puniri absq; scientiâ,* l. 1. §. fin. ff. de falsis. l. nec exemplum. C. eod. *qua qualitas est de substantia delicti, ex quo ignorans non dicitur delinquere, secundùm* Rip: in l. fin. num: 48. C. de reuoc: donat. Gram: conf: 25. Menoch: de arb: iud. cas: 186 num: 12. *& ignorantia in dubio præsumitur, nisi probetur scientia,* c. præsumitur. de reg. iur. l. verius. ff. de probat. Roland: conf: 45. volum: 1. Cacher: decis: 24. Mascard: de probat: concl: 879. n. 6. *scientem enim, non ignorantem, lex vult obligare.* l. generaliter. C. de tabular: lib: 10. Cùm in l. quicunque. n. 4. C. de seru: fugit. & Rom: conf: 473. *& in proprijs terminis, in materia falsitatis, dolus requiritur ad puniendum aliquem vtentem falsis scripturis.* Plot: in l. si quando. n. 624. C. vnde vi. Bonifac: de Vitalin: in rub: de fals. n. 2. Iodoch: in pract: crim. c. 123. n. 7. *quemadmodum dicimus etiam in vtentibus falsis ponderibus, & mensuris.* Natt: conf: 72. n. 3. Tab: in summa. §. emptio: n. 9. & §. falsum, n. 10. Nauar: in Manual: c. 17. n. 169. *Vnde* Clar: in §. falsum. n. 5. *voluit, quòd qui vtitur falso instrumento, non punitur, nisi sciens illud esse falsum, & eo vsus sit: cuius ratio est, quia pœna præsupponit culpam.* Rimi: iun: conf: 640. n. 72. volum: 6. *sed in ignorante non consideratur culpa, vt ait* Crauett: conf: 204. n. 21. & Rimin: d. conf: 640. n. 76. *vbi etiam subdit.* n. 77. *quòd sine culpâ, non consideratur pœna. & ad idem facit, quòd notanter scripsit idem* Crauett: conf: 8. n. 10. *quòd ignoranti falsas scripturas, seu dimissorias, dolus imputari non potest. Non obstat* Luc: de Pen: in l. modios. n. 4. C. de

 susce-

susceptoribus. *vbi ait, quòd tenentes falsas mensuras sunt puniendi; nec excusantur per ignorantiam. per* text: in l. sed addes. §. si quis. ff. locati. *quia loquitur in alio casu.*

Ad Secundum, *Resp: Clericum Ordinatum à non suo Episcopo, male fuisse promotum* c. 1. & c. eos. *& ibi DD.* de temporib: Ordinationum. lib: 6. *& habere characterem Clericatûs, non tamen illius exequutionem.* Conc: Trid: sess: 23. c. 8 *sed non incurrere pœnam in dicta constitut: expressam; quia Summus Pontifex punit delictum falsitatis, & committentes falsitatem non debere gaudere priuilegio fori: & si voluisset Summus Pontifex Ordinatum à non suo Episcopo non debere gaudere dicto priuilegio fori, expressisset, & non apposuisset illam propositionem coniunctiuam in illis verbis ibi appositis, cum falsis dimissorijs; & Italos, si quos in posterum Clericali charactere, vel ad minores Ordines promoueri ab alieno Episcopo cum falsis dimissorijs contigerit, etiam si qualitatibus per Conc: Trid: decretum* cap. 16. sess: 23. *requisitis, præditi sint: Nihilominùs, sequutâ tamen prius desuper Iudicis Ecclesiastici declaratione, fori priuilegio minimè gaudere, sed seculari Iurisdictioni, vt antea, plenè in omnibus subiacere, & subiectos esse respectiuè voluit; & pœnæ non sunt ampliandæ, sed restringendæ.*

Ad Tertium, *Resp: Affirmatiuè.* c. Salomitanæ. cum glos. in verb: ac si, num: 63. dist: & in cap. illud. in glos: fin: 71. dist: *requiritur tamen, vt ratificatio fiat per Ordinarium, vel eius Officialem habentem speciale mandatum; vel Episcopus agat in remotis, & Vicarius sit etiam in spiritualibus.* Franc: in cap. cum nullus. in 4. Not: de temp: Ordin: in 6. & ibi Gemin: in §. Episcopo. num: 1. *& quia ratificatio quando fit, debet fieri in tempore antequam Clerico sic promoto conferatur Beneficium: alioquin collatio non valet.* Imol: in c. 2. num 29. de Inst: & Franc: in c. si eo tempore. n. 8. de rescrip. in 6. *Nec ista ratificatio retro trahitur in præiudicium tertij.* Glos: Bart: & alij in l. bonorum, ff. rem rat: haberi. Decius cons: 226. num: 6. Paris: cons: 12. nû: 17. lib: 4. Sarnen: in reg: de Iur: quæsi: non tollendo. q: 11.

 num:

num: 8. & ſeq. *& ita fuiſſe tentum die ſexta Ianuarij, 1552. coram D. Romano in vna Burgienſi dimidiæ portionis, affirmat* Decius in ſua Praxi: rerum Eccl: deciſ: CC. XC. VII.

Ad Quartum, *Reſp: Quòd abſque metu pœnæ, id fieri poteſt: ad hoc eſt text: expreſſus in* c. Lugdunenſis. 2. quæſt. 2. *pro qua ratione* Ignat: ſuper d. c. 29. verſ: ſecundus, *refert Raymundum in ſua* ſum: tit: de forma conſecrationis, Verſ: in ſumma nota, quòd Ordinati, & gloſ: in c. nullus alterius. in fin: 9. quæſt. 2. atque Maiolum in tract: de irregularitate lib. 4. c. 2. n. 7. *& ibi, quòd videtur hæc opinio probari à contrario ſenſu in Conc: Trid:* ſeſſ: 14. c. 3. & d. c. Lugdunenſis. *procedere in collatione primæ tonſuræ, & aliorum Ordinum, probat* Quintilian: Mandoſ: in reg: Cãcellar. 24. quæſt. 4. n. 12. & latiùs per Gabriel: in d. conſ. 287. col. 2. vol. 2.

Ad quintum, *Reſp: quòd ſic. non vbi probabiliter Epiſcopus alterius Diœceſis Clericum eſſe ignorauerit; vt potè, quia parentes eius, in ſua Diœceſi eum eſſe dixerunt, vel communiter pro tali habebatur; nam vt Epiſcopus ſuſpenſionem incurrat, ob cauſas ſupradictas, requiritur, vt ex præſumptione id fecerit, ob verbum illud, præſumpſerit: præſumptio autem dolum requirit, quo caret hic Epiſcopus, ob probabilem ignorantiam facti; atq; ſic reſpondiſſe Sacram Congregationem, teſtatur ſupradictus* Riccius, vbi ſuprà: *& tenet* Nauar: in conſ: 40. de tempor: Ord. Vgol: de poteſtate Epiſ: §. 21. n. 26.

Ad Sextum, *Reſp: contrahere domicilium, ſi quis transferat ſe ad habitandum in aliquo loco, & declarat expreſſè, ſe habere animum contrahendi ibi domicilium: ſtatim enim illud acquirit abſq; aliqua temporis expectatione. ita* But: in c. ad Apoſtolicæ. de decimis. Abb: in c. fin: de Parochijs. Franch: in cap: cùm nullus. de temp: ord: in 6. Felyn: in c. dilectus filius. il ſecundo, de reſcript: Petr: de Vbald: in tract: de Canon: port: Epiſc: & Parochiali. c. 7. Maſcard: de probat: concluſ: 134. Menoch: de arbitr: iudic: lib: 2 cent: 1. caſu 86. *& aliqua tradit* Afflict: deciſ. 384. & Henriq: in ſupra d: c. 22. §. 2. *Quando verò non decla-*

rat animum, tunc recurritur ad coniecturas. quarum prima est: cùm quis in locum aliquem maiorem partem bonorum transfert, & ibi contrahit. sic Bart: in l. placet. ff. ad municip. *aliter enim sola emptio domûs, vel alicuius partis bonorum, domicilum non facit.* c. dilectus. de rescriptis. capit: si Episcopus. de Paroch. c. cùm nullus. in 6. cit: iuncta gloss. Host: in sum: cit. de foro compet: num: 4. Ang: Arm: versic: domicilium. *si verò nihil habet in bonis, habitatio decennij cum animo habitandi perpetuò, requiritur:* l. 2. C. de incol: *Quod intellige concurrente, aliquo actu, seu signo significatiuo assumpti domicilij.* Abb: in c. fin. de Paroch. Felyn: in c. dilect. n. 11. de rescript. *& ita iudicauit Rota Romana, in* decis: 150. parte 2.

Ad Septimum, *Resp: quòd sic. ita* Nauar: cons: 49. num: 12. vers: ad 5. de sent: excom. *ratio est, quia verba illa absolutoria, & dispensatoria, debent aliquid operari.* l. 1. & ibi Gloss: quòd metûs causa. c. solitè. de maior: & obed. *& nos diximus etiam suprà.*

Ad Octauum, *Resp: quòd sic. quia illius iurisdictio offensa censetur, & consequenter offendentes efficiuntur subditi illius.* Arg: tex: in l. nullum. C. de testibus. *latè* Bart: in l. à diuo Pio. §. 1. ff. de re iudic. Afflict: decis: 230. Dominicus de Franchis, 147. Treuis: decis: 8. p. 3. & Ann: cons: 107. vol: 2.

Ad Nonum, *Resp: Quòd verior est opinio, nullam incurrere pœnam, etiamsi laicus falsò incipiat scribere literas Apostolicas; cùm huiusmodi literæ perfectionem habeant ab ipsa Bullatione Annuli Piscatorij, sine qua literæ Apostolicæ non dicuntur: ergo nec falsitas dicitur commissa in literis Apostolicis. & ad hoc est* text: in §. item lex Cornelia. de falsis. Inst: de publ: iud. in ver: scripserit, & signauerit. *Vbi signationis perfectio requiritur, & ad falsitatis essentiam requiritur vt ad perfectionem ducatur.* l. qui falsam. in prin. & l. si quis legatum. in prin. ff. de falsis. *sed cùm priuatus incipit scribere has literas, nihil dicitur fecisse, quia perfectiùs superest agendum.* l. pen: in fin. ff. ad Syllanian. §. ex eo. Inst: quib: mod. testam: infirm. *& principium illius scripturæ, cùm in vsu esse non possit,*

possit, non dicitur scriptura. l. ædificia. §. perfecisse. ff. de verb. sign. l. Quintus. §. cui. ff. de aur: & arg. leg: l. ex his in fin. ff. quand: dies. l. ced. l. stipulatio. §. opus. ff. de noui oper: nunciat. *nec censetur actum id, quod non est per propriam formam in consummationem adductum.* l. si is, qui. §. sed si opus. ff. ad l. Falcid.

DECRETVM S. D. N. VRBANI PP. VIII.

quoad Imagines nondum à Sede Apostolicâ Canonizatorum, vel Beatificatorum, cum radijs, splendoribus, & laureolis proponendas; vel tabellas, & luminaria ad eorum sepulchra apponenda, & cum attestationibus desuper proponendis, recipienda, & asseruanda, siue eorum miracula in imprimendis libris enarranda. Feria 5. die 13. Martij, Anno à Natiuitate D. N. Iesu Christi, M. DC. XXV. *In Generali Congregatione S. Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico in Vaticano coram S. D. N.* VRBANO, *Diuinâ prouidentiâ Papa VIII. ac Illustriss: & Reuerendiss: DD. S. R. E. Cardinalibus, aduersus hæreticam prauitatem Inquisitoribus Generalibus, à Sanctâ Sede Apostolicâ specialiter deputatis.*

SAnctissimus Dominus Noster, sollicitè animaduertens abusus, qui irrepserunt, & quotidie irrepere non cessant, in colendis quibusdam, cum Sanctitatis aut Martyrij fama, vel opinione defunctis, qui, etsi neque Canonizationis, neque Beatificationis honore insigniti sint ab Apostolicâ Sede; eorum tamen Imagines in Oratorijs, atque Ecclesijs, alijsque lo-

que locis publicis, ac etiam priuatis, cum laureolis, aut radijs, seu splendoribus proponuntur; Miracula, & Reuelationes, aliaque beneficia à Deo, per eorum intercessiones, accepta, in libris rerum ab illis gestarum enarrantur; & ad illorum sepulchra, tabellæ, imagines, & res aliæ ad beneficia accepta testificanda, & lampades, & alia lumina apponuntur.

§. 1. Volensque proinde huiusmodi abusibus, pro debito officij Pastoralis, occurrere, re etiam cum Illustriss: & Reuerendiss: DD. Cardinalibus, contra hæreticam prauitatem, in vniuersa Republica Christiana Generalibus Inquisitoribus communicatâ, & maturè consideratâ, ac discussa, declarauit, statuit, & decreuit, ne quorumuis hominum, cum Sanctitatis, seu Martyrij fama (quantacunque illa sit) defunctorum Imagines, aliaque prædicta, & quodcunque aliud, venerationem, & cultum præ se ferens & indicans, in Oratorijs, aut locis publicis, seu priuatis, vel Ecclesijs, tàm secularibus, quàm Regularibus, cuiuscunque Religionis, Ordinis, Instituti, Congregationis, aut Societatis, apponantur, antequam ab Apostolicâ Sede Canonizentur, aut Beati declarentur, & (si quæ appositæ sunt) amoueantur, prout eas statim amoueri mandauit.

§. 2. Ac pariter imprimi de cætero inhibuit libros eorundem hominum, qui Sanctitatis, siue Martyrij fama, vel opinione (vt præfertur) celebres è vita migrauerint, gesta, miracula, vel reuelationes, seu quæcunque beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta, continentes, sine recognitione, atque approbatione Ordinarij, qui in ijs recognoscendis, Theologos, aliosque pios, ac doctos viros in consilium adhibeat, & ne deinde fraus, aut error, aut aliquid nouum, ac inordinatum in re tàm graui committatur, negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmittat, eiusque responsum expectet. Reuelationes verò, & miracula, aliaque beneficia supradicta, quæ in libris horum hominum vitam, & gesta continentibus, hactenus sine recognitione, atque approba-

probatione huiusmodi, impressa sunt, nullo modo approbata censeri vult, mandatque Sua Sanctitas.

§. 3. Ad horum hominum sepulchra, vetuit etiam, ac inhibuit, Tabellas, atque imagines, ex cera, aut argento, seu ex alia quacunque materia, tàm pictas, quàm fictas, atque exsculptas appendi, aut affigi; & lampades, siue alia quæcunque lumina accendi, sine recognitione ab Ordinario omninò, prout suprà facienda, Sediq́ue Apostolicæ referenda, ac probanda.

§. 4. Declarans, quòd per suprascripta, præiudicare in aliquo non vult, neque intendit ijs, qui aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, virorumque Sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientiâ, ac tolerantiâ Sedis Apostolicæ, vel Ordinarij, coluntur.

§. 5. Vt autem præmissa diligentiùs obseruentur, vniuersis, ac singulis, tàm Ordinarijs, quàm hæreticæ prauitatis Inquisitoribus, districtè præcipit, vt in sua quisque Diœcesi, vel Prouincia sedulò peruigilent, ne sine approbatione prædictâ Imagines cum memoratis signis exponantur, aut miracula, reuelationes, ac beneficia prædicta publicentur, aliauè contra superiùs disposita, fiant.

§. 6. Transgressores verò, si Regulares fuerint, priuationis suorum Officiorum, ac vocis actiuæ, & passiuæ, necnon & suspensionis à Diuinis; si verò Clerici seculares, priuationis pariter suorum Officiorum, suspensionis à Diuinis, & ab Administratione Sacramentorum, executioneq́ue suorum Ordinum respectiuè, alijsque arbitrio prædictorum Ordinariorũ, seu Inquisitorum, pro modo culpæ infligendis pœnis plectendo.

§ 7. Qui autem libros impresserint, aut Imagines pinxerint, sculpserint, seu quoquo modo effinxerint, vel formauerint, cæteriq́ue Artifices circa præmissa qualitercunque delinquentes,

quentes, prædicta omnia amittant, & insuper pecuniarijs, alijsque etiam corporalibus pœnis, iuxta criminis grauitatē, eorundem Ordinariorum, seu Inquisitorum arbitrio, afficiantur.

§. 8. Contrarijs quibuscunque non obstantibus.

§. 9. Et ne præmissorum ignorantia possit ab aliquo prætendi: voluit, vt Decretum huiusmodi, seu illius exemplum, ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum Vrbis, ac in acie Campi Floræ affixum, omnes perindè arctet, atque afficiat, ac si vnicuique personaliter intimatum fuisset.

§. 10. Quodque præsentium trãssumptis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, ac sigillo alicuius personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Io: Antonius Thomasius, S. Rom: & Vniu: Inquisitionis Notarius.

QVÆSTIONES.

1. *Quid ſit miraculum?*

2. *Quæ requiruntur ad verum miraculum?*

3. *Quare ſunt miracula?*

4. *Quomodo probentur, & an per teſtes ſingulares?*

5. *An miracula directè poterunt à teſtibus probari?*

6. *An teſtes, deponentes de miraculis, debeant etiam non interrogati reddere Cauſam ſcientiæ, & de ſingulis circumſtantijs reſpondere?*

7. *Miracula quomodo ſunt examinanda?*

8. *Quomodo differant miracula inter gratias?*

9. *Quomodo & quando debeat vel poſſit miraculum publicari?*

10. *Quid debeat facere Epiſcopus quando aſſeruntur miracula patrata in aliqua Eccleſia, tàm ſeculari quàm regulari?*

11. *An ad alium præter Epiſcopum ſpectet miraculorũ recognitio?*

12. *Quæ pœna eſt publicantibus noua miracula, ſi non ſint approbata à Sede Apoſtolica, & examinata ab Ordinarijs, & quid ſi miracula eſſent falſa?*

13. *An liceat in Altari Domûs priuatæ retinere imaginem alicuius Sancti non canonizati?*

14. *In quibus conſiſtit his temporib. practica & modus canonizandi?*

15. *Decretum ſacræ Rituum Congregationis ſeruandum in recipiendis informationibus pro cauſis Beatificationum & Canonizationum ſeruorum Dei?*

Ad Primum. *Vide* S. Thom: 1. quæſt: 105. art. 7. & Lexicon-Theologiæ, in verbo, Miraculum, & Abb: in capite cum Marthæ, num. 7. de celebrat: Miſſarum.

Ad Secundum. *Reſp: Quod requiritur primum, vt ſit aliquod arduum & difficile: vt ſaturatio quinque Millia hominum, cum quinq; panibus, & duobus piſcibus* Ioan: cap. 6. *vbi ait, vnde ememus panes, vt manducent hi.* Et Marci 8. *Quis poteſt hos ſaturare in ſolitudine? Vbi arduum & difficile demonſtratur.* Secundum, *vt inſolitum. vt ſiſtere lunam, & ſolem.* Ioſuæ 10. & 4. Regum cap. 20. & Iſa: cap. 38. *Vbi eſt magna difficultas, an conſtiterint omnes cœli. Vide pro hac materia* Sotum, 4. ſentent: d. 48. quæſt. 2. art. 2. Tertium,

rium, *vt præter consuetudinem, ordinem, & vires naturæ.* Ioan: cap. 9. *de cæco nato, vbi fecit lutum, quod non solùm non est illuminatiuum, sed obcæcatiuum.* Quartum, *vt rarò* D. August: tract: 24. in Ioan: *vbi ait, quotidiana viluerunt.* glos: in cap. legitimus. in ver. paucitate. 93. d. Quintum, *vt fiat ad bonum finem.* D. Aug: lib. de vtilit. creden. ad Honoratum cap. 16. D. Thomas loc: cit: art: 7. ad secundum. 2. 2 art. 1. & 2. *Patet in languido.* Ioan: cap 5. *Vade, & noli ampliùs peccare. & de Paralytico seu Hydropico.* Luc: cap. 13 *Remittuntur tibi peccata tua.* Sextum, *Quod fiat statim, illicò, protinùs, repentè: nam si fieret successiuè, non diceretur miraculum.* D. Thomas loc: cit: art. 8. Beda, & Hieronymus, super Luc: cap. 4. de socru Simonis. *imperauit febri statim. & ita de Lazaro statim: ita de filio viduæ statim: & alia quamplurima. Miracula enim sunt ex omni parte perfecta, nunquam enim Christus aliquem sanauit, quem non in totum liberauerit ab infirmitatibus mentis & corporis, vt dicit* D. Aug: in c. sunt plures. & ibi Card: de Turre Crem: de pœnit: d. 3. D. Thom: in 3. par: summæ, quæst: 44. art. 3. in solut. argumen: *Neque obstat illud* Marci cap. 8. *de Cæco illuminato paulatim, & successiuè: tum quia non recepit statim visum propter eius infidelitatem, secundum* Chrysost: & Bedam, *quem Christus vno verbo totum simul curare poterat, paulatim curauit, vt magnitudinem humanæ cæcitatis ostende et quæ vix, vt quasi per gradus ad lucem venit.* facit tex: in cap. ma o es. §. vbi adhuc. de Baptismo. *tum quia paruulã temporis mor.. dictus cæcus se natus fuit.*

Ad Tertium, *Resp: Quod miracula fiunt,* Primò, *ad confirmationem sanctæ Prædicationis.* Marc: vlt. *& hæc potest facere etiam homo peccator.* Secundo, *ad propagationem fidei.* D. Greg: in homil: ascens. Tertio *ad ostendendam sanctitatem alicuius viri, vt de Beato Stephano* Actuum 6. *dicitur: faciebat prodigia quia plenus gratia.* Quarto, *ad ostendendam sanctitatem loci, vt Gen:* 28. & Exod: 3. Quinto, *ad conseruationem fidei, & ad fouendam charitatem fidelium, quæ alioquin refrigesceret.* Matth. cap. 24. 1. Corinth: cap. 14. *Qui prophetant hominibus, loquuntur ad ædificationem & exhor-*

hortationem D. Thom: 1. Cor: cap. 12. lect: 2. *& sic ad augendam plebis Christianæ deuotionem.* Sexto, *ad gloriam Dei.* Act. c. 4. Ioan: 9. Psalmo 113. Septimo, *ad confirmandam veritatem sacrarum imaginum, prout in septima Synodo generali quæ est secunda Nicæna sub Constant: & Iren: Imperatoribus, vbi agitur de imagine Crucifixi percussa pugione, emittenti magnam sanguinis effusionem.* ex Athanasio & ex imaginibus sancti Cosmæ & Damiani. *& sic videmus diuersis in locis sacris, hisce nostris temporibus, fieri miracula circa corporum infirmitates, & ista possunt peti à Deo.* Flor: Theol: 4. sen. tract: de suffrag. art. 2. difficul. 2. conclus. 2. D. Thom: in 2. ad Thesal: 1. 3. lect: 2. circa vlt.

Ad Quartum, *Resp: Vide* Gemin: cap. 1. n. 3. de confess: lib. 6. Balan: in l. solùm. col. final: Cod: de testibus. *Addit:* Zachar: in Abb: in cap. cum Marthæ. num: 7. de celebrat. Miss: in lit. B. & Sym: de Cath: instit: tit: 28. num. 19. *An autem miracula probentur per testes singulares, multi Doctores tenent quod non.* Archidiac: in cap. nec mirum. 26. quæst. 5. Abbas in cons: 42. & Alexander consulendo scripsit, in cons: 72. lib: 1. sub num: 3. *Gabriel de testibus.* conclus: 2. num. 59. *Alij Doctores tenent contrarium, & videtur magis pia opinio prout probat* Card: Tuscus: in sua Pract: Comm: conclus: in verb: singularium testium. conclus: 277. num. 7. *& quod ita fuit obseruatum in Canonizat: sancti Bonauenturæ, Panuin:* 2 par: art: 4. vbi etiam dicit in §. *& hinc est quod Innocentius III. hoc obseruauit in processu Canonizationis sancti Homoboni Cremonen: nam fidem adhibuit vni testi singulari. Item, quod hoc confirmatum fuit in Canonizatione sancti Thomæ Aquinatis per Ioannem 22. nam fidem adhibuit fratri Reginaldo sodali D. Thom: deponenti, de auditu à D. Thom: se potiùs diuinitus scientiam acquisiuisse, quàm studio & labore, vt etiam habetur* in 5. lect: *officij eiusdem sancti, die 7. Martij. Et ratio est quia adhibere fidem testibus, est arbitrariũ Iudicis.* l. 3. ff. de testib: *cum vulgatis alijs: & ideò si factum est tale, vt sciri non possit, nisi per vnum testem, cur non debemus adhibere illi fidem, præcipuè verò si sit homo bonæ conditionis & famæ; & in particulari vt sit arbitrarium Iudicis, etiam plenè adhibere fidem testibus singularibus, & præsertim quando te-*

do te-

do testes sunt bonæ famæ, & sunt personæ nobiles & notabiles: probat ex multis Castren: conſ: 342. in cauſa. col: final: verſ: 4. lib. 2. & Farin: in trac: de teſt: q. 64. *præcipuè* num. 104. & ſeq. *& quod probentur per testes singulares, tenet* Riccius variarum reſol: 492.

Ad Quintum, *Resp: Quod non: quia miraculum ex subiecto in quo fit, principium non habet, & directa probatio est per rerum principia; indirectè autē probabitur, id est per rationem argumentandi, vt explicat* Archid. in c. nec mirum. 14. cauſ. 26. q. 5. nu. 6. & Troil: Maluet: de Canonizat: ſanctorum. in 3. dub: n. 53. & ſequ.

Ad Sextum, *Resp: Quod testes deponentes de miraculis, debent etiam non interrogati respondere: id est, reddere Causam scientiæ.* Bald: in L. ſolā. C. de teſtib: *nec probant, si dicant, scio quia vicinus. vt probat* Maſcard: de probat: concl: 1064. *& diligenter examinari debent, & de singulis circumstantijs respondere.* Abb: & alij, in cap. venerabili. de teſtibus.

Ad Septimum, *Resp. Quod summa quidem diligentiâ examinanda sunt, ob plurimas, quæ desuper exoriri solent, difficultates, vt discernantur vera à ludificatorijs, & ideò Conc: Trid: in admissione nouorum Miraculorum, Episcoporum, Theologorum, & aliorum piorum virorum, operam requirit:* ſeſſ: 25. de reliq. §. prope finem. *Testes adhibendi de circumstantijs Miraculorum, diligenter interrogandi sunt: contestes de eadem re esse, causamq; scientiæ explicare debent.* C. venerabili, cum ibi notat: 52. de teſtib. Archid: in cap. Nec mirum. Cauſa 26. quæſt. 5. num. 7. Alex: conſ: 100, lib. 5. nu: 5. Bal: in l. 7. de teſtib. nu. 23.

Ad Octauum, *Resp: Miracula vera sunt illa quæ supradiximus in responsione ad secundam quæst: Gratiæ verò possunt fieri magis communiter, vt gratia sanitatum. & sic interdum fiunt quædam mira, seu stupenda in quibusdam Ecclesijs siue imaginibus sacris, quæ videntur miracula, & reuera non sunt talia, sed potiùs gratiæ vel dona.* D. Tho: loc cit: lect: 2. *Et ex his poteris colligere, quòd non sint vera miracula quando quis progressu temporis sanaretur, vel quid modicum infirmitatis. Nam vera miracula, vel nihil, vel totum operantur, vt de de Paralyt:* Ioan: 5. *vbi D. August: totum hominem sanum fecit in*

Sabbatho. Deu: 32. *Dei perfecta sunt opera.* & Gen: c.1. *vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona: & insuper, quod ea quæ fiunt à malis hominibus, vel à Dæmonibus prædicantibus falsam doctrinam, non sunt verè miracula; & sic erunt illa quæ faciet Antichristus, & si quæ sunt quæ circumferuntur à nostris Pseudoprophetis recentioribus hæreticis, falsa dogmata prædicantibus.*

Ad Nonum, *Resp: Quod non potest miraculum publicari, teneri, haberi, seu venerari, siue authoritate & approbatione Rom: Eccl:* c.1. de reliq. & veneratione Sanctorum. *& requiritur etiā approbatio Ordinarij:* Conc: Trid: sess: 25. cap. de inuocatione & veneratione Sanctorum, in principio. *Ratio potest esse, quia miracula possunt fieri per malos homines & Dæmones.* cap. Teneamus 1. q.1. gl. in d. c.1. in ver: miracula. D. Thom. super Mat: c. 7. & c. 24. Hieron: c. 23. Deu: c. 13. D. Augustinus lib. 10. cap. 16. de Ciuit: Dei. & Hom: 9. in Apoc: & tract: 110. in Ioan: Alex: 2. par: q. 43. mem: 10. prope fin. *An miracula possint fieri à Dæmonibus, vel à malis hominibus, vel etiam à viris sanctis nondum Canonizatis ab Ecclesia Catholica. & cognoscuntur, Primo ex fine: Secundo ex modo Tertio, ex tempore: Quarto, ex locis:* D. Hier: in Matth: 8. & ibi Chrys: & Niceph: in Histor: Eccl: lib. Innocen: in c.1. de reliq: & venerat: Sanct: Vigner: in Inst: Theol: tract: de virtute D. c. 10. *& an hodie sint necessaria vel vtilia miracula. vide Eug.* in hom: Ascens: Ioan: Gerso: Cancel: Paris: 2. q.

Ad Decimum, *Resp: Quod quando miracula fieri dicuntur in aliqua Ecclesia, seu seculari seu regulari, virtute sacrarum imaginum, statim Episcopi mandant operiri imagines, ianuas Ecclesiæ claudi; & impediunt concursum hominum, ne miracula publicentur, nisi prius per testes legitimos fuerint sufficienter probata, & processus, siue aliquid huiusmodi, mittatur ad Summum Pontificem.* Glos: cit: & c. venerabili. de testibus. & ibi glos. Nauar: c. 18. not. 5. *& sic ab ipso Summo Pontifice expectetur determinatio.*

Ad Vndecimum, *Resp: ex Conc: Trid:* sess: 25. sub rubric: de inuocat: & venerat: Sanct: *nemini licere noua miracula publicare, nisi recognoscente & approbante Episcopo: & dictio illa nisi posita*

in Conc: Trid: habet vim taxatiuæ l.consulta. C.de Testamentis, Couar: despon: par 2.c.4.§.1.n.8.Olasc: dec 174. n.4. Anton: decis. 112 in prin:Fel:in Causis. n. 16.de testib. *Itē verbū illud nemini, quod denotat omnimodam exclusionem secundum* Panorm: in c. Graue, n. 8 de Offic: Ordin: *Tandem quia fit mentio Episcopi; ex quo sequitur quod venit excludendus alius inferior, secundum* Tiraquel: de retract: conuen. Gloss: 7.n.9.& 13.

Ad Duodecimum, *Resp: Tam Seculares quàm Regulares, possunt puniri ab Episcopo vigore sacr: Conc: Trid: vbi expreßè prohibetur, nulla admittenda esse noua miracula; & Episcopus tanquam Executor Decretorum Sac: Concil: Trid: potest contrauenientes punire.* Rodrig. tom: 3. quæst: reg: qu: 32. art 2. *Publicantes verò falsa miracula sunt, excommunicati excōmunicatione Papali.* Nauar: cap. 27.n.113 Excomm.30. *Licet ipse, & Caiet: dubitent, hanc censuram fuisse vsu receptam.*

Ad Decimum tertium, *Resp: Quod non: si sola in eo sit, & cum* Lampade Tho: Sanch: in Decal: lib 2.c.43.n.6.& 7.& Philar: de offic: Sacerd: tom: 1.par.2. lib. 3.cap. 9.in fine.

Ad Decimum quartum, *Resp: In duodecim actibus, de quibus post alios meminit* Mascar: deprobat: lib. 1. concl: 262. n. 58. Graff: in suis decis: par: 2. lib. 2. cap. 13. n. 4. & seqq. Trogl: Maluet: de Canonizati: ses: 3. in 4. & vlt. dubio, latè Rocca Apostolici Sacrarij olim *Præfectus, Episcopus Tagasti, in suo Cōmentario de canonizat: Sanct: vbi de defin tione, authoritate, & antiquitate, deq; Causis, & Ordine Iudiciario canonizandi Sanctos, de miraculis, item de rebus quæ veram declarant sanctitatem, necnon de honoribus, qui Sanctis debentur, deq; infallibili Catholicæ Ecclesiæ certitudine, ad canonizationem pertinente, additis cæremonijs in eo obseruari consuetæ, ac declaratis, Sanctorumq; Canonizatione catalogo accedente, & eorum qui de canonizatione scripserunt. Romæ impressus Anno 1601.*

Ad XV. Decretum est infrascriptum.

DECRETVM SACRÆ RITVVM

Congregationis seruandum in recipiendis informationibus pro Causis Beatificationum & Canonizationum Seruorum Dei.

CVm in tota Ecclesiæ Gubernatione nihil maius, nihil sit augustius Beatificatione & Canonizatione Sanctorum, vtpote homines iam demortuos, etiam cum fama sanctitatis & miraculorum, declarare pro Sanctis, eosq; vti tales colendos & venerandos decernere:

Sacra Rituum Congregatio, vt res hæc planè amplissima atq; grauissima ritè sancteq; conficiatur, prohibet omnibus & singulis personis Ecclesiasticis, tàm secularibus, quàm Regularibus etiā S. Ioan: Hierosolymitani Societatis IESV vel aliorum quantumuis speciali nota dignorum, ne audeant ipsi per se, aut per alios capere informationes super sanctitate aut miraculis alicuius defuncti, neq; vllo modo exquirere atque obtinere ad hunc effectum extraiudiciales testificationes aut subscriptiones, sub pœnis arbitrio sacræ Congregationis infligendis. Quòd si superiori Sacristæ seu alteri Officiali illius Ecclesiæ, in qua requiescit corpus ipsiusmet Defuncti, vel alterius etiam Ecclesiæ fuerint reuelata aliqua miracula, siue Prophetiæ dona, possint ea recipere sub sigillo secreti ab ipsis tantùm reuelatoribus, in quorum gratiam contigisse narrabitur; teneantur tamen quamprimùm commodè poterunt *eadem deferre, vel obsignata transmittere Episcopo loci*, cum expressa declaratione, quod reuelationes, sic vt supra, receptæ non faciant aliquem probationis gradum, etiam cuiusuis longissimi temporis cursu.

Quod Decretum cum fuerit ad notitiam S. D. N. Vrbani VIII. deductum: Sanctitas sua illud approbauit, ac imprimi, & vbique publicari mandauit. Die 12. Maij, 1631.

LITERÆ PRÆFATÆ SACRÆ CONGREGATIONIS rescriptæ Illustriss: Archiepiscopo Auenionensi.

ILlustris Admodum, & Reuerendissime Domine. Cùm quotidie magis notum fiat, quanta sinceritate mentis, & maturitate cognitionis incipere & persequi deceat eorum causas, qui diem vltimum obiere, non sine aliqua populo relicta opinione Sanctitatis: & quàm accuratè, fideliterque in re tanti momenti adhiberi testes, & in examen vocari conueniat: Sacr. Rituum Congregatio facto priùs verbo cum Sanctissimo ne aliquis subrepat abusus, iussit, Amplitudinem tuam, hac peculiari Epistola fieri certiorem de ijs quæ in adiuncto Decreto continentur. Nempè vt curet, ne imposterum, vlla ex parte, aduersus illud à quopiam in tua Diœcesi aliquid committatur; sed ab omnibus omnino inuiolabiliter obseruetur. & quando apud Amplitudinem tuam ab aliquo

petitum fuerit, vt velit inquirere in ſanctitatem vitæ, & Miracula alicuius qui cum præfata fama obijſſe dicatur: quoniã nimia plerumq; procliuitas, atq; celeritas, occaſionem errori præbet, non priùs generaliter ſuper vitæ Sanctitate inquiri permittat, quàm peculiariter de alicuius virtutis eminenti gradu, aut peculiari aliquo miraculo præcedat famæ comprobatio, prout Prudentiæ tuæ magis expedire videbitur, quod per teipſum exequi S.Congregatio ſummoperè exoptat. Sed ſi ob inualetudinem, vel ob legitimũ aliquod aliud & graue impedimentum conficere non valebis, ſuper quo conſcientiam tuam onerat Congregatio, poterit Amplitudo tua delegare Vicarium ſuum Generalem, vel alium in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutum, qui delegatus, ſiue ille ſit Vicarius, ſiue cuiuſcunque dignitatis, cum alijs ad minimum 2. doctis viris altero ſaltem Magiſtro in Theologia, altero verò graduato, vel licentiato in iure Canonico, rem totam ita peragere debeat, vt omnia ſua nomina ſubnotent, poſt ſubſcriptionem cuiuſcunque teſtis, antequam diſcedant à loco ipſius examinis. Curabit inſuper Amplitudo tua, vt teſtes omnes, quæcunque habeant, explanatè, & per extenſum deponant, nec ſe referant ad atteſtationes redditas, neque eis recitentur, quæ aliàs ipſi depoſuerunt. Poſtquàm verò fuerint per Amplitudinem ſuam, vel per alios ex cauſis ſupra narratis à te ſubrogatos acta completa, ſecreto retineantur, præſtito etiã Iuramento à Notarijs & teſtibus, ſe nemini promulgaturos quicquid ipſi ſcripſerint, & reſpectiuè depoſuerint, vel de quibus interrogati fuerint; de his autem actis per te, aut iuſſu tuo, confectis, certiorem reddere debebit ſtatim Amplitudo tua Summum Pontificem, eaq; quantò citiùs poterit authenticè tranſcripta, ac ſigillo obſignata, ad Sacram Rituum Congregationem traſmittere. Originalia verò eodem modo conſignata, & in capſa, clauſa pluribus clauibus, quæ diuerſis ad arbitriũ tuum cuſtodienda tradantur, in Archiuio Archiepiſcopali conſeruentur. Notum tamen ſit Amplitudini tuæ, neq; per hanc epiſtolam, neq; per aliquid in ea propoſitum voluiſſe Summum Pontificem, neq; ſacrã Rituũ congregationem, tribuere aut augere iuriſdictionem, ſeu facultatem quæ alijs Epiſcopis competere poſſet: atque vt hæ literæ nullâ in poſterum obliuione deleantur, ſed ſemper in recordatione vigeant & tua, & tuorum deinceps ſucceſſorum; dabit operam Amplitudo tua, vt illa quãtò citiùs tàm in Curia tua Archiepiſcopali, quàm in Archiuio Capitulari ad perpetuam rei memoriam aſſeruentur. Vale.

Datum Romæ 12. Martij 1632. Amplitudini tuæ vti Frater, C.Cardinalis Pius.

BVLLA

BVLLA S.D.N. VRBANI, PAPÆ VIII.

in qua ſit confirmatio, & innouatio Conſtitut: Pÿ Papæ V. contra Monetarios, eiuſdemq; ad quaſcunque perſonas Eccleſiaſticas ſeculares, ac cuiuſque Ordinis, nec non etiam Militiarum Regulares, ampliatio & extenſio; Vt in Prouincÿs Sanctæ Sedi ſubiectis ad Cardinales, de latere Legatos in eiſdem Prouincÿs, & Prolegatos pro tempore exiſtentes: In alÿs verò locis in Italia tantùm comprehenſis, cognitio cauſarum contra ſupradictos Monetarios tam ſeculares, quàm Regulares priuatiuè quoad omnes, etiam Superiores Religioſorum, ipſiſque Superioribus penitùs excluſis, ad Ordinarios locorum ſpectet.

VRBANVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN ſupremâ Paſtorali ſpeculâ, meritis licet imparibus, à Domino conſtituti, vt noxia ab eius grege arcentes, eiuſdem ſalutari regimini proſpiciamus: non ſine magno animi mœrore videmus eò noſtri temporis iniquitates eſſe progreſſas, vt ij, quibus onus incumberet pacem euangelizandi, & charitate proximum proſequendi, ſuæ vocationis immemores, à cupiditatum vortice abrepti, adulterinæ monetæ crimẽ perpetrare, ſiue perpetrantibus opem præſtare, non erubeſcãt, nec reformident. Quare Prædeceſſorum Noſtrorum Conſtitutiones deſuper editas innouantes, extendentes, & ampliantes, huiuſmodi perditorum hominum, quos ſuæ exiſtimationis conſideratio in Officio non continet, condignâ pœnarum

 ſeueri-

feueritate, temerarios, & nefarios ausus intendimus coercere.

§. 1. Cùm itaque fel : rec : Pius Papa V. Prædecessor Noster, attendens, quòd licet monetarum aurearum tunsoribus de iure vltimi supplicij esset inflicta pœna; argenteas tamen monetas tundentibus satis minor erat imposita: omnes eos, qui argenteas tunderent, vltimi supplicij, & eadem, qua aurearum tunsores eatenus puniti fuerant, & de iure puniri debebant, pœnâ puniendos esse statuerit: prout in Scedula Motûs proprij, manu eiusdem Pij prædecessoris subscriptâ, plenius continetur.

§. 2. Nos Motu proprio, ac ex certa scientia, meraq; deliberatione Nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac Nostra perpetuò valiturâ Constitutione, statutum, voluntatem, & mandatum Pij prædecessoris præfati, tenore præsentium approbamus, confirmamus, & innouamus.

§. 3. Ac ad omnes, & singulas personas Ecclesiasticas, etiam quomodolibet exemptas, tàm seculares, quàm cuiusuis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti, etiam de necessitate exprimendi, necnon Militiarum quarumcunque, etiam Hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani, Regulares non solùm in Statu Ecclesiastico mediatè, vel immediatè Nobis, & Sedi Apostolicæ subiecto, sed etiam in omnibus, & singulis Prouincijs, Regnis, Ciuitatibus, Terris, Oppidis, Castris, & locis, in Italia duntaxat, existentibus, qui aureas, vel argenteas monetas tundere, fabricare, colorare, vel aliâs adulterare, seu etiam quomodolibet adulteratas scienter erogare, aut exponere præsumpserint, extendimus, & ampliamus.

§. 4. Volentes, vt culpabiles in præmissis reperti, præuiâ degradatione Curiæ seculari puniendi tradantur.

§. 5. Pecunias verò sic, vt præfertur, adulteratas scienter detinentibus, seu de loco ad locum transferentibus, aut materiam, instrumenta, siue opem ad præmissa præstantibus, pœnam Triremium per decennium imponimus.

 §. 6. Et

§. 6. Et cognitionem causarum huiusmodi, quoad personas Ecclesiasticas præfatas tàm seculares, quàm Regulares in Prouincijs Nobis, & Sedi præfatæ subiectis; ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales in eisdem Prouincijs de latere Legatos, & Prolegatos pro tempore existentes; in alijs verò omnibus, & singulis Prouincijs, Regnis, Ciuitatibus, Oppidis, Castris, & locis tàm sub Nostra, & dictæ Sedis, quàm cuiusuis alterius Principis ditione, in Italia tantùm comprehensis, priuatiuè quoad omnes, etiam Superiores Religiosorum, ipsisque Superioribus penitùs exclusis, *ad Ordinarios locorum* spectare etiam volumus. Mandantes propterea Venerabilibus Fratribus Nostris Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, singulis videlicet in suis Ciuitat: & Diœces: & quoad loca intra fines alicuius Diœcesis, non tamen de Diœcesi existentia, ipsarum Diœcesium, intra quarum fines eadem loca extiterint, quò verò ad ea, quæ extra fines alicuius Diœcesis consistunt, vicinioribus eorundem locorum Ordinarijs, quatenus ad instantiam cuiusuis fisci, vel etiam cuiusuis denunciatoris, causarum huiusmodi cognitiones suscipientes, præuiâ etiam auocatione à quibusuis alijs, in causis ipsis modo præmisso procedant, omnibus iuris & facti remedijs opportunis, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachij secularis auxilio.

§. 7. Inhibentes insuper, tàm Decanis, & Capitulis Ecclesiarum Cathedralium, Metropolitanarum, & Patriarchalium, necnon quorumuis Ordinum, & Locorum Regularium, Societatum, & Institutorum, ac etiam Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, præfatorum Superioribus, Conuentibus, & Fratribus, quantumuis exemptis, ne sub priuationis beneficiorum, & officiorum, per eos respectiuè obtentorum, ac inhabilitatis ad alia in futurum obtinenda, vocisque actiuæ & passiuæ; necnon excommunicationis latæ sententiæ, eo ipso incurrendis pœnis, Legatos, & Prolegatos, ac Ordinarios Locorum, vt præfertur, procedentes, quoquo modo impedire, molesta-

molestare, aut perturbare audeant, vel præsumant. Ac etiam mandantes, vt quoties ad id fuerint requisiti, Religiosos ipsos, etiamsi Superiores alicuius loci Regularis actu fuerint, ipsis Legatis, Prolegatis, & Ordinarijs, vel alijs, quibus ijdem Legati, & Ordinarij mandauerint, consignent cum scripturis, & actis, si quæ facta fuisse reperiantur.

§. 8. Sicque, & non aliter, in præmissis, per quoscunque Iudices Ordinarios, Delegatos, & Commissarios, & etiam Cameræ prædictæ Clericos Præsidentes; necnon causarum Palatij Apostolici, & Curiæ eiusdem Cameræ Generalem Auditorem, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarium, & alios Cardinales, etiam de latere Legatos, necnon Vicecamerarium, iudicari, & diffiniri, ac interpretari debere, sublatâ eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ac irritum, & inane, quidquid secus super his, à quoquam, quauis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

§. 9. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Prouinciarum, Regnorum, Ciuitatum, Terrarum, Oppidorum, Locorum, Ecclesiarum, Monasteriorum, Militiarum, Hospitalium, etiam S. Ioannis, præfatorum, & aliorum Religiosorum, ac piorum locorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quauis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis, eisdem Prouincijs, Regnis, Ciuitatibus, Terris, Oppidis, Locis, Ecclesijs, Monasterijs, Hospitalibus, & Militijs, etiam S. Ioannis, vt præfertur, & alijs Religiosis, & pijs locis, Vniuersitatibus, Capitulis, Superioribus, & personis, in contrarium quomodolibet concessis, ac etiam pluries, & iteratis vicibus approbatis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales,

nerales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, eorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum præsentium duntaxat, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque.

§. 10. Volumus autem, quòd præsentes in valuis Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, necnon Cancellariæ, & in Acie Campi Floræ publicentur, & affigantur: quæ postquam sic affixæ, & publicatæ fuerint, post duos menses, à die publicationis huiusmodi computandos, quoscunque tam in Statu nostro, quàm extra eum, vbique locorum, in Italia tamen existentes, perinde arctent, & afficiāt, ac si vnicuique nominatim, & personaliter, intimatæ fuissent.

§. 11. Quodque earum exemplis, etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ, munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ijsdem præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 12. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam approbationis, confirmationis, innouationis, extensionis, ampliationis, impositionis, voluntatum, derogationis, mandatorum, & decreti, Nostrorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem id attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo, sexcentesimo, vigesimo septimo, Idibus Nouembris. Pontificatûs Nostri Anno Quinto.

Anno à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi, Millesimo, sexcentesimo, vigesimo octauo, Indictione vndecimâ, die verò vige-

rò vigesima octaua Mensis Ianuarij, Pontificatûs Sanctissimi D. N. D. Vrbani Diuinâ prouidentiâ Papæ Octaui, Anno eius Quinto, retroscriptæ literæ Apostolicæ, affixæ & publicatæ fuerunt ad valuas Basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, dimissis ibidem præsentibus literis, per aliquot temporis spatium appensis, & deinde amotis, vt moris est, per nos Augustinum de Bolis Romanum, & Brandimartem Latinum, Apostolicos Cursores.

Matthias Spada Magister Cursor.

QVÆSTIONES.

1. An crimen falsi dicatur difficilis probationis?

2. An probari possit per Coniecturas, & præsumptiones: & quæ sint?

3. Quando hoc sit verum?

4. An moneta cusa, vel falsa, debeat per testes concludenter probari?

5. Stampæ, icones, & alia instrumenta apta ad cudendum monetam, & diminuendam, quod indicium faciant contra retinentes?

6. An bona fama tollat indicium, quod resaltat ex inuentione penes aliquem dictorum instrumentorum?

7. An requiratur, quod actus sit consummatus in casu falsæ monetæ, quando per facientem non stat, quò minùs consummetur?

8. Monetam falsam alterius Principis cudens, sed non ad perfectam formam, vt expendi valeat, qua pœna sit puniendus?

9. Falsam monetam penes se habens, vel expendens, non ostenso Authore; an puniatur tanquam fabricator monetæ; & quid, si doceat de Auctore non expresso nomine, quando est bonæ famæ?

10. Quot modis potest moneta adulterari?

11. An Aurum, vel Argentum Alchimicum, possit vnquam vendi pro vero auro, & argento?

12. An possit quis tutâ conscientiâ expendere falsam monetam, quàm habuit ab alio?

Ad Primum, *Resp: Crimen falsi, connumerari inter delicta difficilis probationis. ita tenet* Iulius Clar: quæst: 64. n. 6. in fin: *vbi addentes in litera N.* Sardus, conf: 132. num: 9. volum: 1. *Latè* Moder: Rom: conf: 11. num: 1.

Ad Secundum, *Resp: Quòd de huius delicti falsitatis corpore, sufficiat constare per indicia, & coniecturas.* Ant: Gabr: concl: 17. n. 13. seq. tit: de crim: lib. 7. Mode. Rom. quæst. 2. n. 21. *Doctores adducti per* Rimin. iun. conf: 183. num. 5. lib. 2. Peregrin. Iannin. in tractatu de citat. reg. l. 1. cap. 2. num. 61. *vbi subdit, quod Iudex videre debet, an falsitas cedat commodo alicuius, & contra illum relaxet mandatum: & hanc esse communem opinionem testatur* Moder. Rom. in quæst. 2. num. 21. in fin. *vt crimen falsi inter delicta difficilis probationis, & quòd in isto crimine sufficiat constare de corpore delicti per coniecturas, & semper constare de corpore delicti.* Boer. decis. 164. n. 8. Gabr. concl. 17. num. 13. vers. contrarium tamen. Brun. Asol. in suo vnico conf. crim. num. 54. *vbi de communi; & plures coniecturas refert* Ant. Thesaur. in suis quæst. lib. 1. quæst. 47. & Moder. Rom. in tract. de falsit.

Ad Tertium, *Resp: Quòd in hoc proposito consideratur, quòd istud crimen falsi, est difficilis probationis, respectu delinquentium; cùm, vt plurimum, soleat committi secretè: non autem respectu ipsius corporis delicti. cùm ex ipsa falsitate remaneant vestigia, & factum sit apparens, & permanens; vt si fuerit abrasum instrumentum, vel lacerum, vt in casu* Farinac. conf: 23. per totum, *vel cancellatum, vel si fuerit ei aliquid additum, vel diminutum, poterit oculo corporeo bene percipi, & si habeat vitium visibile, vel si aliqua res, vel merces fuerit alterata, vel deprauata, poterit etiam ex ipsa re, vel merce constare de ipsa deprauatione, saltem per peritos. Item si aliqua mensura non fuerit iusta, sed etiam deprauata, vel diminuta, vel alterata, poterit per inspectionem, vel per mensuram ad aliam mensuram iustam fieri experientia, vel comparatio, & sic in similibus falsitatibus*

consisten-

consistentibus in aliquo facto extrinseco apparenti & visibili, *debeat de dicta falsitate constare non per coniecturas, & præsumptiones, sed verè per testes, & per ocularem inspectionem, & relationem, medio Iuramento per testes faciendam; & in actis redigendam per Notarium: prout tradunt Doctores in terminis* in crim: *falsæ, vel diminutæ, seu alteratæ monetæ.*

Ad Quartum, *Resp. Quòd debet plenè constare per testes vel per peritos deponentes de ipsa falsa cusione, vel diminutione, seu alteratione eiusdem monetæ, vel de qualitate materiæ, an aurum, vel argentum, quibus moneta cusa reperitur, sint iustæ ligæ, vel iusti ponderis; aliás si confiteretur reus confecisse dictam falsam monetam, & non appareat euidenter de ipsa falsitate, non posset condemnari.* Cephal: consf: 230. n. 11. volum 1. *quem refert* Brun: à Sol: in suo vnico consf: crim: n. 176. *& sequitur* Moder: Roman: in quæst: 2. n. 22. Bursat: consf: 166. n. 4. vers: respondetur enim, & num: seqq: & in terminis etiam, *an per inspectionem oculorum constare debeat de corpore delicti in isto crimine. falsa mon*: Hond: consf: 99. n. 11. volum: 2. *& quid si inuenta fuit moneta adulterina penes aliquem, an dicatur conuictus? Vide latè* Marsf: in l. qui falsam: n. 10. & seqq. ff de falsf: Decian: lib: 7. cap: 26. n. 5. & cap: 27. n. 2. *vbi firmat negatiuè: sed erit consideranda qualitas personæ, & quantitas pecuniæ, & aliæ circumstantiæ; & in specie si voluerit ipsam Monetam adulterinam abscondere, vel proijcere: prout ipse in facto habuit.*

Ad Quintum, *Resp: Sufficiens esse indicium ad torturam, ita in terminis* Dominicus de Franchis: decisf: 440. *volens, quòd ex solis Instrumentis repertis contra aliquem cudentem falsam monetam potest torqueri, & conuincitur vnico teste fide digno, & ex fama publicá.* & Marsil: in l. qui falsam: num: 40. ff. de falsis. *in specie hanc conclusionem ponit, & post multa concludit, quòd si ille, penes quem reperta sunt dicta instrumenta, non sit bonæ conditionis, & famæ; talis inuentio indicium faciat ad torturam; & quod indicium faciat contra Dominum domus, & illa retinentes, vide* Decian: resp: 93.

num;

num: 81. & seq. volum: 2. Mascard: de probat: concl: 1066. num: 10. volum: 3. Honded: cons: 92. volum: 2 Cephal: cons: 145. num: 32. & seq. volum: 3.

Ad Sextum, *Resp: Quòd supradictum indicium tollitur per bonam famam Domini domûs, vel dicta instrumenta retinentis: & quas excusationes, & defensiones adducere possit, & quomodo se tueri quis imputatus de falsa moneta, latè ponit* Decian: in tract: crim. tom: 2. lib: 7. cap: 27. per totum. *vbi in specie declarat, quòd non sufficiat quælibet, & vulgaris bona fama; sed sit notabilis, & vehemens, & maximè si nesciat rationem reddere, quomodo ad eius manus dicta instrumenta peruenerunt.* & sub num: 8. *post alios, quos allegat, testatur facere indicium ad torturam; & quando possit reus condemnari de falsâ monetâ, absq; eius confessione, si fuerint repertæ stampæ, moneta falsa cusa penes aliquem. Vide* Moscatel: de probat: delict. Rubr: de fals: mon. num: 47. & seq. *vbi reprobat, seu potius declarat decis:* Vinc: de Franch: decis: 401. *& sub* num: 18. *docet, vt non sufficiat, quòd testes de visu dicant vidisse talem expendere, vel habere monetam falsam; nisi etiam fiat per peritos recognitio, super dictâ monetâ adulterinâ: vulgariter dicendo,* con la proua. *& latè tradit* Maur: Burg: in tract: de mod: proced: ex abrupto. quæst: 24. n. 152. & n. 136 & seqq. *& sequitur;* quando fuerunt inuentæ monetæ rasæ, & diminutæ, vel inuentæ fuerunt forficulæ, vel aliud genus instrumentorum, quo moneta tundi, aut minui solet: & si fuerint inuenta instrumenta apta ad cusionem, quæ probationem facient, *ibi etiam latè declarat.*

Ad Septimum, *Resp: Quòd in casu falsæ monetæ, non requiritur quòd actus sit consummatus, quando per eum non stat, quin consummaretur. Ita* Bart: in l. qui falsas. ff. ad l. Cornel: de fals. *& ita tenet* Dominicus de Franch: decis: 440 *& secundùm hanc opinionem iudicâsse Sac: Conc: Neap. refert* Gramat: decis: 74.

Ad Octauum, *Resp: distinguendo, aut Moneta illius Principis, quæ falsificatur, expenditur in loco vbi falsificatur, & locum habet Constit: S. D. N. aut non expenditur, vel non est redacta ad perfectio-*

 nem, &

nem, & tunc non: ita in terminis tenet D. de Franch: *iuxta d.* decis: 440. n. 7. *& quòd ad fiscum pertinet probare, quòd in loco, vbi fabricatur moneta, expendatur; sed monerem, si casus accideret, vt consulatur Sacra Congregatio.*

Ad Nonum, *Resp: Quòd falsam monetam habens, vel expendens scienter, punitur pœnâ mortis in Regno Neapolit. sed habens, vel expendens, excusatur, si docet de Authore, etiam non expresso nomine, quando est bonæ famæ. Ita in proprijs terminis tenet* D. de Franch: decis: 401. per totum. *vbi quàmplurimos cumulat Authores, ad quos breuitatis causa te remitto.*

Ad Decimum, *Resp: Quatuor modis potest moneta adulterari; tundendo, rodendo, aquâ forti minuendo, & falso metallo cudendo.* Abb: in cap: quanto. de iureiur. *& ibi* Innoc: Couar: de numismat. cap: 7. & 8.

Ad Vndecimum, *Resp: Quòd nunquam est vendendum aurum, vel argentum Alchimisticum, pro vero auro, & argento, licet appareat verum, & resistat igni, & aquæ viuæ: & si habet proprietates aliquas auri, & argenti, tamen non potest habere omnes connaturales eisdem; vt puta, lætificandi animum, & deseruiendi Medicinæ, & non est diu duraturum.* D. Thom: 2. 2. quæst: 77. art: 2. ad primũ. Caiet: in sum: in ver: Alchimista. Old: cons: 74. aliâs 74. Tab. ver: emptio. n. 9. Abb: in c. 2. de sortileg: in fine. Caiet: 2. 2. q. 77. art: 2. ad primum. *vbi reddit quatuor causas, quare iniusta sit venditio auri, vel argenti sophisticati. Prima est, quia non potest deseruire nummis conficiendis: secunda, quia non diu durat: tertia, quia non naturale: quarta, quia frequentiùs applicatur. vide* Armil: ver: Alchimia. num: 1. Oldrad: cons: cit. Iser: in tit: quæ sint Reg. in ver: Moneta. Peng: com: *26* in 3. part: dir: inquisit. & Syluest: in ver: Alchimia. *& superiùs, in* ver: casus. in quibus. § Alchimistici. *quibus in locis habetur Alchimisticos esse suspectos, saltem de superstitione non pauca.*

Ad Duodecimum, *Resp: Si quis bonâ fide habuit monetam falsam ab aliquo, non potest eam tutâ conscientiâ expendere, sed debet inuesti-*

inuestigare eum qui dedit, si potest, aliàs non. D. Ant: 2. part. c. 17. §. 4. & 5. Tab: in ver: emptio. §. 3. Nau: in Manu: c. 17. n. 173. & c. 19. n. 8. Sylu: in ver: falsarius.

BVLLA SANCTISS: D. N. VRBANI Papæ VIII. In qua fit reuocatio indultorum, ac Priuilegiorum omnium, etiam per modum Communicationis concessorum Militijs, Hospitalibus, Collegijs, Capitulis, Religionibns, Societatibus, Congregationibus, & Ordinibus quibusuis, tam mendicantium, quàm non Mendicantium, cæterisque locis pijs, & eorum, siue earum respectiuè personis, audiendi secularium personarum Coufessiones absque Ordinarij examinatione, & approbatione.

Priuilegia omnia super huiusmodi facultate concessa reuocauerat Conc. Trid. sess: 23. cap: 15. *& ad secularium confessiones audiendas, ab Episcopis illos tantùm admitti statuit, qui vel Parochiale beneficium obtinuerint, vel per examen, aut aliâs idonei iudicati fuerint: prout iudicatum est ad* Const: 133. Pij V. tom: 2. pag: 345. *Per quam ipse Pius hoc idem prohibuit Regularibus cuiuscunque Ordinis, etiam Lectoribus, aut in Theologia graduatis. Cuius Constitutionis reductionem ad terminos iuris communis, & Concilij Trid: fecit Greg: XIII. in* Const: 9. In tanta. d. tom: 2. pag: 371. *& ad hanc materiam attende etiam, Clem: VIII.* Const: 115. Quæcunq;.

Tenor Bullæ eſt infraſcriptus.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

CVM, ſicut accepimus, aliquibus Religioſis quorundam Ordinum, ſeu Congregationum, à Sede Apoſtolica indultum fuerit, vt Sacramentales perſonarum ſecularium confeſſiones audire valeant, etiamſi ab Epiſcopis Diœceſanis ad id examinati, & approbati non fuerint; nec deſint, qui temerè aſſeuerent, hoc ipſum priuilegium cæteris quoque aliorum Ordinum Regularibus competere, ex ampliſſimis priuilegiorum communicationibus, quas ab eadem Sede Apoſtolicâ obtinuerunt, & hinc ſaluberrimum Sacri Concilij Tridentini decretum deſuper ſancitum penitùs euertatur.

§. 1. Nos huic malo opportunè prouidere volentes, de Ven: Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium, negotijs Regularium Præpoſitorum conſilio, omnia, & ſingula indulta huiuſmodi, audiendi ſecularium Confeſſiones abſque Ordinarij examine, & approbatione, quibuſuis Collegijs, Capitulis, Religionibus, Societatibus, & etiam Societati IESV, Congregationibus, & Ordinibus, tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, necnon Monachorum quorumcunque, etiam Sancti Benedicti, Ciſtercien: & Cartuſien: ac etiam quibuſuis Milicijs, etiam Hoſpitalis Sancti Ioannis Hieroſolymitani, ac quibuſcunque Eccleſijs, etiam Patriarchalibus, & Metropolitanis, Monaſterijs, cæteriſque locis pijs, ſiue eorũ, & earum reſpectiuè Abbatibus, Præpoſitis, Decanis, Magiſtris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, etiam Generalibus, vel Prouincialibus, Cappellanis, Confeſſarijs, aut alijs quocunque nomine nuncupatis Superioribus, & perſonis quibuſcunque, etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè

mediatè ſubiectis, cuiuſcunque dignitatis, præeminentiæ, & conditionis exiſtentibus, & quouis priuilegio munitis, & tàm ad ſupplicationem partium, quàm Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine hactenus quandocunque, & qualitercunque, ex quauis, etiam de neceſſitate exprimenda, cauſa, & aliâs quomolibet conceſſa; Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium reuocamus, caſſamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, viribuſque & effectu euacuamus, ac reuocata, caſſa, ſublata, abrogata, & annullata, viribuſque & effectu vacua eſſe, & fore, nec Religionibus, Societatibus, etiam Societati IESV, Congregationibus, Ordinibus, ac Militijs, & Eccleſijs, Monaſterijſque prædictis, eorumque Superioribus, & perſonis quibuſcunque, in poſterum vllo modo ſuffragari, minuſque illos, & illas, etiamſi de ijs ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac de verbo ad verbum mẽtio haben: foret, indultis huiuſmodi vti poſſe.

§. 2. Præſentes verò literas, & in eis contenta quæcunque, etiam ex eo quòd quicunque in præmiſſis intereſſe haben: ſeu habere prætendentes, ad hoc vocati & auditi non fuerint, de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis Noſtræ, vel alio quocunque defectu notari, impugnari, redargui, in ius vel controuerſiam reuocari, ad terminos iuris reduci, aut aduerſus illas quodcunque iuris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus poſſe; ſed illas ſemper validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere.

§. 3. Sicque per quoſcunque Iudices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Nuncios, & ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudican: & interpretan: facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere; ac irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate, ſcienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus, & declaramus.

§. 4. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſuis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, Ordinibus, Societatibus, & Cõgregationibus prædictis, eorumque Præpoſitis, Decanis, Magiſtris, Abbatibus, Miniſtris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, & alijs Superioribus, Capellanis, alijſque prædictis, ſub quibuſcunque ten: & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, & alijs decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliâs in contrarium quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis ten: ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſſio haben: aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruan. foret, tenores huiuſmodi præſentibus pro plenè ſufficienter expreſſis, & ad verbum inſertis haben: illis aliâs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque cõtrarijs quibuſcunque.

§. 5. Volumus autem, quòd præſentium tranſſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus vbique fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

§. 6. Quodque eædem præſentes literæ, ſeu illarum exempla ad valuas Baſilicarum S. Ioan: Lateranen: ac Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ affixa, omnes ita arctent, & afficiant, ac ſi vnicuique perſonaliter intimata fuiſſent.

Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem, ſub Annulo Piſcatoris, die 12. Septembris, 1628. Pontificatûs Noſtri Anno Sexto.

QVÆSTIONES.

1. *An Confessarij approbati ad Confessiones audiendas ab Episcopo Prædecessore, sine temporis præfinitione, possint ab Episcopo successore iterum examinari?*

2. *An Confessarij possint approbari ad tempus?*

3. *An Episcopus possit impartiri licentiam Regularibus audiendi Christi fidelium Confessiones, etiamsi illi non exponantur examini?*

4. *An Confessarij, qui abiurauerint de vehementi, possint admitti ampliùs ad audiendas Confessiones; & quid si de leui tantùm?*

5. *An approbatus ad audiendas Confessiones ab vno Ordinario, possit eas audire in alio Episcopatu?*

6. *Confessarij electi vigore priuilegiorum confraternitatum, an debeant esse approbati ab Ordinario?*

7. *An Confessarij possint, absque incursu pœnæ, absoluere ab hæresi priore mentali?*

8. *Sacerdos audiens Confessiones absque licentiâ Ordinarij, quam pœnam incurrit; & quid, si non esset Sacerdos?*

9. *Episcopus non eligens idoneos Confessarios in Cathedralibus, an peccet mortaliter?*

10. *Quomodo se gerere debeat Sacerdos, quando non potest audire totam Confessionem pœnitentis, puta in bello, vel naufragio, in peste, vbi moriuntur multi simul?*

11. *An facultas eligendi sibi Confessarium idoneum ab Ordinario approbatum, vigore Bullæ Cruciatæ Sanctæ, extendatur etiam ad Regulares vtriusque sexus, & cuiuscunque Ordinis?*

12. *An Confessarij tam seculares, quàm Regulares, possint absoluere à casibus Episcopalibus vigore diplomatum concessorum alicui loco, Religioni, vel Vniuersitati?*

Ad Primum, *Resp: Quòd sic: & ita declarauit Sacra Congregatio his verbis:* Congregatio Conc: censuit Regulares ad audiendas in Ciuitate, & Diœc: secularium Confessiones, semel ab Episcopo præuio examine approbatos, iterum ab eodem Episco-

Episcopo non esse examinandos. *Cæterum à successore posse vtique examinari, iuxta Const: fel: record: Sanctissimi Dom: Pij V.* Datum Rom: Id: Aug: & Pontificatûs illius, an: 6. *& non est reuocata per reductionem priuilegiorum Regularium ad terminos Conc: Trid: ita* Quaranta verbo, Confessor. fol. 235.

Ad Secundum, *Resp: Quòd sic: & ita hodie seruatur in Curijs Episcopalibus ad tollendas omnes difficultates, quas Regulares proponebant, quòd semel approbati poterant deinde semper audire Confessiones, & ita declarauit Sacra Congregatio, Conc: Trid: die 2. Iulij 1587. per verba:* Regulares, qui ad Confessiones audiendas idonei generaliter ab Ordinarijs, eorumuè examinatoribus reperti & probati fuerunt; generaliter quoque, & indistinctè absque aliquâ limitatione temporis, certorumuè locorum, aut generis personarum, admittantur in Diœcesi propria. De cæteris verò, qui non adeò idonei reperientur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinquitur ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinarijs magis expedire videbitur, probare & admittere. Qui autem in domibus Laicorum Confessiones ex causa audierint, statim Parochum admonere teneantur, & fidem auditæ Confessionis pro Medico adueniente relinquere, *vt testatur* Quaranta, in verbo, Priuilegia Regularium, fol: 514.

F. Michael Bonel: Card: Alex.

Gregorius Palearius Secret.

Ad Tertium, *Resp: Ratio dubitandi pro opinione negatiua, quòd non possit, sumitur ex* Conc: Trid: sess: 23. can; 15. *in quo disponitur, nullum, etiam Regularem, posse Confessiones secularium audire, aut ad id idoneum reputari, nisi Parochiale Beneficium habuerit, aut ab Episcopo per examen, si illi videbitur necessarium, sit approbatus. ex quibus verbis patet euidenter, non posse Episcopum examen remitte-*

remittere; & fortificatur ex eo, nam in approbandis Confessoribus, manifestè debet constare de eorum scientiá, vt notat Gloss: *communiter recepta in* Clem: dudum. §. statuimus. de sepulturis, *vbi ponit sex qualitates necessarias, inter quas præcipua est, quòd sit persona sagax, vt sciat soluere, & ligare, ac misericordiam cum rigore miscere.* cap: disciplina. *& quòd ibi communiter notatur,* 45. dist: Archidiac: in cap: pœnitentia. de pœnitentijs. dist: prima. Panor: in cap: nisi vtriusque sexus. num: 7. & sequen: eodem tit: vnde Gloss: in cap. consideret. de pœnitentijs. dist: 6. *dicit, tantam debere inesse sapientiam in Confessario, vt valeat discernere inter morbum, & morbum, lepram, & lepram, atque ità sequuntur omnes Summistæ in* verbo, Confessor; *supradictus accedebat requiri examen in Confessoribus pro forma, & propterea omitti non potest, ad tradita latissimè per* Parisium in tractatu de resignatione Benefic: lib: 7. q. 9. Gonsalez Glos: 5. § 3. n. 8. & sequen. Artama. cons: 25. Kopen in dec: Germaniæ 21 *hinc est, quòd quando examen requiritur pro forma, non sufficit præsentatio virtualis, sed personalis, ita* Bald: in c, Constitutus. il. 2. num: 4. Dec: n. 7. Fel: n. 10. Anan: num. 12. de appellationibus. Fuscus in tract: de visitat: lib: 2. c. 5. *voluit examen faciendum in Parochialibus beneficijs esse de forma Sac: Conc: Trid. Concludo tamen, quòd examen non est necessarium pro forma in approbatione Confessariorum, sed sufficit, quòd Episcopus reputet aliquem idoneum, & sic illum etiam absque examine approbare potest, si vult: nam Concilium Trid: non se restringit ad dictum examen; sed dicit, aut alias idoneus iudicetur. ita* Riccius in Prax: var: resol: fol: 14. resol: 21.

Ad Quartum, *Resp: Quòd non.* Locatus in opere Iudic: in fine. *quæ decisio non videtur carere ratione, siquidem tales censentur grauiter infamati.* c. ad abolendam. *& quòd ibi communiter notatur,* de hæretic. *& proinde debent suspendi ab officio, & beneficio, propter criminis immanitatem.* Argument: tex: in cap: inter. de purgat: Canonic. Achil: de Grass: in decis: vnica, de hæreticis. & Capp: Tholos, in decis: 91. *imò etiam post abiurationem remanet*

manet infamia facti, siquidem solus reus illam remouere possit, per Hostien. *& alios* in ca: ex tuarũ. de purgatione Canonica. *& ibidem* Abb: num: 2. *& in* c. testimonium. *vbi etiam* Fel: num: 12 de testibus. *stante, maximè quòd fuerat condemnatus ex causa criminis publici, ex qua oritur infamia.* cap: infamiæ. §. porrò. 3. quæst: 6. Spec: in tit: de testibus. § 1. *& crimen hæresis esse publicum non dubitatur, ex latè traditis per* Simanc: de Catholicis instit. num: 7. *facit tex:* in cap: ius publicum. 1. dist. *& infamis non potest consequi dignitates.* c. infamibus. de regulis iuris. l. vnica. C. de infamibus. lib: 12. *Item, quòd supradicta abiuratio de vehementi, obtinet vim publicæ pœnitentiæ. vt tradunt communiter in* cap: accusatus. §. 1. de hæreticis. in 6. *quæ inducit irregularitatem, & consequenter inhabilitatem, ad audiendas confessiones fidelium,* cap: ex pœnitentibus. cap: illud. & cap: placuit. 50. dist. *quia irregularitas contrahitur ex publica pœnitentia, quæ imponitur pro crimine. vt habetur in d.* cap: placuit. *& notat* Arch: in c. in capite. 50. dist. Alex: de Neuo. cons: 69. num: 6. Alciat: cons: 17. *& speciale est in crimine hæresis, vt abiuratus, etiam post abiurationem, remaneat suspensus ratione scandali, vt notabiliter voluit* Oldrad: in cons: 22. Mand: cons: 29. post Host: Io: Andr. & reliquos, in cit: cap: inter. de purgatione Canonicâ. *& facit* cap: nihil. de præscriptionibus. *& facit suspicio recidiui ad tex: in* cap: semel malus. de regulis iuris. *Non obstat* Paris: cons: 2. n. 18 *& in* cons: 188. vol: 4. & Rol: cons: 63. n. 6. *vbi ait, hæreticum formalem, qui primâ vice abiurauit, non effici inhabilem ad beneficia: quia respondetur id procedere in rè, non ita præiudiciali. In abiurante verò de leui, cùm fuisset dubitatum in Curia Archiepiscopali Neapolitanâ, re delatâ ad Sacram Congreg: generalis Inquisitionis sancti Officij in Vrbe, fuit rescriptum die 6. Martij, 1596. dictum Sacerdotem non esse impeditum exercere omnes Ordines, & Sacramenta ministrare, ac fidelium, etiam secularium, Confessiones audire, quamuis abiurasset de leui: qui verò abiurauerant de vehementi, nunquam admittuntur.*

Ad Quin-

Ad Quintum. *Resp: Negatiuam sententiam probat post alios* Rod: vbi suprà, art: 5. *vbi plenè, & ita ab eadem Sacrâ Concilij Congregatione decisum fuisse, adnotauit* Quaranta, in d. verb. Confessio, pag: mihi 195.

Ad Sextum, *Resp: Quòd Confessarij electi vigore Priuilegiorũ Confraternitatum, debent esse approbati ab Ordinario, prout cauetur expressè in Constit: Clem: VIII. fel: record: quæ incipit* Quæcunq; à Sede Apostolica.

Ad Septimum, *Resp: Quòd sic. quia purè mentalis Hæresis non est punibilis ab Ecclesia in foro exteriori, & non eget absolutione in dicto foro, nec subiacet iudicio fori exterioris Ecclesiæ, iuxta constantem, receptamque Theologorum sententiam, de qua relatis alijs testatur* Ioan: Simanc: de Cathol: instit: cap. 24. num: 3. & seqq. *& meminit* Guttier: vbi supra.

Ad Octauum, *Resp: Regularem, seu alium Sacerdotem, audientem fidelium Confessiones absque approbatione, & licentia Ordinarij, grauiter delinquere, cum id patrare nec dum reperiatur prohibitum de iure Sacrorum Can: Verùm à Sacro Conc: Trid: nam in* cap: 15. sess: 23. de reform: *dicitur: Quamuis Presbyteri in sua Ordinatione à peccatis absoluendi potestatem accipiant; decernit tamen Sancta Synodus, nullum, etiam Regularem, posse Confessiones secularium, etiam Sacerdotum, audire, neque ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale Beneficium, vt ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliâs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, priuilegijs, consuetudine quacunque, etiam immemorabili, non obstantibus. Et in* c. 6. de casuum reseruatione, sess: 14. *hæc habentur: Nullius momenti esse absolutionem quam Sacerdos in eum profert, in quem Ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem. Probatur quoque in* d. cap. 15. sess: 23. eiusd: Conc: & in Conc: Florentino sub Eugenio celebrato. §. 4. *vbi hæc habentur:* Minister huius Sacramenti est Sacerdos habens auctoritatem absoluendi Ordinariam, vel ex commissione Superioris. *De qua re latissimè* Nauar: in c. placuit; num: 5. & seq.

 de pœnit:

de pœnit: dist: 6. *& idem* Nauar: in Man: Confess: num: 1. & 2. *latè* Guttierez lib: 1. can: quæst: cap: 27. *Item dicitur præfatum Regularem, seu Sacerdotem delinquere, etiam exercendo iurisdictionem quam non habebat; siquidem ante approbationem habet tantùm habitualem, non autem actualem, ad* tex: in Clement: attendentes. de statu Regul: *sequitur* Bald: cons: 23. num: 6. Alban: cons: 90. n. 4. Merend: cons: 63. n. 5. & 9. Rubin: cōs: 16. & 21. n. 4. *Quibus omnibus suppositis, dicimus pœnam præfati criminis sumi ex* text: in c. placuit. *quo cautum est, vt talia patrantes suspendi debeant saltem à potestate, gradu, & iurisdictione habituali, quam in Sacerdotio receperūt, ita, vt nunquā dicta potestas, & iurisdictio habitualis in actum redigatur, actualem iurisdictionem recipiendo ad Confessiones auriculatas audiendo. & secundum* Rodrigu. quæst: 26. lib: 2. art: 1. *deberet quoque suspendi à celebratione Missarum. Cùm hic casus euenisset in Curia Archiepiscopali Neapolitana, fuit Regularis carceratus, & deinde post aliquot menses remissus ad suum Superiorem Regularem vt de delicto patrato castigaret; qui Superior dictum Regularem ab exercitio Ordinum per tres Annos suspendit. Non promotum verò ad Sacerdotium, repertum tamen Sacramentalem Confessionem audiuisse, à iudicibus Sanctæ Inquisitionis, vel locorum Ordinarijs, tanquam misericordiâ indignum à foro Ecclesiastico, esse abijciendum, & ab Ordinibus Ecclesiasticis, si quos habet, ritè degradatum, statim Curiæ seculari tradendum esse: quemadmodum etiam non promotum ad Sacrum Presbyteratus Ordinem repertum Missarum celebrationem vsurpâsse, statuit Clemens VIII. in sua Constit: edita sub die 1. Decembris, An: 1601. quæ incipit:* Et si aliâs fel: record. *Prout etiam priùs sanciuerat Paulus IV. An: 1557. die 20. Maij. & An: 1559. die 17. Februarij. Et S. D. N. Vrbanus VIII. in sua Bulla, quæ incipit:* Apostolatûs Officium. *edita, An: 1627. ampliauit Constitutionem Clem: VIII. contra non promotos ad Sacrum Presbyteratus Ordinem, Sacramentales Confessiones audientes, aut Missam celebrantes, Curiæ seculari præuiâ degradatione tradendos, ad omnes etiam minores viginti quinque Annis, dummodo vigesimū ætatis An: compleuerint.*

Ad Nonum, *Resp: Quòd peccat mortaliter Episcopus, qui non eligit idoneos Confessarios in Cathedralibus, & Collegiatis*; cap: Inter cætera. de officio Ordinarij. *Etenim ab ignaris Confessariis quæuis malâ procedunt.*

Ad Decimum, *Resp: Quòd posset audire aliquod peccatum alicuius, & eum absoluere, & aliquod alterius, & sic de singulis, audito vno peccato vnius, vel singulorum aliquo, & ita absoluat, cùm non vacat audire integras singulorum confessiones: & ita dicunt practicatum fuisse in bello Granatensi in Hispania*; *licet* Nauar: in conf. 13. de pœnit: & remiss: *videatur tenere oppositum*; *sed multi tenent quòd communis est in contrarium, prout latè dicam in Oeconomia mea spirituali obseruanda tempore pestis, vbi de casibus conscientiæ eo tempore occurrentibus pertractabo.*

Ad Vndecimum, *Resp: Quòd non: Ita declarauit Sanctissimus Dominus Vrbanus VIII.* Motu proprio. *incipien.* In specula. *edito Romæ, apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris die 19. Iunij 1630. Pontificat: sui anno septimo, per hæc verba:*

Motu proprio, & ex certa scientia, ac maturâ deliberatione, Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, concessionem Sanctæ Cruciatæ, quæ respectu facultatis huiusmodi etiam laicis, & Clericis secularibus cuiuscunque statûs, gradûs, qualitatis, & conditionis, etiam speciali notâ dignæ, quoad casus reseruatos etiam Bulla Cœnæ Domini (hæresi exceptâ) contentos nonnisi in foro conscientiæ, non autem in foro externo suffragatur, aliorum indultorum huiusmodi, quantùm ad prædictum articulum eligendi Confessarium, & absoluendi à prædictis casibus reseruatis etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, cum fratribus, & Monialibus prædictis fratrum Prædicatorum, ac aliorum quorumcunque Ordinum, & Congregationum, Societatisque, & Instituti Prædictorum Mendicantium, & non Mendicantium, tàm Prouinciæ Hispaniæ, quàm extra eam vbilibet constitutorum, locum minimè habuisse, neque habere, nec in illis vllo modo suffragari potuisse, neque posse.

Ad Duodecimum, *Resp: Quòd non: Ita declarauit Sacra Congregatio de speciali mandato felicis record: Clem: VIII. per hac verba:*

SAcra Congregatio S. R. E. Cardinalium, negotijs, & consultationibus Episcoporum,& Regularium præposita,iustis & grauibus causis id exigentibus, ac de Sanctissimi D.N. Clementis Papæ VIII. speciali mandato, viuæ vocis oraculo desuper habito, Sacerdotibus omnibus tam secularibus, quàm Regularibus per vniuersam Italiam extra Vrbem degentibus, ad confessiones audiendas probatis, quorumuis Ordinum, etiam Mendicantium, Militiarum, aut Congregationum, etiam Societatis IESV, & generaliter quarumcunque aliarum, quouis nomine nuncupentur, iubet, & præcipit, ne quis eorum,sub prætextu priuilegiorum,indultorum,aut facultatum generaliter, vel specificè scripto, aut viuæ vocis oraculo, vel per communicationē à Sede Apostolica, vel eius auctoritate eorum Ordinibus,Congregationibus, Collegijs, vel Societatibus, aut Archiconfraternitatibus secularium, aut singularium, aut singularibus personis,seu aliâs quomodocunque sub quibusuis tenoribus, formis, & clausulis, etiam derogatoriarum derogatorijs,ad cuiusuis etiam Imperatoris, Regum,aut aliorum Principum instantiam concessarum, seu confirmatarum, alicui cuiusuis statûs, gradûs,& conditionis,aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quàm secularis, etiam Regiæ, vel Imperialis, ab vllo ex casibus, clarè, vel dubiè, in Bulla die Cœnæ Domini legi solita, contentis, vel aliâs quomodocunque Sedi Apostolicæ reseruatis, aut in futurum,& per Sanctitatem Suam, eiusque Successores pro tempore, in eadem Bulla, vel aliter reseruandis; nec etiam à Casibùs, quos Ordinarij locorum hactenus reseruârunt, vel in posterum sibi reseruabunt, nullo casu,etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi in mortis articulo, seu cum noua, vel speciali, Sanctitatis Suæ, aut Successorum suorum, vel Ordinariorum, quo ad casus ab ipsis tantùm

tantùm reſeruatos, reſpectiuè, impetratâ in ſcriptis licentiâ, Ordinarij locorum exhibendâ, abſolutionis beneficium de cætero impendere audeat, vel præſumat: ſed cum opus fuerit, pœnitentes, ad Superiores, legitimoſque Iudices ſuos, accedere conſulat; ſub pœnâ contra facientibus, tam Regularibus, quàm ſecularibus, excommunicationis, priuationis officiorũ, & dignitatum, aut beneficiorum inhabilitatis; item audiendi Confeſſiones, & quæcunque officia, præturas, beneficia in poſterum obtinenda, ipſo facto, abſque vllâ aliâ declaratione incurrenda: ſuper quibus, à nemine, niſi à Romano Pontifice, habilitatio, diſpenſatio, aut abſolutio, præterquàm in mortis articulo, poſſit impartiri: Sanctitas enim Sua, (quatenus opus ſit) facultates, & conceſſiones ipſas in hac parte, vti caſſas, & irritas haberi, de cætero voluit, & vult: non obſtantibus quibuſcunque.

Præterea nouerint pœnitentes, abſolutionem, ſi quam obtinebunt, contra huiuſmodi prohibitionem, eſſe nullius roboris, vel momenti.

Et ne Locorum Ordinarij, quibus ius hoc, reſeruandorum caſuum, competit, plurium, quàm opus ſit, reſeruatione, ſubditis, aut Confeſſarijs, in animarum ſalute cooperanda cooperatoribus, ſint oneroſi; monentur omnes, vt paucos, eôſque tantùm, quos ad Chriſtianam diſciplinam retinendam, animarumque ſibi creditarum ſalutem, pro cuiuſuis Diœceſis ſtatu, & qualitate, neceſſariò reſeruandos eſſe iudicauerint, reſeruent. In quorum fidem, &c. Romæ, die 9. Menſis Ianuarij, Anni 1601.

CVm autem dubia quædam, ac difficultates, circa eiuſdem Decreti interpretationem, atque obſeruationem, emerſiſſent, eadem Congregatio, ne vllus deinceps obſcuritati, ſcrupulo, ambiguitatiuè locus relinquatur, & vt clariùs appareat, in quibus caſibus, vigore eiuſdem Decreti reſeruatis, intelligatur

gatur prohibita absolutio, speciali mandato eiusdem S. D. N. Clementis Papæ VIII. similiter viuæ vocis oraculo super ea habito, ipsum Decretum ita moderauit, ac declarat, videlicet sub eiusdem prohibitione, illos tantùm in posterum comprehendi casus, qui in Bulla die Cœnæ Domini legi consueta continentur. Ac præterea violationis immunitatis Ecclesiasticæ, in terminis Constitutionis felic: rec: Greg: XIV. quæ incipit; *Cùm aliâs nulli.* Violationis clausuræ Monialium, ad malum finem; Prouocantium, & pugnantium in duello, iuxta Decretum Sacri Concilij Tridentini, & Constitutionem fel: rec: Gregorij Papæ XIV. incipientem: *Ad tollendum.* Iniicientium violentas manus in Clericos, iuxta Canonem: *Si quis suadente.* & *cap: 17. quæst: 4.* ac iuris dispositionem. Simoniæ realis scienter contractæ, atque etiam confidentiæ beneficialis. Item omnes casus, quos Ordinarij locorum sibi reseruârunt, vel in posterum reseruabunt. In quibus omnibus iam enumeratis casibus duntaxat, & sublata etiam pœna inhabilitatis audiendi Confessiones, eadem Sacra Congregatio vult, & mandat, dictum Decretum in sua firmitate, & pristino robore permanere: Ac præterea declarat, eos quidem Sacerdotes, tam seculares, quàm Regulares, qui aliquo ex priuilegijs, indultis, & facultatibus in supradicto Decreto expressis, suffulti fuerint; posse iuxta eorum priuilegia, indulta, & facultates, vsu, ante idem Decretum receptas, & quæ sub alijs reuocationibus non comprehenduntur, tantùm, & non aliâs, absoluere à casibus in præsenti declaratione non comprehensis: alijs verò Sacerdotibus huiusmodi priuilegia non habentibus, nihil de nouo concedi. Sed ne Locorum Ordinarij, ad quos casuum reseruatio spectat, ea in re modum excedant; eadem Sacra Congregatio illos rursus magnoperè admonendos censet, vt non passim, sed cùm id videbitur communi bono expedire, atrociorum tantùm, & grauiorum criminum, absolutionem sibi reseruent; quorum reseruatio ad Christianã disciplinam

retinen-

retinendam conferat in ædificationem, non autem in destructionem cedat: ne alioquin Sacramenti pœnitentiæ Ministrorum coarctatâ potestate, Sanctæ Matris Ecclesiæ piæ menti contrarius effectus subsequatur. Prohibet etiam, ne sibi superfluè reseruent casus, in Bulla die Cœnæ Domini legi consueta, contentos, neque alios Sedi Apostolicæ specialiter reseruatos. Facultatem verò & licentiam absoluendi à Casibus reseruatis, quam in scriptis tantum concedi permittebatur, etiam sola viua voce concedi posse declarat. Cæterùm, ne quis Sacerdotum secularium, aut Regularium, sub prætextu, & per primò dictum Decretum, non fuerit sufficienter eorum specialibus priuilegijs derogatum eidem Decreto, sic, vt præfertur, declarato, contrauenire audeat; Sanctitas Sua, Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis omnibus, in fauorem quorumcunque Ordinum, seu institutorum Regularium, aut Sacerdotum, tam secularium, quàm Regularium editis; necnon eorundem Ordinum, seu institutorum, ac etiam Eccles: & Monasteriorum, & aliorum secularium, seu Regularium locorum quorumcunque, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâuis firmitate aliâ roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis, etiam Mari magno, seu Bulla aurea, aut aliâs nuncupatis, eisdem Ordinibus, seu institutis, ac etiam Ecclesijs, & Monasterijs, & secularibus, seu Regularibus locis, aut personis, sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & alijs Decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliâs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis, concessis; ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumq; totis tenoribus & formis, specialis, specifica, expressa & indiuidua, ac de verbo ad ver-

bum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & forma in illis traditâ obseruata, inserti forent, præsentibus pro expressis habens, quo ad ea, quæ præsentibus aduersantur, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat, specialiter, & expresse derogat, contrarijs quibuscunque non obstantibus. Romæ die 26. Nouembris, 1602.

Alexand: Card: Floren. Episc: Prænestinus.

Hier: Agucchius Secret.

Sequuntur literæ Sacræ Congregationis ad Dominum Cardinalem, & Archiepiscopum Neap.

ILlustriss: & Reuerendiss: Domine. Accipiet Illustriss: Amplitudo Vestra vnà cum hisce literis exemplum Declarationis, quàm Sacra Congregatio S.R.E. Cardinalium, negotijs & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, de expresso Sanctissimi Domini Nostri mandato nuper edidit, Decreto de prohibita absolutione à casib: reseruatis, die 6. Ian: 1601. promulgato, quod in suis Diœcesibus Ostiensi & Neapolitana publicandum, ac studiosè obseruandum diligenter curabit. Cùm autem locorum Ordinarij magna ex parte indicem, seu notam singulorum casuum à se reseruatorum hûc miserint, compertum est in hoc genere variè quid à varijs admissum fuisse, quod aliqua emendatione indigeret, quosdam nimirum quædam reseruâsse, quæ iam Apostolica Sedes sibi reseruarat; alios alia, quæ minimè expediebant; nonnullos verò in ea re modum excessisse, vt nullum ferè superesset peccatum, quod non sibi vendicaret indifferens illa seruandi ratio, quæ (vt necesse erat) res plerasque leuis momenti, & alioquin Conc: Triden: aliorumque Sacrorum Canonum sententiæ

parum congruentes, complectebatur. Verum quia nondum satis hîc explorata erat cuiusque loci conditio, ac necessitas, non potuit vnicuique reseruationum huiusmodi sigillatim, modus ac temperamentum, quod res poscebat, adhiberi. Nec sanè debuit vna eademque Regula omnibus Ecclesijs præscribi; quandoquidem alia alibi magis conuenire certum est, & fieri vix potest, vt omnia omnibus in locis æquè probentur, & prosint. Quæ cùm ita sint, visum est eidem Sac: Congregationi, præter illam declarationem, priuatas quoque literas ad singulos Ordinarios mittere, quibus moneant, vt simul ac eas acceperint omnes casus sibi iam olim reseruatos, adhibitis aliquibus pietate, & doctrinâ præstantibus viris, de integro discutiant, diligenterque examinent, & ad ipsius Decreti iam declarati normam accommodent, eorum multitudinem sic resecantes, vt ad quàm paucissimos, eosque maximè necessarios redigantur ijdem casus, vnde salutaris ille sequatur effectus, cuius causa hæc reseruandi atrociores quosdam casus Episcopis, in sua cuique Diœcesi, tributa est auctoritas.

Præcipuè verò hæc monenda censet Sac: Congregatio, vt videant ipsi Ordinarij, ne illos casus promiscuè reseruent, quibus annexa est excommunicatio maior à iure imposita, cuius absolutio nemini reseruata sit, nisi forte propter frequentiam, scandalum, aut aliam necessariam causam, aliqui huiusmodi casus nominatim reseruandi viderentur; neque casus, in quibus absolutio nisi cum restitutione, vel executione eorum ad quæ pœnitentes tenentur, non confertur, neque illos, qui etiamsi mortale peccatum inducant, circa res tamen parui momenti versantur, si frequenter inter idiotas euenire solent, vti damni dati, & similium. In peccatis etiam carnalibus reseruandis multâ vtantur circumspectione, propter periculum scandalorum, in ijs maximè personis, in quas ob accessum ad Confessarios extraordinarios, vel frequentem reditum ad Ordinarios, suspicionis aliquid caderet. Postremò eam potissimum

ſimum ineant, ac ſequantur rationem, quæ conſideratis diligenter cuiuſque Prouinciæ, ac populorum moribus, naturâ, ac propenſione, magis in Domino expedire videbitur. Poſtquam autem ab ijs peracta, deſcriptaque fuerit hæc moderatio; vnuſquiſque eam primo quoque tempore ad me perferẽdam curet, addita inſuper cauſa, quæ cuiuſque caſus reſeruationem potiſſimum ſuaſerit. Hoc enim à S. D. Noſtro deliberatum eſt, vt poſtmodùm ſingulæ huiuſmodi reſeruationes diſtinctiùs examinentur, quo perfectè tandem, adiutrice DEI gratia, opportunum ijs incommodis remedium adhibeatur. Interim de ipſius Sanctitatis ſuæ mandato idem Ordinarij monentur, vt per totam ſuam Diœceſim, ac præſertim ijs locis, qui à Ciuitate, & Cathedrali Sede longiùs remoti ſunt, Pœnitentiarios, alioſque Sacerdotes conſtituant, ac delegent, quibus facultatem abſoluendi à caſibus ſibi reſeruatis, concedant, ita vt his quoque liceat eandem alijs Confeſſarijs, ſi opus ſit, etiam viua voce, impertiri: Idque maxime in ſolennioribus, & præcipuis Anni feſtiuitatibus, vt peccatores, quibus obuia & facilis fuerit huiuſmodi Sacerdotum copia, ad peragendam Confeſſionem, alliciantur, quia alioquin plerique vel ob idipſum omittere poſſent, ſi neceſſe haberent pœnitẽtiæ Miniſtros, quibus indigent, longius quærere. In eam igitur curam, quantum in ſe erit, ſedulò incumbet Illuſtriſſ: Amplitudo Veſtra, vt hæc omnia ex Sanctitatis ſuæ, & Sacræ Congregationis mente, debitæ executioni mandentur, eâ diligẽtiâ, eoque zelo vbique adhibito, quem optimus quiſque Paſtor erga animarum ſibi creditarum ſalutem præ ſe ferre debet. Vt autem apud ſe, ſucceſſoreſque ſuos perpetuum extet monumentum, quid hic circa totam hanc reſeruandi rationem deliberatum ſit; dabit operam, vt hæ literæ vnà cum ipſo Decreto, ac declaratione, in publicis ſuarum Curiarum Epiſcopalium actis integrè deſcribantur. Eas verò cum primùm acceperit, dignabitur facere nos ea de re certiores, miſſuras po-

ſtea quantociùs fieri poterit, expetitum nouæ reſeruationis indicem, ex præſcripto huiuſce mandati confectum. Quæ omnia mandante ipſa Sac: Congregatione ego Illuſt: Dominationi Veſtræ ſcripſi, Deum precatus, vt eandem quàm diutiſſimè incolumem tueatur: Romæ die 26. Nouemb: 1620. Dignabitur etiam Amplitudo Veſtra Illuſtriſſ: operam dare, vt Prælatis inferioris Ordinis exemptis, ſeu nullius Diœceſis, ſi qui ſint in ſua Prouincia, innoteſcat Decretum hiſce literis incluſum, tum etiam hæc reliqua, quæ ei ſcribuntur ſuper caſuum reſeruatione.

Illuſtriſſ: & Reuerendiſſ: Dominationis Veſtræ humiliatus Seruus,

Alex: Card: Floren:

REVOCATIO LICENTIARVM quarumcunque, legendi, & habendi libros prohibitos.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

APoſtolatûs officium, nobis, nullo licet meritorum ſuffragio, diuinâ prouidentiâ commiſſum, poſtulat, vt ad ea vigilantiæ noſtræ partes propenſiùs intendamus, per quæ Religio Catholica, vbi diuina gratia illæſa viget, conſeruetur; & vbi reſtitutione indiget,

 repa-

reparetur. Quapropter, cùm librorum prohibitorum lectio, magno ſinceræ fidei cultoribus detrimento eſſe noſcatur, & ſicut accipimus, nimis exceſsiua ſit, huiuſmodi libros legendi licentiarum copia: Nos, vt huic malo maturè occurratur, & in poſterum quàm cautiſſimè licentiæ huiuſmodi concedantur, quantùm cum Domino poſſumus, prouidere volentes: Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac maturâ deliberatione, noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Omnes, & ſingulas licentias legendi, & habendi libros quoſcunque, ob hæreſim vel falſi dogmatis ſuſpicionem, ſeu per conſtitutiones Apoſtolicas, etiam ratione Aſtrologiæ iudiciariæ; vel aliâs quomodolibet prohibitos, quibuſcunque perſonis Laicis, & Eccleſiaſticis, tàm ſecularibus, quàm Regularibus cuiuſcunque Ordinis, Societatis, & Inſtituti exiſtentibus, ac quacunque dignitate, etiam Eccleſiaſtica fulgentibus, cuiuſcunque ſtatûs, gradûs conditionis, qualitatis, & præeminentiæ, etiam ſpeciali nota, & mentione dignis, ac per literas Apoſtolicas ad tempus, ſeu ad vitam, & aliter quomodocunque, & ex quacunque cauſa, tàm in forma Breuis, quàm aliter quomodocunque, à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ſeu à quibuſcunque alijs à Nobis, vel ab eis facultatem, & auctoritatem habentibus, non tamen à Nobiſmetipſis per literas Apoſtolicas etiam in forma Breuis, ſeu Chirographum manu noſtrâ ſignatum, conceſſas,

cessas, earum tenores præsentibus pro expressis, & insertis habentes, hac nostrâ perpetuò valiturâ constitutione, reuocamus, cassamus, & annullamus, ac pro reuocatis, casßis, & annullatis haberi, nullique suffragari, quinimmò libros per licentias huiusmodi permissos legentes aut habentes, pœnas in sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, & Indicibus librorum prohibitorum contentas incurrere volumus, & declaramus. Decernentes, vt præsentes literæ, postquàm valuis Basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apostolicæ, necnon in acie Campi Floræ affixæ fuerint, infra duos, citra montes, vltra verò montes, infra quatuor menses ex tunc proximos, omnes, & singulos, ad quos spectat, arctent, & afficiant, perinde ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent; quodque dictis duobus, & respectiuè quatuor mensibus durantibus, ij, qui libros prohibitos huiusmodi habuerint, eos ad Episcopum, seu Inquisitorem, qui illos quantociùs comburere debeat, deferre; quique aliquos similes libros prohibitos habere sciuerint, eos denunciare tenentur, neque de cætero similes licentiæ, nisi à Congregatione sancti Officij, dum singulis hebdomadis coram Nobis habetur, vel ab alijs per Nos etiam in eadem Congregatione specialiter deputandis, concedantur; ac quòd earundem præsentium transumptis, etiam impressis manu alicuius Notarij

publici

publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica Conſtitutæ munitis, eadē prorſus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die 2. Aprilis, 1631. Pontificatûs Noſtri anno octauo.

M. A. Maraldus.

QVÆSTIONES.

1. Quæ nam ſunt pœnæ contra hæreticorum libros, vel cuiuſuis Auctoris, ſcripta propter hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem, damnata, aut prohibita, legentes, aut habentes?

2. Quas pœnas incurrunt, qui libros, alia de cauſâ prohibitos, legerint, vel habuerint?

3. Si quis compertus eſſet habere libros prohibitos, num ſe defendere poſſet, ſi diceret retinuiſſe ad confutandum?

4. Quid ſi quis damnatus Author viueret, & alia opera in futurum componeret, cenſerenturne etiam damnata abſque noua prohibitione?

5. An prohibitio legendi libros hæreticorum, vel de fide, comprehendat etiam libros non impreſſos?

6. Quid de libris Catholicorum cum Scholijs, vel adnotationibus hæreticorum?

7. An ſuſpicio hæreſis, oriens ex retentione librorum hæreticalium, procedat in hæredibus, qui non perquiſiuerunt omnes angulos domus defuncti, penes quem erant Scripturæ ſuſpectæ?

8. An Epiſcopi abſque Inquiſitore poſſint cognoſcere, decidere, definire, & terminare cauſas illorum, apud quos reperiuntur libri prohibiti non ſapientes manifeſtam hæreſim?

Ad Primum, *Resp: Quòd inter cæteras pœnas super hoc ab Apost: Sede, Sacrisque Canonibus constitutas, illa etiam est, vt qui hæreticorum libros, vel cuiusuis Auctoris, scripta propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnata, aut prohibita legerit, habuerit, ipso iure in excommunicationis pœnam Sum: Pontif: reseruatam, incurrit: eamque ob causam in eum seu secularem, seu Regularem tanquam de hæresi suspectum inquiri, & procedi licet: prout habetur in Regulis Indicis librorum prohibitorum auctoritate Pÿ quarti, primum editi, postea à Sixto V. aucti, & demum fel: record: Clem: VIII. iussu recogniti, & publicati.*

Ad Secundū, *Resp: Qui libros, alia de causa prohibitos, legerit, habueritue, præter peccati mortalis reatū, Episcoporum arbitrio seuerè venit puniendus, vt patet ex Constitutione Pÿ IV.* die 24. Martij 1564. *incipien:* Dominici. fol: 803.

Ad Tertium, *Resp: Quòd non: quia eorum lectio perniciosa, ac periculosa est. Ità post alios tenet* Pegna in Directorio Inquisitorum, part: 2. comment. 3. vers: Tametsi.

Ad Quartum, *Resp: Ità sanè; quia semel damnato Authore, omnia ab eo scripta simul damnata censentur: vt tradit idem* Pegna vbi supra, vers: Monendi tamen sunt.

Ad Quintum, *Resp: Procul dubio; quia adhuc libri sunt, & in eis militat eadem ratio prohibitionis. Ità tenet* Barthol: Vgulin: in tract: de censur: Rom: Pont: reseru: part: 2. vers: Ac eorundem libros. num: 1. vers: Quartò. *& refert* Farinac: quæst: 180. num: 30.

Ad Sextum, *Resp: Quòd eadem sententia tenenda est, ob identitatem rationis periculi. Ita aduertit* Iacob: Graff: lib: 4. suarum decis: cap: 18. num: 43. *de quo meminit* Farinac: vbi supra nū: 50. in fine.

Ad Septimum, *Resp: Quòd si hæredes, apud quos reperti essent libri hæreticales, essent viri probi, sinceri, & nullatenus suspecti de reatu hæresis, & ignorabant apud eos esse libros hæreticales, suspectio hæresis ex retentione supradictorum librorum, non procedit.* Menoch.

 de arbitr:

de arbitr: Iud: casu 379. n. 12. Royas singul: 124. *nam vt constituat quem suspectum, de hæresi retentio huiusmodi librorum hæreticalium, duo potissimùm requiruntur, nempe scientia; & quod præfati libri sint damnati pro hæreticis.* Bursat: cons: 304. vol: 4. Graff: cons: 2. de hæret: Simanch: & Cathol: Instit: tit: 39. num: 19. & Riccius in sua praxi rerum fori Ecclesiæ, decis: DC. LXXV. num: 5. & 6. *Aduertant tamen hæredes ad tollendam omnem suspicionem, & ad omnes meliores fines, & effectus, ne contra eos ex retentione huiusmodi librorum procedi possit, vt mortuo testatore inuentarium conficiant omnium librorum, & ad Ordinarium loci, seu Inquisitorem deferant.*

Ad Octauum, *Resp: Quòd sic. per* tex: in c. accusatus. de hæret: in 6. Abb: in c primo. de sortileg: n. 4. vers: & aduertere. Eymer: in Directorio Inquis: q. 42. n 2. *& ita censuit Sacra Generalis Congregatio S. Rom: & Vniuersalis Inquisitionis, sub die 2. Decembris, Anni 1612. vt refert* Fran: Leo in suo Thesau: fori Eccl: in titul: de Sortileg: n. 26. *vbi etiam, ait causas superstitionum, Incantationum, veneficiorum & blasphemiarum, nisi sapiant manifestè hæresim, absque Inquisitorum interuentu, Episcopi terminare possunt, ex dictis iuribus supra allegatis, & ex supposità potestate Sacræ Congregationis, quæ ita censuit prima die 2. Septemb: 1612.*

QVÆSTIO.

An liceat Regularibus leuare defunctorum funera, sine proprio defuncti Parocho.

LIcet in Sacro Generali Lateranensi Concilio statutum & Ordinatum fuerit, vt Fratres Ordinum Mendicantium, cæterique Religiosi Regulares, non possint intrare Parochias cum Cruce ad leuanda funera eorum, qui apud Ecclesias Domorum, & locorum eorundem suam elegerint sepulturã, nisi priùs præmonito, & requisito, ac recusante Parochiano Presbytero, & tunc sine eius, & Ordinarij præiudicio: Significatum

ficatum tamen est Sacræ Congregationi S.R.E. Cardinalium negotijs Episcoporum & Regularium propositæ, nonnullos Fratres, præsertim Ordinis Minorum de Obseruantia, cuiusdã consuetudinis prætextu, quam neque antiquitate vallari, neque obseruantiâ viridi inniti, neque pacificâ, & non interrupta possessione firmatam esse constat, contendere sibi licere, defunctorum funera, proprio eorum Parocho absente, eoq́ue irrequisito, efferre, & leuare; idq́ue haud leues controuersias, & altercationes, aliquibus in locis, non sine populi scandalo, & DEI offensione, excitâsse. Ideò volens eadem Sacra Congregatio omnem eiusmodi dissensionum & scandalorum materiam & occasionem præcidere, atque in futurum prouidere; vt tam Parochi, quàm Fratres ipsi, vnanimi inter se voluntate, & eâ, qua par est charitate, vltima hæc Christianæ pietatis officia defunctis præstent, declarat, & huius decreti tenore statuit, prædictis Fratribus Ordinis Minorum de Obseruantiâ, alijsque quibusuis Regularibus quorumcunque Ordinum, & Congregationum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium existant, nullo modo licere; etiam specialis alicuius consuetudinis prætextu; Parochias cum Cruce processionaliter, aut aliâs, ad efferenda, & leuanda defunctorum funera intrare, vel illa leuare, & efferre, nisi vocato, & expectato proprio defuncti Parocho, eoque ibidem præsente: si tamen ipse aliter fieri non consentiat, & permittat, vel nisi requisitus, venire expresse omninò recuset. Atque ita obseruari mandat, & districtè præcipit, firmis cæteroqui, & in suo robore permanentibus ijs omnibus, quæ super quarta funerum, & canonicâ portione, alijsque iuribus, ad sepulturas pertinentibus, à Sacris Canonibus, & Conciliorum decretis, Summorumque Pontificum Constitutionibus hactenus sancita, & Ordinata sunt, vel aliâs ex particulari consuetudine, vel alio iure obseruantur. Romæ, die 12. Ianuarij. M. DC. IV.

Alex: Card: Floren: *Hieron: Augucchius Sec.*

Sequuntur nunc aliæ Quæstiones eiusdem Authoris, ad hanc etiam controuersiarum materiam spectantes, Ordine sequenti.

QVÆSTIO I.

An iure communi Monasteria sint subiecta Episcopo, in cuius Diœcesi sunt constituta?

RESP: Iure communi quaslibet Ecclesias alicubi constitutas, ad Episcopum loci pertinere, & eo ipso, quo sunt in Diœcesi constitutæ, ad Episcopum pertinent, nisi probetur eas esse exemptas. *c. cum venerabilis, de relig: domibus. c. de Xenodochys, eo. tit. c. omnes Basilicæ. 16. q. 7. c. contra morem. dist 100.* & olim omnia Monasteria erant in cura & potestate Episcoporum. *18. q. 2. c. Abbates. & c. quia Monasterium. & d. c. cùm venerabilis, de religiosis domibus.* & nihilominus Monasterio præerat Abbas, immò Monachus magis erat Abbati subiectus, quàm Episcopo loci; teste *Glossa, & Panormitano, in c. quàm sit. de elect: & locis citatis:* quomodo etiam nunc multa sacrarum Virginum cœnobia, cura & auctoritate Episcoporum gubernantur; & in eis tamen vnà sanctimonialium cæteris præsidet.

QVÆSTIO II.

An Religiosorum cænobia, Presbytero Parochiali subessent in Sacramentis suscipiendis?

RESP: Quòd attinet ad Iurisdictionem, & gubernationem, erant Episcopo subiecta: quòd autem ad Sacramenta, vero Presbytero Parochiali, quando Regulares non erant Clerici, vt dicit *Abbas in c. dilectus. n. 17. de Capel: Monach.* Nam iure communi sicut omnes Ecclesiæ in Diœcesi constitutæ; ad

Episcopum pertinent: sic Parochus habet ius in totam Parochiam, vt Sacramenta conferat omnibus his, qui in ea commorantur. *13. q. 1. c. pastoralis. de ijs quæ fiunt à Prælatis:* iure tamen nouo, & Romanorum Pontif: beneficio, Religiosorum cœnobia sunt ab Episcoporum potestate exempta; sicut etiam pleraque fœminarum Monasteria, quæ sunt in potestate Religiosorum. At verò iure communi Religiosorum cœnobia à Presbytero Parochiali, etiam in Sacramentorum perceptione, libera sunt, quando Religiosi sunt Sacerdotes. Nam *c. 1. 16. q. 1.* Religiosi quidem prohibentur extra Monasterium Sacramenta præbere: conceditur tamen eis, vt sibi inuicem, intra Monasterium, Sacramenta ministrent. Consuetudo quoque probauit, vt Episcopus sanctimonialibus suæ curæ subiectis, & Religiosis nullum apud se Presbyterum habentibus, Sacerdotem aliquem præficiat, qui eis Sacramenta conferat: vt annotauit *Abbas loco cit.*

QVÆSTIO III.

An Monachorum nomine, in iure Canonico, veniant omnes Religiosi?

RESP: Quòd *Abbas in cap: ex parte. de postulando.* dicit, Constitutionem Pontificam, siue Canonicam, aliquid de Religiosis statuentem, licet de Monachis ea loquatur, ad omes Religiosos trahi; nisi aliqua specialis ratio diuersitatis appareat. Vnde appellatione Monachi, omnis Religiosus accipitur, nisi lex alioqui distinguat. Nomine item Abbatis, venire solet omnis Ordinarius Religiosorum Collegio Præfectus: Abbatissæ autem nomine, omnis fœmina Sanctimonialium domicilio Præfecta. Appellatione Monasterij, omnis Religiosorum, simul in commune habitantium, Domus siue Collegium, nisi quid discriminis manifestè constiterit.

QVÆSTIO IV.

Circa grauamina, Religiosis à Prælatis illata, ob quæ fuerunt ab ipsorum iurisdictione exempti.

Ex cap: nimis pra-ua. de ex-cess: Præl.

PLerique, tam Ecclesiarum Prælati, quàm alij, viros Religiosos ad Synodos suas accedere, ac suis Constitutionibus subiacere compellebant.

Capitula, & scrutinia, in locis Fratrum pro his corrigendis facturos se comminantes, fidelitatem iuramento firmatã ab eorum Ministris & Custodibus exigebant.

Ipsis, vt tam extrà Ciuitates, quam intrà, cum eis processionaliter venirent, ex leui causa mandabant.

Excommunicationis sententiam pronunciabant in ipsorum Benefactores; id ipsum Fratribus comminantes.

Ne Fratres ad honorabiliores Ciuitates, & Villas, vbi Religiosè, ac honestè possent commorari, à populis deuotè vocati, accederent, inhibentes; Tam in accedentes Fratres, quàm in receptatores ipsorum, excommunicationis sententiam fulminabant.

Ab ipsis, de hortorum fructibus decimas, nec non de habitaculis Fratrum, sicut de Iudæorum domibus, extorquebãt.

Eos de locis, in quibus Deo seruiebant, amouere conabantur.

Nonnulli statuta faciebant, per quæ derogabant Priuilegijs exemptorum, vt ipsos suæ subderent totaliter ditioni, eisdem Ministros, & Custodes, volebant præficere pro suæ arbitrio voluntatis.

Et generaliter quàm plures Prælati Religiosis, præsertim exemptis, & priuilegiatis, in rebus & personis suis, ac iuribus spiritualibus, & temporalibus, contra iustitiam, & eorum Priuilegia, graues inferebant iniurias & iacturas.

Ex cap: Volebant contra ipsorum Regulam, à Sede Apost: approbatam,

probatam, & Ordinis instituta, ipsorum Confessiones audire, ac eis iniungere pœnitentias, & Eucharistiam exhibere. *nimiũ ini-qua. de ex ces: Præl.*

Nolebant, vt Corpus Christi in eorum oratorijs reseruaretur.

Fratres ipsorum defunctos apud Ecclesias suas sepeliri, & eorum exequias celebrari, compellebant.

Si quis decedentium Fratrum alibi, quàm in suis Ecclesijs elegisset sepulturam, funus priùs ad Ecclesias suas deferri cogebant, vt oblatio suis vsibus cederet.

Nec sustinentes, eos habere campanam, & cœmeterium benedictum, certis horarum temporibus permittebant ipsos celebrare diuina.

Volebant in eorum domibus certum numerum Fratrũ, Sacerdotum, Clericorum, & Laicorum, necnon cæreorum, lampadarum, & ornamentorum, pro suâ voluntate taxare, residuum cereorum, quando nouiter apponebantur, ab ipsis exigentes.

Nec permittebant, quòd noui Sacerdotes eorum, alibi, quàm in suis Ecclesijs primas Missas celebrarent; eos nihilominus cogentes, vt in quotidianis Missis, quas in suis locis, & altaribus celebrabant, oblationes ad opus eorum reciperent, & reseruarent.

Quidquid eis inter Missarum solemnia, intra domorum suarum ambitum pia fidelium deuotione donabatur; ab ipsis extorquere, oblationis nomine, contendebant.

Viros Religiosos, etiam exemptos, capiebant, & carcerabant, etiam in casibus non concessis à iure. *Ex Clem: quæ incipit frequ: & assidua. de excess: Prælat.*

Per grauium interminationem pœnarum, impediebant ne debentes exemptis decimas, seu redditus illos soluerent eisdem, neue aliqui Missas eorum audirent.

Contra molentes in molendinis Monachorum, & coquentes in furnis eorum, seruientes quoque, & vasallos, & domesticos eorundem, vel alios qualitercunque contrahen-

tes, &

tes, & participantes cum ipsis, suspendebant, interdicebant, & excommunicabant, absque causa rationabili pro libito voluntatis.

Appellationibus, quas prædicti exempti, ob præfata, vel alia grauamina rationabiliter interponebant, quandoque minimè deferentes; appellantes occasione appellationum huiusmodi interdum capi, & carceri mancipari, præcipiebant.

Capellanos, in Ecclesijs pleno iure spectantibus ad eosdem (licet nulla causa subesset legitima) celebrare non sinebant, nec ministrare Parochianis Ecclesiastica Sacramenta.

Contra Abbates, Monachos, & Conuersos exemptos, necnon & Clericos ipsis pleno iure subiectos, eis non parentes, in quibus non tenebantur, inconsultâ facilitate, in carceribus detentos, suspensionis, & excommunicationis sententiam proferebant; loca, & Ecclesias ipsorum interdicentes.

In exigendo ab ipsis exemptis, eorumque subditis, subsidia charitatis, nimiùm contra eos excedebant; insolitas, ac indebitas, ipsis, contra iura, exactiones, imponentes.

Ecclesijs vacantibus, in quibus Monasteria ius obtinebant patronatûs (repulsis personis idoneis ad eas præsentatis) personas inhabiles instituebant, & indignas.

Processus iustè factos, seu sententias iustè latas, à delegatis Sedis Apost: vel à Conseruatoribus pro exemptis, publicari, seu exequutioni demandari, à suis subditis non permittebant.

Tabellionibus publicis, ne instrumenta conficerent, inhibebant; & iudicibus ne iustitiam redderent; & iurisperitis, ne consilium, vel auxilium præberent in causis, seu negotijs ipsorum.

Nouos census, & indebita onera, Parochialibus imponebant Ecclesijs, in quibus exempti ius obtinebant patronatûs.

Ecclesias, curam animarum habentes, ad mensam Abbatũ spectantes, quarum fructus Clericis secularibus quandoque ad tempus concedebant, ipsis decedentibus, suis Clericis confe-

rebant,

rebant, quamuis Ecclesiæ in rei veritate non vacarent.

In Ecclesijs Monachorum, iura ipsorum sibi iniustè appropriantes, equos, boues, thesaurum, & alia bona Monasteriorum mobilia & immobilia, illicitè occupantes, de ipsorum reditibus pro libito voluntatis ordinabant, ita vt Rectoribus ipsarum non remaneret, vnde possent sustentari.

Quandoque cum armis, & vexillo erecto, Molendina, & alia exemptorum bona, contra iustitiam destruebant; quæ etiam tanto tempore possederant, quòd de contrario memoria non existeret.

Frequenter mittebant ad Monasteria suarum Ciuitatum, & Diœcesium, suos consanguineos, nepotes; & interdum animalia sua, cum custodibus, vt eis de bonis Monasteriorum prouideretur.

Abbates, & Priores Monasteriorum, sæpissimè compellebant, vt suis consanguineis, & nepotibus, Monasteriorum suorum, & Prioratuum possessiones, concederent in perpetuum, vel ad tempus.

Permittebant etiam, & tacitè consentiebant, quòd in suo dominio temporali, per milites, vasallos, & ipsorum temporales Officiales, Monasteriorum bona mobilia & immobilia per violentiam occuparentur, in casibus non permissis à iure; varias iniurias personis Ecclesiasticis inferentes.

Interdum Abbates, Priores, & alios Beneficiatos suis beneficijs iniustè priuabant, vt sic fructus beneficiorum vacantium primi Anni, possent percipere.

Cogebant sæpissimè Abbates, & Priores Monasteriorum ad sibi præsentandum suos familiares, consanguineos, vel nepotes, ad Ecclesias vacantes, in quibus ius obtinebant patronatûs.

Sine iusta causa impediebant ne exempti loca sua possent reparare.

QVÆSTIO V.

In quibus casibus Regulares possunt conueniri coram locorum Ordinarijs?

EX decreto Sacri Conc: Trid: *cap: 14. de refor: sess: 7.* Ordinarij, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, in causis mercedum, & miserabilium personarum, Regulares debitores cogere, & compellere possunt, cum expressa derogatione quorumcũque: ergo si non tanquam Ordinarius, saltem veluti delegatus procedere poterit.

2. Quòd Regularis, extra Monasterium degens, sui Ordinis prætextu, si delinquerit, ab Ordinario loci, tanquam super hoc à Sede Apost: delegato, inquiri, puniri, & corrigi potest; statuit Sancta Synodus in *c. 3. sess: 6. Conc: Trid: de Regular: & Monialibus.*

3. Ordinarius habet iurisdictionem in Regulares; videlicet, vt si Regularis est excommunicatus à iure, Ordinarius mandat ipsum denunciari publicè, vt euitetur. *Ita Io: Andr: in c. 1. de Priuileg: in 6. n. 1. quasi in fine. & Gemin: in 3. col: vers: quòd si exemptus. Io: de Imola. in Clem: 1. de sequest: poss: & fruct: in 17.*

4. Potest præfigere terminum Regulari exempto delinquenti, infra quem debeat Superiori suo se præsentare. idem *Gemin: in cap: Quamuis. §. inferiores. de elect: in 6.*

5. Ratione delicti, vel contractûs, aut rei, de qua agitur coram locorum Ordinarijs, possunt Regulares conueniri: ita text: in *c. 1. de priuileg: in 6.*

6. In casu hæresis Regulares exempti, subsunt Iurisdictioni Ordinariæ, vt in *cap: ad abolendam. §. fin: de hæret.*

7. In reddendo rationem alicuius vltimæ voluntatis, Regularis exemptus, fit subditus Ordinario loci, & ei rationem reddere tenetur, & ab eo de mala Administratione puniri poterit. *Clem: 1. de testam.* Item in casu *c. 1. de priuileg: in 6.*

8. Quan-

8. Quando Ordinarius esset in possessione Regulares iudicandi: nam tunc videtur per non vsum renunciâsse priuilegio. *Host: in sum: de priuileg: vers: qualiter amittatur.* & *i enriquez. Brich: in d. c. ad abolendam. in fin:* qui alios enumerat casus.

9. Regularis, deiectus ab Ordine suo, debet statim se præsentare Episcopo, & efficitur de illius iurisdictione. Doctores in *c. fin: de Regul. Nauar: in cons: 76. & cons: 79. sub: tit: de Regular.*

10. Regulares cogere potest Episcopus ad restituendum, omnia, quæ à Nouitio habuerunt, vbi professionem non fecit. *Conc: Trid: sess: 25. de Reg. c 16.* Item, si egrediatur ob infirmam valetudinem, & moriatur ante Professionem: nam & hic abijsse ante Professionem dicitur, & ideò Monasterij facta non sunt bona Nouitij. Ita *Nauar: in cons: fin: de success: ab intest:* & in *Comment: 2. de Reg: n. 49. cum seqq.* Quando verò aliqua bona debeantur, si ante Professionem in Monasterio moriatur, *infra dicemus.*

11. Regulares, quorum Religio extincta est, vel alia ratione à Regularium Iurisdictione liberi sunt, Episcopo subijciuntur. *c. 1. de Relig: domib: lib: 6.* & Religiosis huiusmodi nō permittitur ampliùs in suis Monasterijs, secundum suam Regulam viuere; obedire debent suo Episcopo, & in suam obedientiam transeunt; qui Episcopus, erit Episcopus originis, vt id pluribus asseruit *Nauar: in Comment: 2. de Regul: n. 34.* Eiecti etiam de Monasterio subiecti sunt Episcopo originis, & idcircò se ei offerre debent, vt præcipiatur ab eo, qua in re velit se occupatos habere, & huiusmodi eiecti Regularium habitum gerere non debent, sed Clericalem: non enim Regularem gerere possunt, cum ipso priuati sint, nam nec cogi possunt, redire ad eum locum, vnde sunt eiecti. ità *Nauar: eod: num: 33. vers: secunda. cum tribus seq.*

Item, si assumptus Regularis sit ad dignitatem secularē, vt ad Episcopatum, ac deinceps ab ea dignitate se abdicauit,

 ratione

rationeuè aliâ priuatus sit, cum semel à Regula absolutus fuerit, in potestatem atque iurisdictionem Episcopi incidet. ita *Feder: de Sen: in cons: 5. n. 2. vers: secundum hoc. & cons: 19. n. 4. & in cons: 38. & Tusch: in litera M. concl: 325. & concl: 328.* quod idem ait de Monacho professo expulso, si non recipiatur ab aliqua Regula, seu Religione.

12. In reconuentione, in causis ciuilibus; quia ratione recõuentionis iudex incompetens, efficitur competens. *c. 1. & 2. de mut: petit: Auth: & consequenter. C. quomodo, & quando Iudex.* Doctores in *c. si Clerici. de Iud:* vbi *Felin: n. 8. Afflict. decis: 173. Traneus decis: 193.* & ita cõmuniter practicatur sine aliqua cõtradictione. *Farin: tit: de Inq. q. 8. lim: 8. n. 99.* vbi hanc dicit communem opinionem; quia illud procedit ex naturâ causæ, & non ex naturâ personæ, vt docet *Bal. in Auth: habita. C. ne filius pro patre: n. 23.*

13. Vt debitus honor Matrici Ecc: reddatur, tam Regulares, quàm Clerici seculares, etiam super hoc Apost: Sedis priuilegio muniti, die Sabbati maioris Hebdomadæ, antequàm campana Cath: vel maioris Eccl: pulsetur, campanas in Ecclesijs suis pulsare minimè possunt. Contrafacientes autem, pœnam centum ducatorum incurrunt, vt in Bull: Leon: X. in *Bull: cap: 17. post med: vers: & vt debitus.* & ita fuit etiam à Sacra Congreg: Card: decisum, sub die x. Octobris 1586. vt refert: *Thes: for: Eccl: par: 1. de verbi Dei prædicat: num: 21.*

14. Et in pluribus alijs casibus, quorum viginti quatuor recenset *Socin: sen: in cit: c. recepimus. de priuileg: & in c. ad abolendam, in fine. de hæret: & in c. cum capella. & in c. ex ore. de priuileg: & in c. cum inter: de consuet: & in c. nulli. de senten: excommun: & in c. 1. de stat: Monach: in 6. & in c. 1. de præbend: eod: in 6. & c. auctoritate. de priuil: eod: l & in c. veniens. de præscrip: & Cl: 1. de sepult: & in Cl: 2. eod: & in Cl: 2. de stat: Mon: & in Cl: 2. de Relig: domi: & Cl: 1. de iur: patron: & Clem: fin: eod: & Clem: fin: de*

fin: de pœnis. & Clem: 1. de sentent: excommun. In huiusmodi casibus igitur, in exemptos, vel Regulares, iurisdictionem Episcopus habet.

QVÆSTIO VI.

In quibus casibus Episcopus posit excommunicare Regulares?

REgula est, quòd excommunicatio lata ab Ordinarijs contra subditos suos, non ligat Religiosos: & est ratio, nam non subsunt eorum Iurisdictioni. *c. à nobis. il primo. de sent: excom. Flor: Theol: in 4. sent: tract: de excom: 1. diffic: art. 1. concl: 1. c. Romana. de sent: excom: lib: 6. c. 1. §. in eos. de priuil: lib: 6.* Fallit primò in prædicantibus sine licentiâ Ordinarij, vel Sedis Apost: *c. excommunicamus. §§ quia verò. de hæret:* Conc: Trid: *sess: 5. c. 2. in fin: de refor: glos: in c. 1. in vers: Priuilegia. de stat: Monach. Castr: l. 3. c. 3 iux: fin: de iust: hæret: punit: Pegna super Com: sup: c. 13. in par: 2. diret: inquis:* Bulla Leon: X. quæ est 15. *fol: 205.* Secundò fallit, quando nollent ire ad processiones indictas ab Episcopo, *sess: 25. c. 13. de Regular:* & fertur Sacram Congreg: declarâsse, Regulares non accedentes ad processiones indictas ab Episcopo, posse ab eo puniri per censuras, & pœnas arbitrarias, & alia iuris remedia. Tertiò fallit, quando ascultarent Confessiones secularium, etiam Sacerdotum, sine licentia Ordinarij, *sess: 23. c. 15. de reform. Clem: dudum. §. ac deinde. de sepult.* Quartò fallit, quando absoluerent pœnitentes, quos audiunt in Confessionibus, à casibus reseruatis ipsi Ordinario. *Conc: Trid: sess: 14. c. 7. casuum reseruat.* Ratio est, nam Mare magnum, est abrogatum in omnibus, in quibus contradicit Decretis Sacri Conc: Trid. prout in Bulla Pij IV. sub dat: Romæ, Kal: Martij, 1565. Pontif: Anno 6. & ita pluries fuit declaratum per Sac: Congreg: *Dixi à casibus reseruatis Ordinario,* quia si excommunicatos, vel à Canone, vel

à ſententijs per ſtatuta Synodalia poſitis, abſoluere præſumpſerint, incidere in Papalem excommunicationem. *Clem: 1. de priuileg:* ſi verò caſibus in Bulla cœnæ Domini eſſent excommunicati ipſo iure, Epiſcopali excommunicationε prout dicit *Nauar: cap. 27. n. 74.* & hodie per Bullam Cœnæ Domini fel: rec: Sixti V. & Sanctiſſ: D. N. Vrbani VIII. eſt Papalis excommunicatio; & in iſtis caſibus, non eſſet opus vt excommunicarentur; ſed vt declararētur tales. Quintò fallit, quando non obſeruarent, nec publicarent, cenſuras Eccleſiaſt: ne dum à S. Sede Apoſt: emanatas, ſed ab Ordinarijs, mandante Epiſcopo. Conc: Trid: *ſeſſ: 25. cap: 12. de Regul. cap: cum & plantari. §. excommunicatus. de priuileg. cap: Epiſcoporum. eod: tit: lib. 6. c. is qui. §. tres verò. de ſent: excom: eod: tit. Abb: in Clem: 1. de ſent: excom. n. 13.* Sextò fallit, quando non obſeruarent dies feſtos, quos in ſua Diœceſi ſeruandos præceperat Epiſcopus. *Conc: Trid: eod: loc: c. de ijs. 12. diſt.* Septimò fallit, cùm ipſi Regulares degunt extra Clauſtra, & delinquunt. *ſeſſ: 6. c. 3. de refor.* Bulla Clem: 7. 43. quæ incipit. *Sedis Apoſt:* contra quoſdam Regulares vagantes extra Clauſtra. Octauò, quando ipſi Regulares mitterentur ad regendas Eccleſias ſuorum Monaſteriorum, ſubditas locorum Ordinarijs *c. 1. §. in eos. verſ: niſi forſan. de priuileg: lib: 6.* hoc etiam notatur à Sac: Conc: *ſeſſ: 7. c. 14. de reform.* Nonò fallit, quando Regulares haberent curam animarum in Eccleſijs curatis Monaſteriorum, ſeu Domorum, tàm virorum, quàm mulierum, quoad curam animarum *ſeſſ: 15. c. 2. de reform:* (quibuſdam exceptis) *de quibus ibi.* Decimò, quando Regulares commorarentur in Abbatijs, Prioratibus, Præpoſituris; & in beneficij s ſiue Curatis, ſiue non, vbi non viget regularis obſeruantia. *ſeſſ: 21. c. 8. de refor.* Vndecimò, quando Regulares degentes intra, & extra Clauſtra, & extra ea ita notoriè deliquerint, vt ſint ſcandalo populo. *ſeſſ: 25. c. 14. de Regular.* ſeruato tamen ordine, de quo ibi vide *Nauar: in c. non dicatis, num. 63.* Duodecimò, ſi Regulares

præſum-

præsumpserint administrare Clericis, vel laicis Sacramen-
tum extremæ vnctionis, vel Eucharistiæ, vel Matrimonij, sine
licentiâ Parochi. *Clem: 1. de priuileg glos: ibi, in 4. notab: iuxta
notata per Nauar: c.27. n.101. Caiet: in sum: verb. excommunicatio.
cap. 64. Gom: in c. 2. n. 50. notab: 3. de constit: lib: 6. Card. in d. Clem:
Sylu: in verb: excommunicatio. 7. excom: 14. §. 7. & Nauar: c. 21. n.
51.* excusarentur tamen illi Religiosi, qui in casu necessitatis,
(puta longè absente Parocho) bona fide cõtulerint præfatum
Sacramentum: quia in tali casu non est præsumptuosè mi-
nistrare. *Caiet: vbi supra. & Nauar: quid. Clem:* ita explicat in
Manual: Confess: c. 27. n. 120. Sot: de iust: & iure dist: 23 art. 1. q. 1.
licet *Tolet*: Contrarium sentire videatur, in sua *sum: de extr:
vnct*: & nos huiusmodi quæst: infra ad partem tractabimus.
Decimo tertio, quando proceditur in casibus Religionis, vel
Sanctæ Inquisitionis: nam in his casibus Regulares sunt sub-
iecti locorum Ordinarijs. *cap. ad abolendam. de hæret: gloss. in
Clem: vnic: in vers: à iure. de excessib: Prælat*: & Bulla fel: rec:
Paul: V. quæ incipit *Romanus Pontifex. vt in Bullar: fol. 210.*
Decimo quarto, in casibus Clem: cupientes egredi moniales
à Monasterijs, etiam ipsis Regularibus subiectis, sine licentiâ
Ordinarij, & non seruantes clausuram dictorum Monasterio-
rum Monialium, possunt per censuras, & alia iuris remedia
ab Ordinarijs puniri. Similiter si susceperint moniales ad ha-
bitum, vel ad professionem, inscio Ordinario, in suis Mona-
sterijs, possunt tàm ipsi Regulares, quàm Abbatissæ, & aliæ
Præfectæ dictorum Monasteriorum, puniri per censuras Ec-
clesiasticas, & alia iuris remedia à Locorum Ordinarijs vi-
gore Conc: Trid: *Sess: 25. c. 5. de Reg.* Decimo sexto: Quando
publicarent indulgentias sine Otdinarij licentiâ, quas à Sum-
mo Pontifice impetrarent. *Sess: 6. c. 3 de reform: & sess: 24. c. 11.
de refor.* Decimo septimo, quando exempti admitterentur ad
diuina officia, vel sepelirent excommunicatos ab ipso Episco-
po. *Anchar: in c. Episcopi. n. 3. de priuileg: lib. 6. Abb: in c. sacris. num:*

7. de

7. de sepult. Decimo octauo. quando essent exequutores vlt: voluntatis, vel piorum legatorum. *Clem: vnic: de test:* & ibi *gloss: & Abb.* Decimo nono fallit in actu reconuentionis; quia tunc Regulares subsunt eius iudicio in quo reconueniunt, *gloss: in c. 2. de mutuis petit: & in c. at si Clerici. in vers: non tenetur. de Iudic.* nec Clericus, siue Regularis, siue secularis, potest hoc iudicium tergiuersari. *pract: Maran: par: 4. dist. 6. n. 53.* etiamsi reconuentio fiat in foro seculari; & excommuciatio fieret in foro Ecclesiastico. *Hostien: in summa, tit. de statu Monach: §. de visitatione. n. 8. & 9.* quia tunc subessent huic censuræ, & sic vidi practicari Neap: Hostien: vbi suprà, dicit, quòd ratione delicti, & contractûs Religiosi subsunt Episcopis.

QVÆSTIO VII.

An Episcopus possit declarare excommunicatos à iure, vel Apost: Constit: Regulares exemptos, qui habent priuilegium, vt excommunicari, suspendi, & interdici non possint?

RESP: Quòd pro sententia negatiua facit. Primò, quia Regulares sunt exempti de iure ob Ordinariorum iurisdictione, *c. 1. de Capel: Monach:* Concessio est enim per verba generalissima ab omni Iurisdictione, dominio, & potestate Episcopi, & quorumlibet aliorum Ordinariorum, perpetuò, & totaliter eximendo. Et exemptionis generalis, verba geminata, tantum operantur, quantum singulis rebus, & casibus, vt probant benè *Seuillian: in cons: 66. n. 13. & seq:* & dicit Rota in vna Brundusiana exemptionis coram R. P. D. Bubalo 9. Februarij, 1579. quòd verba generalia exemptionis, taliter liberant exemptum ab vtraque lege Diœcesiani, & Iurisdictionali Ordinariorum, quòd nihil penes eos remanet; & quòd verba generalia habent vim specialis expressionis, vbi specialis, & indi-

indiuidua requiritur mentio, & comprehendit omnia, quæ excogitari possunt. *Crauet: in cons: 294. n. 1. & 5.* vbi latè post alios, quos allegat, & quòd in hoc casu aderant verba. *l. generalia, & geminata.* probatur, nam dictio (omnis) est vniuersalis, & nihil excludit. *l. 1. ff. mandati. l. Iulianus. ff. de leg: 3. l. omnes.* & ibi *Dec: ff. si cert: petat. Riminald: iun: in cons: 786. n. 31.* Item dictio (totaliter) est vniuersalissima, nihil excludens, *Soc: in cons: 226. ℣. 2. etiam. volum: 2.* & ita verba generalia geminata, omnem casum includunt, tanquam si expressio esset facta in singulis capitibus. Contraria opinio verior est, ex his, quæ latè tradiderunt *Card: in Clem: 1. de priuileg. D. in c. si Papa. dist: 40. Imola in Clem: 1. de sequestr: possess. Felin: latè in cap: non potest. de sentent: & re iudic: num: 3. Gambar: de potestate Legati à latere. lib: 8. cap: de potestate Legati, in Regulares exemptos. Henriquez in sum: de Indulg. c. 25. §. 7.* probatur in *dist: Clem: 1. de priuileg:* facit. quia declaratio nihil noui inducit. *l. hæredes, palam. ff. de testam.* & dicit *Felin: vbi suprà,* quòd hac de causa potest Episcopus eos citare ad dicendum causam, quare non debeant declarari excommunicati. Nam permissa declaratione, censetur permissa citatio, quæ est necessaria ad declarationem. iuxta *Gloss: in Clem: 2. de censibus.* vel potest Episcopo constare per informationem extraiudicialem. Idem tenet *Abb: in d. Clem: 1.* qui licet dubitet de citatione, per quam videtur induci violatio exemptionis: respondet *Felin:* quòd dicta citatio erit similis illi, quæ habet clausulam, si sua putauerit interesse; quæ non arctat nolentem comparere, & potest fieri in non subditum.

QVÆSTIO VIII.

An citatio personalis, requiratur in sententia declaratoriâ excommunicationis?

RESP: Quòd Innocentius, communiter receptus, in *c. fin. de eo qui mittit: in possession* dicit, quòd ad excommunicandum aliquem, requiritur citatio personalis: quod limitat in aliquibus casibus *Felin: in c. cùm sit Romana. de appell.* Vt, si excommunicandus dolo latitet, vel subterfugiat citationem personalem, vel absentia sit malitiosa, vel citatio facta ad domum, peruenit ad notitiam excommunicandi, vel quando quis fuit malè absolutus ab excommunicatione, & tractatur de eo reducendo in eam, vt latè per *Felin:* quem sequitur *Couar: in c. alma mater: 1. par: §. de sentent: excom: in 6.* Sed do tibi aliam notabilem limitationem, vt non requiratur citatio personalis, quando non sumus in excommunicatione, sed in sententia declaratoria excommunicationis. ità singulariter *Rom: cons: 482. & ibi Mandos:* quia declaratio excomminicationis non inducit nouum titulum. *cap: Pastoralis. §. verum. de appell:* & Regula est, quòd declaratio nihil noui tribuit. *l. hæredes palam. ff. de testam.* sequitur Dec: *in d. §. verum notabili.* Tertiò facit, quòd generaliter in simplici declaratione non requiritur solemnitas, quæ adhibetur, quando actus de nouo conficitur: vt pluribus exemplis probat *Bald: in d. c. hæredes palam,* & alij relati per *Dec: loc: cit: idem Soc: inter cons: Curt: sen: 20. sæpe num: post n. 16.* quòd non requiratur citatio personalis in declaratoria excommunicationis; idem *Dec: in Auth: cassa & irrita. C. de Sacro san: Eccl:*

QVÆSTIO IX.

An excommunicatio, vel excommunicationis denunciatio, possit fieri die feriata?

RESP: Quòd sic; in honorem DEI, secundum *Feder: de Senis, cons: 11. & Franc: Marc: decis: Delph: 690.* pariter denunciatio excommunicationis potest fieri die feriata in honorem DEI, *Dom: & Franc: in c. felicis, de pœn: in 6.*

QVÆ-

QVÆSTIO X.

Quam pœnam incurrat Episcopus, sine maturitate, & male excommunicans Regularem: & an pro re leui poßit ferri excommunicatio?

RESP: Sciendum esse, quòd quamuis Ecclesia voluerit, sententiam excommunicationis, etiam iniustam, esse timendam, vt homo cresceret per obedientiæ meritum, parendo iniustæ sententiæ: vel eâ ratione, vt clauis Ecclesiæ in maiori reuerentia habeatur, dum timent fideles etiam iniustas sententias; vt tradit *Archid: in c. quid ergo. 11. q. 3.* Nihilominùs non debent Iudices, sententiam excommunicationis sine maturitate proferre; aliâs vltra condemnationem, ad damna, & expensas, & suspensionem, sunt grauiter puniendi, vt pœna docente, discant, quàm graue sit, sententias excommunicationum sine maturitate proferre. Vt dicit notabiliter *tex: in c. 1. in fin: de sent: excom: in 6. facit c. Sacro. ext: eod.* Quinimo excommunicans iniustè, Sacrilegium comittit, *can: non in perpetuum. 24. q. 3.* quod crimen est depositione dignum. *c. Apostolus. 81. dist:* & rationem reddit *Archid: in d. c. in perpetuum.* quod committit sacrilegium, quia violat Sacrum, id est corpus Ecclesiæ, à quo euellit membrum suum iniustè, & contra Deum. *11. q. 3. si Episcopus. & c. Episcopi. & c. temerarium.* Item tenetur actione iniuriarum. *gl: in d. c. non in perpetuum, per d. c. temerarium. Bar: Veronens: cons: 7.* vbi defendit quemdam Vicarium ab actione iniuriarum, eo quòd absque dolo declarauerat excommunicatum in sua Diœcesi quendam, qui verè non fuerat alibi excommunicatus, sed aderat tantùm fama de excommunicatione. An verò possit ferri sententia excōmunicationis pro contumacia in re leui, *gl: in c. duo sunt: 96. dist:* dicit quòd pro contumacia, quæ ex parua re insurgit,

potest quis excommunicari. In contrarium facit *tex: in c. nullus. 11. q. 5.* vbi pro leuibus culpis excommunicatio fieri non debet. *Abb: c. 1. de iudicijs.* distinguit, quòd aut contumacia consistit in nõ comparendo, & tunc non debet infligi. Quare, excommunicatio contrà eos, qui furtum fecerint, non includit eos, qui non peccauerunt mortaliter, nec ferri debet pro satisfactione in re leui; sed qui non comparet in Iudicio, contemnit Iudicem; & quantò magis fuit vocatus pro re leui, & effectus contumax: tantò magis videtur contemnere, imò peccat dupliciter. Et quamuis Aret: impugnet hanc Abbatis opinionem, verior est Abb: opinio, quam latè defendit *Dec: in d. c. 1. de Iud.*

QVÆSTIO XI.

An Religiosus, vel aliquis alius, excommunicatus qui satisfecit, teneatur præstare cautionem idoneam de parendo in futurum mandatis Ecclesiæ, vel sufficiat iuratoria?

RESP: Quòd dicendum est, quòd regulariter sufficit iuratoria cautio. *cap. cùm desideres. vbi gl: in verb: ad cautelam. & in verb: nisi formam, & ibi. Abb: de sent: excom: cap. ex tenore. c. de cætero. eodem tit. & c. quæstione. de appell.* Nihilominùs requiritur aliqua cautio idonea. Primò si satisfactio excommunicati habet tractum successiuum, & longum, & futurum tempus respicit, puta Ecclesiam, vel capellam ædificare, ire ad terram sanctam, vel similia, tunc requiritur cautio idonea de adimplendo. *Abb: in d. cap. quæstione. n. 9. per illum tex: de appell: & in c. fin: de sepult: per tex: in cap. significauit. de off: ord.* Secundò requiritur cautio idonea, quando adest suspicio, ne quis iterum in crimen relabatur. *Franch: in cap. quia fronte. num. 20. de appell:*

de appell. Abb: in d. c. quæstione, n. 11. Card: in Clem: 1. q. 17. de sent: excommunicationis. Tertiò, quando res de sui natura requirit cautionem idoneam in futurum. *l. harum. l egi, vbi DD. ff. si seruitus vindicetur. Bart: in l. si priùs. ff. de oper: nou:* Nunc quamuis aliqui teneant, nec in possessorio retinendæ, requiri idoneam cautionem, quos recenset *Menoch: de retinenda. remed: 3. n. 812. & 816.* vel potest poni exemplum in genere, in casibus, in quibus à lege requiritur idonea cautio in futurum: his cessantibus sufficit iuratoria cautio, vt latè probat *Bursat: cons: 405. vol: 4.* vbi defendit quendam Abbatem, qui fuerat excommunicatus ab Episcopo, ob prætensam exemptionem à iurisdictione Episcopi, qui tandem paruit; & concludit non esse obligatum in futurum præstare idoneam cautionem, tantò minùs non tenetur Regularis, qui nec actu satisfacere, nec pignora, nec fideiussores dare potest ob paupertatem, quam ex voto profitetur. *Couar: in c. Alma mater. c. 11. n. 15. & Butr: in c. 1. n. 15. de iud: per c. Venerabilibus. de sent: excom: in 6.*

QVÆSTIO XII.

An Episcopus, declarare possit aliquem Regularem esse excommunicatum, post interpositam appellationem?

R*Esp:* Excommunicationis sententiam non suspendi per appellationem: vt tradit Pontifex, *in c. Pastoralis. §. verum. de appell. ita Doctores in c. Is cui. §. sanè. de sentent: excom: Bellamera dec: 313. Capella Tholos: dec: 298.* quam Regulam cum sex declarationibus tradit *Alex: Trentacinq: lib: 2. variarum resol: resolut: 5. Prosper: Farin: in quæstionib: crim: limit: 5. n. 178.* pro qua sent: expendo bonum textum in *c. per tuas. de sententia excom: & d. c. Is cui. eodem tit: lib: 6.* vbi appellatio non suspendit executionem censurarum & erit reus excom: appellatione pendente. Et est ratio, quia sententiæ censurarum sunt medi-

cinales, & veniunt principaliter ad corrigendum; & sic ne prætextu friuolæ appellationis impediatur correctio, *vt tradit Abb: in c. sæpè. n. 15. de appell:* & alias 12. rationes tradit *Abb: in d. c. Pastoralis. §. verum. n. 7.* quare licet appellet excommunicatus, potest denunciari, *vt in d. c. Pastoralis.* & tradit *Lancell: de attent: 2. q. c. 12. limit: 21.* quem sequitur *Sigism: sen: in tract: de appell: q. 18. limit: 22. n. 1. & 4.* Quam conclusionem limitabis, si sententia fuerit conditionalis, vel temporalis, vt si illud non fiat intra tale tempus, sit excommunicatus: quia in hoc casu, si à tali excommunicatione appelletur, suspenditur ipso iure effectus excommunicationis, & nec erit excommunicatus, nec potest denunciari transacto tempore, vt declarat *Lancell: vbi sup: limit: 22. n. 30.* Vbi posuit plures declarationes.

QVÆSTIO XIII.

An sententia declaratoria excommunicationis incursæ, poßit suspendi ad tempus?

RESP: Quòd licet primâ facie videatur dicendum quòd non; ex eo, quòd excommunicatio cùm sit legitimus actus, non recipit, neque diem, neque conditionem, *argumento tex: in l. actus legitimus. ff. de Regul: iuris. & cap: actus legitimus. eodem tit. in 6.* Cæterum contrarium seruatur ex doctrina *Imol: & Franch: in c. dilecti filij. de appellat.*

QVÆSTIO XIV.

An poßit Episcopus absoluere Regularem excommunicatum appellantem, pendente lite cum reincidentia?

RESP: Affirmatiuè *Couar: in c. Alma Mater. de sent: excom: §. 11. à num: 6. vbi dicit,* quòd licet excommunicatio verè non pos-

non possit suspendi, tamen nihil impedit, quin ab ea detur absolutio ad certum actum, vel tempus; quo finito, ille reincidit in eandem excommunicationem, vt priùs, & dicitur absolutio cum reincidentia, *facit c. veniens. il 2. in fin: de test: & cap: de cætero. & ibi Abb: n. 2. de sent: excom:* ratio est, quia absolutio ab excommunicatione non est Sacramentalis, nec pertinet ad Ordinem, sed ad Iurisdictionem. *Innoc: in c. tanta, n. 3. de excess: Prælat: idem loc: cit: n. 10. Syluest: in verbo absolutio. 1. n. 2. Nauar: c. 27. n. 41.* & hoc, vel quando pendente causæ cognitione, esset magnum festum, & ille vellet viuere more Christianorum & fidelium, vel quærere testes, vel scripturas pro sui defensione, *facit, c. 2. in 2. resp: de sent: excom: lib: 6.* & sic vidi practicari.

QVÆSTIO XV.

Si Regularis excommunicatus absoluatur cum reincidentia, an elapso tempore requiratur declaratoria?

RESP: Quòd verior opinio est, non esse necessariam declaratoriam, sed ipso iure reincidere: quæ opinio fundatur in doctrina *Hostien. in c. veniens. il 2. de testibus*, quem sequitur *Butr: & Sicul:* qui vult esse de consuetudine Curiæ, quòd, quãdo quis absoluitur ab excommunicatione ad tempus, puta, vt testificari possit, vel quid simile, statim illis peractis reincidit in excommunicationem. Secundò, *per textum in c. eos. de sent: excom: in 6.* vbi absolutus ab excommunicatione cum reincidentia, elapso tempore, ipso iure absque sententia remanet excommunicatus. Tum tertiò, quia excommunicatio, quæ profertur his verbis, nisi satisfacerent infra tale tempus, & illo elapso, absque aliqua alia monitione eo ipso excommunicatus intelligitur. *cap. præterea il 2. de appell: c. à nobis. de sent: excom: Butr: in c. 2. de testibus cogendis.* & ex his, non obstant in contrarium adducta; quia procedunt in alijs diuersis casibus.

QVÆ-

QVÆSTIO XVI.

An Regularis, petens absolutionem ad cautelam, teneatur explicare causam nullitatis sententiæ, eamque saltem semiplenè probare?

RESP: Quòd ad obtinendam absolutionem ad cautelam, non solùm probare debet appellâsse se ante sententiam, sed etiam appellationem ex causa legitima, & vera, interpositam fuisse, quâ semiplenè saltem probatâ, tunc absolutio fiat ad cautelam, cum cautione tamen de satisfaciendo, si in processu apparebit sententiam iustam fuisse. *vt rectè Steph: Cost: in c. solet: num: 11. de sent: excom: lib: 6. annotauit*, quæ omnia & ratione confirmari possunt, quia si simpliciter nullitate propositâ censuræ, absolutio vnicuique petenti concederetur, tunc Iudex, & censura Ecclesiastica vt plurimùm illuderentur; quod fieri non debet. *c. cùm inter. de consuet. & Clem: 1. de sent: excom.* Omnes enim censuris innodati, statim sententiæ nullitatem allegarent, & proinde meritò, vt nullitatis causa, ante absolutionem saltem semiplenè probetur, statutum, vsu obtentum, & conseruatum est. *vnde Innoc: in d. c. Solet:* in iudicijs non prodesse veritatem, affirmauit: hoc est enim non prodesse. vt ità sit, nisi talis veritas probetur, *in c cum super. & c. suborta. de sent: & re iud:* quamuis secus sit in foro animæ, *vt in c. significasti. de homic. & c. tua nos. de sponsal:* Nam eo in foro absoluitur etiamsi veritatem probare quis nequeat, *ex Innoc: in d. c. solet. in verb: contradictionis, num: 3. Costa: ibid: n. 12. de sent: excommunicat: lib: 6.* & ex alijs rationibus, quas affert, *Riccius decis: Cur: Archiepisc: Neapolit: 1. parte fol: 72.*

QVÆ-

QVÆSTIO XVII.

An Regularis excommunicatus, poßit absolui per Procuratorem ab excommunicatione?

RESP: *Ex Innoc: in c. cum consideres. de sent: excom.* Quòd nō. & hoc Regulariter, quia requiritur præsentia personæ, & solemnitas; si tamen iusta causa subesset, posset per Procuratorem absolutio præstari. *argum: c. quanto. 2. q. 5. Paul: Rom: tract: de pens: cap. 8. n. 28. & 29. Caiet: in sum: in ver: Excomm: cap: 69. & Nauar: c. 29. n. 46. Sylu: verb: Absolutio. 3. n. 9. ver: quintum.* quòd non solùm per Procuratorem, sed per literas; & non solùm per literas, & Procuratorem, sed etiam in absentia, quoad forum animæ olim id licitum fuit: verùm nullo modo iam licet post Decretum Sacrosanctæ Congregationis S. Officij, tempore Clem: VIII. factum. *Zerol: in prax: Episc: par: 2. in verb: absolutio.* fol: 15.

QVÆSTIO XVIII.

Si Religiosus, habens decem censuras Ecclesiasticas, vel totidem irregularitates; facit se absoluere, vel dispensare ab octo, vel nouem solùm, & postea recordatur fuisse decem: an teneatur adire Superiorem pro absolutione, vel dispensatione reliquarum duarum?

RESP: primò, quòd si solùm se fecit absoluere ab illis octo, vel nouem signanter; tenetur adire Superiorem pro absolutione, vel dispensatione reliquarum. Dico secundò, si se fecit absoluere ab illis octo, vel nouem signanter, & alijs quibuscunque, quas fortè haberet, vel dubitaret, ad cautelam; quòd tunc non tenetur, nec adire Superiorem, neque procurare aliam absolutionem. Ratio est, quia in illa generali absolutione com-

comprehenduntur reliquæ. *Gloss: in Clement: 2. in verb: expressa. de præbend: Gomez. quæst: 2. de trien: possess: Gloss: in Clement: 2. verb: quodcunq; de vit: & honest: Cler.* cum alijs vulgatis. Vide pro materia peculiari, *Sylvest: ver: Confessio primò. §. quartò. Angelum, cap: confessio, primò. num: 14. Nauar. cons: 13. de pœn: & remiss: loc: cit: Couar: pract: quæst: cap: 25. n. 3. con. 3.*

QVÆSTIO XIX.

An Regularis, vel quiuis alius, insordescens per annum in excommunicatione, debeat priùs moneri, vt puniatur pœnis insordescentis?

Resp: Quòd sic. *per tex: in c. grauis. de pœnis.* Vbi Papa mandat moneri Comitem, qui per duos annos in excommunicatione perstiterat; vt clarè colligitur ex litera illius tex: iuncto casu posito per Abb. vbi saltem debuerat præcedere aliqua monitio post excommunicationem, & maiorem partem anni. Idem expressè videtur probari *in Conc: Trid: in c. 3. sess: 25. quod innouat. c. grauem.* dum dicit: Excommunicatus quicunque, si post legitimas monitiones non resipuerit. Vnde requirit monitiones post excommunicationem, ad resipiscendum, *iuxta d. c. grauem,* & litera videtur clara, aliàs dixisset, si post legitimas monitiones excommunicatus resipuerit. Sed Concilium requirit monitiones ad resipiscendum, & præsupponit excommunicationem fuisse legitimam. Nec mirum, id enim operantur verba Matris Ecclesiæ, dulcedine referta, *Extrauag. vnica. de sent: excom.*

QVÆSTIO XX.

Si Regularis sit excommunicatus à iure, poteſtne Episcopus mandare ipsum denunciari publicè, vt euitetur?

Resp:

RESP: Quòd sic. *Ioan. Andr. in c. 1. n. 1. de priuileg: in 6. Gemin: ibi. col: 3. verſ: quid ſi exemptus. Ioannes de Immola, in Clem: n. 17. de ſequeſtr: poſſeſſ: & Fruct.*

QVÆSTIO XXI.

An Regularis percutiens Clericum, debeat abſolui à ſuo Superiore Regulari, vel ab Epiſcopo Clerici percuſſi?

RESP. Ab Epiſcopo Clerici percuſſi. *cap: Religioſo. de ſententia excommunicationis.*

QVÆSTIO XXII.

An Laicus percutiens Religioſum, debeat abſolui ab Epiſcopo Loci Ordinario, vel à Superiore percuſſi?

RESP. Abſolutionem Laici pertinere ad ſuum Ordinarium, non autem ad Superiorem Monachi percuſſi. *Cap. Quoniam. de vita & honeſtate Clericorum.* vbi Clerici communiter viuentes, & ſub vno tecto dormientes, ab Epiſcopo abſolui poſſunt, propter iniectionem manûs in ſocium: & facit etiam textus *in cap. de Monialib. de ſententia excommunicationis.* vbi Moniales ſe ad inuicem percutientes, abſolui debent ab Epiſcopo. Neque obſtat, quod in contrarium adduci poſſit. Primò, quia cùm Iuriſdictio Superioris Regularis, ſit offenſa, potiùs videtur ad ipſum, quàm ad Ordinarium Epiſcopum abſolutionem ſpectare, reſpectu offenſæ Iuriſdictionis; quo caſu offendentes, ſubditi efficiuntur. *Triuiſ. deciſ. 8. p. 3. & Domin: de Franchis, deciſ. 147.*

Neque obſtat, quòd Monachi ſe ad inuicem percutientes, abſolui debeant ab eorum Superioribus: quia omnia ſupradicta contraria, procedunt vbi perconcuſſio contingit inter Re-

ter Regulares; non autem quando quis percussorum esset Laicus; & ita videntur procedere, textus supra allegati, vt tenet etiam *Riccius, in praxi fori Ecclesiastici, decis. 465. n. 6.*

QVÆSTIO XXIII.

An interdicto Clero, censeantur interdicti Regulares, & etiam conuersi?

R*Esp.* Quòd sic. *Frid. inc. vlt. de excess. Prælat. Couar. in c. Alma mater. 2. part. §. 1. n. 8.*

QVÆSTIO XXIV.

Regulares Iurisdictionem Spiritualem, vel temporalem, ad Episcopum spectantem, vsurpantes, quam pœnam incurrunt?

R*Esp.* In sententiam excommunicationis Bullæ Cœnæ Domini. *Nauar. conf. 3. de immunit: Eccl. Conc: Trid. sess: 22. de Reform. Zerol. in verb. bona. part. 2.*

QVÆ-

QVÆSTIO XXV.

An Religiosi, ministrantes Clericis vel laicis Sacramenta, incidant in aliquam pœnam?

REsp: Quòd si Sacramentum vnctionis Extremæ, Eucharistiæ, ministrare, vel Matrimonij solemnizare sine Parrochialis Presbyteri speciali licentiâ præsumpserint, excommunicationis sententiam incurrunt ipso facto, per Sedem Apostolicam tantum absoluendam. *Clem: 1. de priuileg.* Et ideò hæc tria specialiter Religiosis prohibentur, quia per hoc præiudicaretur Presbytero Parochiali. *Ita Matth: in d. Clem.* Animaduertendum tamen est, vt non quicunque Religiosus ministrans Sacramenta præfata, incidat in excommunicationē, sed tantùm, qui est Religionis approbatæ. *c. vlt: de Relig: & c. vnic: de voto: lib: 6. Glos: in c. periculosa. Ne cler: vel Monach.* & cum hæc sit pœna, necesse est, vt verificetur qualitas veri Religiosi, quia odia restringi, & fauores conuenit ampliari. *Regul. odia: de Reg: iur: in 6.* incidit etiam in dictam excommunicationem Religiosus nouitius. *arg: tex: in c. Religioso. de sententia excom: lib: 6.* vbi inijciens manus in nouitium, etiam non Professum, incidit in sententiam excommunicationis. *d. c. Religioso. §. 1. de sententia excom: lib: 6.* Limitatur autem vt Religiosi Ministrantes dicta Sacramenta non comprehendantur, si illa ministrauerint suis Parochianis, si sunt præfecti Ecclesijs Parochialibus: sed si ministrauerint suis non Parochianis, tunc in excommunicationem incurrunt. ita *Glos: in Clem: 1. de decimis.*

QVÆSTIO XXVI.

An Religiosis prohibitum sit, in suis Monasterijs Baptisteria habere, vel baptizare, vel pueros de baptismo suscipere, vel commatres habere?

 Resp:

RESP: prohibitum est Regularibus, in suis Monasterijs Baptisteria habere, *c. pridem. 18. q. 2.* Item Baptizare, vel pueros de Baptismo suscipere. *c. placuit communi. & c. ex authoritate. c. 16. q. 1.*

Item de Baptismate alios suscipere, vel commatres habere, *de consecr: dist: 4. c. non licet. & c. seq.* & hoc ne ex familiaritate, procurante Diabolo, incontinentiæ lapsus sequatur: quod etiam extende ad omnes Religiosos, & Canonicos Regulares. *de postul: c. ex parte. Sum: Pisan: in verb: impedimentũ.* Fallit tamen in tribus casibus: & Primus, si Populum habeant. *Glos: in d. c. Placuit. Arch. in c. doctos. 16. q. 1. not: 18. q. 2. c. peruenit. 1.* Secundus, si essent facti Episcopi, aut Cardinales, aut absoluti sint à iugo Monasticæ Regulæ. *ita not: in c. vnic: 18. q. 1. Zabar: in Clem: 2. q. 3. de censi: sicut de B. Gregorio legitur.* Tertius, quando accederet licentia Episcopi *per not: per Spec: de disp: §. nunc de Episcoporum. vers: 15. & in c. quod Dei. de stat: Monacho.* vel possit de speciali Presbyteri Parochialis licentiâ, quod secus esset, si daret licentiam Generalem Baptizandi, quia tunc videretur Presbyter committere illi omnem curam, & ita se exonerare, cùm tamen debeat per se exercere: probatur in *c. extirpandæ. §. qui verò. de præb:* ita videtur dicere, *Zabar: in Clem: vnic: de priuil: q. 23.* Quòd autem dixi de Religioso, intellige de licentia Abbatis. *arg: 16. q. 1. c. placuit. de postul: c. 2. de elect: c. quorundam. Zabar: vbi sup: q. 21.* vbi dicit, quòd potest Presbyter Parochialis ad tempus assumere sibi Religiosum, de licentia Abbatis, in suum adiutorium; puta in Quadragesima, pro audienda Confessione, vel administranda Eucharistia absque licentia Superioris. Idem tenet in *Clem: 2. vnic: q. 14. de Offic. Vicar.* Intellige, si Religiosus sit approbatus priùs ab Ordinario.

QVÆSTIO XXVII.

An Abbas, vsum mitræ, annulorum, & baculi, ex priuilegio habens, poßit illis extra Monasterium vti?

Resp: Quòd tenor priuilegij est inspiciendus. *c. Vt Apostolicæ. de priuileg: lib: 6.* Quòd si ex priuilegio solùm competat infra septa Monasterij, non potest extra vti. *Io: Andr: in c. cum contingat. de stat: & qualit:* & si habet ius Pontificalium in suo Monasterio, inuitatus ad aliud Monasterium exemptum, potest vti; aliâs secus.

QVÆSTIO XXVIII.

An Abbates, & Superiores Regularium, poßint benedicere vestes Sacerdotales, Calices, Patenas, & Cruces?

Resp: Quod hæc nullo modo de iure communi concedantur, nisi ex priuilegio Pontificio. *Vt not: Doctor: & Card: in Clem: 2. §. statuimus. de statu Monach.*

QVÆSTIO XXIX.

An facultas extrahendi confugientes ad Ecclesiam, competat etiam Superioribus Regularibus, iura Episcopalia habentibus, in locis sibi subditis?

Resp: Negatiuè, ex Bulla Gregorij XIV. per quam cognitio super remissione delinquentis confugientis ad Ecclesiam, in Curiam secularem est remissa Episcopis; & non alijs Episcopis inferioribus, etiamsi Ordinarij essent, aut nullius Diœcesis, aut conseruatores à Sede Apostolica specialiter, vel generaliter deputati essent, si casus occurret in loco exempto, tunc cognitio deuoluitur ad Episcopum viciniorem, & non ad alios. *Ambros: in tractat: de Immunit: Eccl: c. 11. n. 1. Farin:*

rin: conſ: 76. in punt: latè Card: Tuſch: tom. 2. concl: 11. n. 9. vbi ſubdit quòd Miniſtri Laici non excuſantur ſub prætextu ignorantiæ, vel quòd Bulla non fuerit vſu recepta. *& num: 10. in fin: & idem dicit in præcedenti concl: 10. n. 1.* Imò etiamſi notoriè conſtaret, confugientem ad Eccleſiam commiſiſſe delictum exceptum in dicta Bulla, adhuc ſit ſeruanda forma Bullæ præfatæ: prout in Curia Arch: Neap: fuiſſe reſolutum *teſtatur Praxis Arch: Neap: c. 18. n. 5.* vbi ſubdit quòd ſi Epiſcopus deneget licentiam extrahendi, poſſit Curia ſecularis delinquentem extrahere, & ducere ad carceres Epiſcopi, vt ab eo cognoſcatur ſi delicta ab eo commiſſa ſint comprehenſa in dicta Bulla: & ſic quàmuis aliunde appareat de delicto, ſit ſeruanda forma dictæ Bullæ. *Borgn: in repert: in 1. part: deciſ: in verbo, Iudex Eccleſiaſticus. n. 16.* nec ſufficit, vt licentia extrahēdi concedatur à Vicario Epiſcopi. *latè Marc: Ant: Mac: lib. 3. reſolut: 15. n. 4. & ſeq.* niſi extaret conſuetudo in contrarium, prout Papiæ viget, quia extrahentes excuſarentur; imò non poterunt Iudices ſeculares confugientes ad Eccleſiam extrahere, ſine interuentu perſonæ Eccleſiaſticæ: vt apertè habetur in dicta Bulla Gregorij XIV. & idcircò ceſſat omnis alia opinio Doctorum, contrarium aſſerentium. nam in dicta Bulla præſcripta eſt certa forma, quæ violari non poteſt.

QVÆSTIO XXX.

An Regulares, vel alij impedientes Epiſcopos vti ſuis inſignijs, quæ ſibi de iure, vel de conſuetudine, debentur, poſsint cenſuris affici?

RESP: Quòd affirmatiuè eſt deciſum, *in c. ſi quis. diſt: 94.* quia non exhibent debitum honorem illis, in quorum honore honoratur Eccleſia; cui Epiſcopi non debent renunciare. & quòd poſſint excōmunicari probatur, quia ſemper

censuræ relaxantur, ex causa ardua. *Conc: Trid: sess: 25. c. 3.* & quæstio honoris dicitur causa ardua, *per tex: in l. inimicitia. in fin: ff. de his qui vt indigni.* & honor, & honestas in tanto pretio habendi sunt, vt pari passu cum vita ambulent. *l. iusta. ff. de manumiss: vindict.* & interesse honoris est maior omni alio honore. *Chassan: de glor: mundi. parte 1. considerat: 2.* Tantò magis, quia de iure Ciuili, qui non præstat honorem, puniendus est, prout est casus. *in l. singuli. & in l. sciant. C. de offic: diuers: Iudic: & in l. 1. C. de domestic: & potest. l. 12.* Pœna Sacrilegij similis erit, si his honorificentia non deferatur. Ergo si non præstatur sibi debitus honor, potest censuras relaxare; quia tunc non est Iudex, sed Iuris exequutor fore censetur. *Innoc: in c. ex parte. de verb: signif: & in c. nosti. de elect: gloss: in c. Romana. de pœnis. lib. 6. latè Gundissal. Villadieg. in q. 7. n. 37.*

QVÆSTIO XXXI.

An Clerus, tàm Secularis quàm Regularis, teneatur processionaliter obuiam ire Episcopo ingredienti Ciuitatem, vel Diœcesim; & quid si Episcopus alicui Ecclesiæ exemptionem concedat, quæ tamen priùs ire solita erat, concessio huiusmodi valida sit?

R*Esp*: Affirmatiuè, & nemo est, qui contrarium affirmare possit ex vniuersali consuetudine Ecclesiæ. vnde dicit *Felin: in c. cùm non liceat. circa principium. de præscriptionibus.* quòd licet Episcopus alicui Ecclesiæ exemptionem concedat, vt illi obuiam processionaliter non eat, quæ tamen priùs ire solita erat, concessionem huiusmodi, in præiudicium Ecclesiæ, non esse validam, *per tex. in l. fin. c. de bonis libert. Vbi ad hoc Bald. & notatur ibi in verb. reuerentia.* Quoniam neque gratis, neque per pactum, huiusmodi reuerentialis honor remitti potest.

 l. alia

l. alia §. eleganter. vbi hoc notat, *Angel. ff. solut. matrim.* cum sit contra naturale vinculum. *l. venia, c. de in ius, vocan. c. constitutus, de Religios: domib:* Quia honestas, & reuerentia collocatur inter iuris præcepta. *Crauett: de Antiquit. part. 4. n. 120.*

QVÆSTIO XXXII.

An Episcopus præcedere debeat Prælatum Religionis exemptũ in Monasterio exempto in Diœcesi Episcopo existente?

RESP: Sic. ita *Felin: in c. cum liceat, de præscript. n. 2.* quia (ait) Ius reuerentiæ nunquam tollitur per exemptionem; ideò Episcopus præcedet in loco exempto, qui tamen esset in sua Diœcesi, non obstante exemptione; & præcedere debet Episcopus Prælatum exemptum, etiam in suo Monasterio exempto in Diœcesi ipsius Episcopi. Hoc ipsum confirmat *Baldus in l. fin: c. de bonis quæ liberis.* Ecclesia (inquit) exempta, siue liberata, tenetur nihilominùs exhibere reuerentiam Episcopo, & ire obuiam personaliter, more aliorum: quia Episcopus, attento iure in eius territorio, Regularium curam & disciplinam habebat. *c. Monasterium 18. q. 2. c. cùm venerabilis. de except.* Tum etiam, quia regimen omnium animarum suæ Diœc. sustinet, & inde dicitur, caput totum, vt notant DD. *in c cùm non liceat. de præsump:* & idem *Felin: loc: cit.* dicit quòd Clerici inferiores debent reuerentiam Capitulo, sicut Episcopo; quia dignitates sunt communes inter Episcopum & Capitulum.

Item quòd Capitulum Ecclesiæ maioris debet præcedere Prælatum Ecclesiæ inferioris Collegiatæ, etiam quando Capitulum inuitatur ad funus corporis, quòd debet deferri per illius Parochiam.

QVÆSTIO XXXIII.

An Re-

An Regulares, Ecclesiam iniustè ac notoriè possidentes, possint ab Episcopo spoliari de facto absque citatione?

RESP: Quòd licet regula sit, quòd nemo priuandus est possessione suâ, etiamsi sit prædo, nisi primò citetur, & interueniat causæ cognitio. *l. fin. C. si per vim vel alio. in d. cap. licet Episcopus. de præbend. in 6. & ibi gl. Bald. in l. 2. c. vbi in rem actio. Rom: in l. iustè possidet. ff. de acquir. possess.* est communis conclusio, ita, quòd si Vasallus non petit inuestituram tempore debito, non priuatur feudo sine citatione. *Card: cons. 76. incipit quod Dominus Abb: & cons. 77. Reuerende pater.* inquit, quòd si Iudex expulit possessorem, eo non citato, cum esset intrusus, debet reuocare traditionem possessionis, & dicit *Bald: in l. si Maritus. la 1. C. de donation: inter vir: & uxor.* Quòd licet Clericus sit priuatus ipso iure, non debet tamen expelli sine causæ cognitione, & citatione. & multa adduci possunt, & signanter quæ congerit *Felin: in c. fin: de præsumpt. in c. cum olim. de re iudicata. & in c. 2. de simonia.* Nihilominus, si quis notoriè tenet Ecclesiam iniustè, non esse necessarium, quòd Episcopus eum vocet in iudicium, sed debet eum spoliare de facto, sicut de facto se ingessit. Hæc est aurea doctrina *Abb. in c. quare Clerici. vlt. not. de iurepatr.* vbi subdit, quòd ea, quæ fiunt per partes de facto extra iudicium, possunt per Iudicem de facto extra Iudicium reuocari per illum textum. Quod dictum sequitur, & extollit *Felin: in c. qualiter, & quando. il 1. de accusat: colum: 10.* per quod dixit posse limitari textum, *& gl: in d. c. licet Episcopis de præbend: in 6.* & alia iura volentia, quòd etiam iniustus possessor non sit priuandus possessione suâ, non præcedente citatione, & iuris Ordine; quia illa iura procedunt, dummodò non sit notoria intrusio, seu notoriè iniusta possessio. Putà si quis propriâ auctoritate, omni colore cessante, se ingessit; sequitur, & dicit esse perpetuò menti tenendum. *Marsil: sing. 195.* nemo priuandus.

QVÆ-

QVÆSTIO XXXIV.

Si Regulares habeant aliquam Ecclesiam cum Iurepatronatus, an poßint illam sibi appropriare, vel in ea nouum censum imponere, aut antiquum augere?

R*Esp*: Quòd non. *Clem: vn. §. eadem. de suppl: neg: Prælat: Hostien: in sum: tit. de sup: neg: Præl: §. quot modis. num. 3. iuxta finem.*

QVÆSTIO XXXV.

An Regulares, Societates erigendi facultate muniti, poßint extra eorum Ecclesiam dictas Societates erigere citra Episcopi consensum?

R*Esp*: Quòd Priuilegiati, qui aggregandi facultate sunt muniti, possunt quidem Societates erigere, & aggregare; sed cùm tota Diœcesis sit territorium Episcopi, ex alibi allegatis, in alieno territorio citra Episcopi consensum, nec quidquam statuere, aut decernere, neque altaria erigere possunt, nec aliquam aliam Iurisdictionem exercere. *arg. tex. in cap. peruenit. & cap. interdicimus. 16. quæst. 1.* & quidquid præter erectionem, aggregationem, statuunt, aut decernunt; excedit eorum auctoritatem & Iurisdictionem, nisi Episcopi consensus accedat; ac propterea nullius roboris est, vel momenti. *Bart: in l. non dubium. num: 20. & 21. C. de lib: q. & in l. fin: ff. de Iurisdict: om: Iud. Et Nauar. in cons: 25. n. 2. de sent. excomm: lib. 5. part. 2. alias cons. 1. n. 2. de for. comp. part. 1.*

QVÆSTIO XXXVI.

An Regulares, poßint reformari ab Ordinario, vt eant bini bini?

REsp: Affirmatiuè, quia Monachus non debet stare, nec incedere solus. *cap. 2. de stat: Monach: Clem: ne in agro. §. ad hæc. eod: tit: Immola in c. fin: de Cleric: ægro: Rebuff: de Vicar: Episcop: n. 31. & tenet etiam Zerol: in praxi Episcopali in verb: Regulares. 2. part. n. 5.* & felicis record: Clemens VIII. inter cætera, quæ in Decretis pro reformatione Regularium statuit, ordinauit, vt nullus à Conuetu egredi valeat, nisi ex causa, & cum socio, licentiâque singulis vicibus impetratâ, ac benedictione acceptâ à Superiore, qui non aliter eam concedat, nisi causa probata, sociumque exituro adiungat, non petentis rogatu, sed arbitrio suo, neque eundem sæpiùs. Licentiæ verò generales exeundi, nulli omnino concedantur. Contrauenientes autem pœna graui, etiam carceris, ad Superioris arbitrium plectantur: eandem etiam ianitor subeat, si sciens exeundi facultatem fecerit, prout cauetur in Bullario S. D. N. Vrbani VIII. *4. p. fol: 271.* & seq.

QVÆSTIO XXXVII.

Bonorum, Religionis deletæ & extinctæ, dispensatio ad quem pertinet?

REsp: Si Religio à Summo Pontifice deleta, & extincta est; acquiritur dispensatio bonorum illius Summo Pontifici, si loquamur de Religione exempta: si de non exempta, sed Episcopo subiecta, acquiritur Episcopo, tanquam illorum dispensatori. *Bonac: tom: 893. n. 4. per extensum.*

QVÆSTIO XXXVIII.

Qua de causa sancitum sit, ne noua Religio instituta in Ecclesiam inducatur sine Romani Pontificis authoritate?

R*Esp.* Vt constat ex his, quæ Abbas Vespergensis in Chronica Anni 1212. tradidit (ex quo videntur accepisse Guido Carmelitanus, Abbas Trithemius, & Paulus Æmilius) paulò ante tempora Innocentij III. fuere Vualdensis hæretici, qui vulgò pauperes de Lugduno vocabantur, & quidam alij, qui sese Humiliatos nominabant. Hi omnes quoddam Monastici instituti genus professi fuerant: quos tamen Lucius III. tanquam hæreticos damnauerat, eo quòd superstitionis quibusdam ritibus, ac cæremonijs viderentur imbuti, videlicet, illi DEI verbum in latibulis, & occultis Conuentibus plerumque seminabant: Ecclesiæ DEI, & Sacerdotio detrahebant. Et cum pauperes è Lugduno oriundi, nihil proprium se possidere, nullum certum locum, vel Sedem habere profiterentur: per vicos, & castella non sine offensione aliorum vagabantur. Tandem apud Romanum Pontificem, vnà cum Magistro suo Bernardo quodam, Lugdunensi ciue, contenderunt, vt eorum institutum eius auctoritate confirmaretur, ne quàm alij Humiliati à Lucio 3. damnationem pertulerant, ipsi quoque perferre cogerentur. Cæterùm Innocentius III. superstitiosa quædam dogmata istis hominibus obiecit, vt quòd calceos desuper præcidebant, & tamen fingebant se nudis pedibus incedere. Et cum certas quasdam cappas Religionis causa deferrent, comam minimè tondebant. Viri, & mulieres simul per vias ambulabant, & plerunque in eodem domicilio commorabantur, immo in eisdem lectulis quiescebant interdum: quæ omnia asserebant se ab Apostolis accepisse. Et quòd à Romano Pontifice sui instituti confirmationem sæpenumerò petitam impetrare nequiuerant, Schisma in Ecclesiam inuexerunt, ac tandem in hæresim lapsi sunt. Hæc fermè omnia Abbas Vespergensis. ex quibus elicio ab Innocentio 3. in Conc: Lateranensi idcirco fuisse decretum, ne quis nouæ Religionis institutum fundaret.

QVÆSTIO XXXIX.

An induentes habitum nouæ Religionis sine licentia, possint ab Episcopo puniri, & sic etiam gestantes habitum Regularem, cum non sint Regulares?

RESP: Affirmatiuè. & est tex: *in c. 1. de Relig: domib: in 6.* in quo prohibetur habitus nouæ Religionis in communi, & peccant mortaliter facientes contra *d. c. 1. iuxta Abb: in c. 2. de foro competen: n. 11. vers: imo nescio. Item facit tex: in c. vt Clerici. & ibi Abb: de Regul:* vbi dicitur, quòd Laici non possunt vti habitu Monachali. *Ripa, responso quinto.* Item facit, quod dicunt Dominicus, & Franchus, *in c. vlt: de bigamis. in 6.* Quòd Iudex Ecclesiasticus potest prohibere laicis, ne deferāt habitum, vel consuram Clericalem.

QVÆSTIO XL.

An Viri, & mulieres, exercentes theatralia, possint habitum Regularium deferre?

RESP: Negatiuè, tex: est *in auth: de Sanctiss: Episc: §. final:* in quo textu est huiusmodi prohibitio magis generalis, & Episcopus super hoc prouidere debet, sub pœna graui corporali. In Hispania est *l. Regia par: 1. tit: 6. l. 36.* Laicus Religiosum habitum ludi, vel detrahendi causa flagellis cæsus, à loco, vbi id fecit, expellitur.

QVÆSTIO XLI.

An Eremitæ sint Regulares, & de foro Ecclesiæ, & an subsint Iurisdictioni Episcoporum, in quorum Diœcesi commorantur?

RESP: Eremitas de foro Ecclesiæ fateri necessariũ est, quia pertinent ad dispositionem Ecclesiæ, *c. vnico. in fin. de excess: Prælat: lib. 6. c. priuilegium, de verb: signif: lib. 6. vers: cellis ad Monasterium spectantibus.* & hanc opinionem affirmârunt *Fel: in c. 2. de foro comp: n. 5. & ibi Ant: de Butr: Barbasia & Arethin: Inno: in c. cum ad Monasterium. de Elect: Collectar: c. ex parte. de conuers: coniug: & in c. cum Ioannes Eremita. de fide instrument. Card: Turrecrem: in c. qui verè. in 2. quæst. 16. quæst: 1. D. Antoninus in summa, par: 3. tit: 16. §. 4. Immol: in Clem: per literas. col: 1. de præbend: Gemin: in cap: indemnitatibus, in §. supradicta. in 1. not: & ibi Franch: in not: 1. de electione. lib: 6 Stephanus Aufrer in additionibus ad Capell: Tholos: in decis: 8.* & hanc etiam tenet Glossa, quam sequitur Bart: & Angel. *in l. 2. ff. de in ius vocand.* Volentes Eremitam in ius vocari non posse, sed eius Prælatum, qui respondere debet pro eodem, & gaudere priuilegio Monachorum, & Clericorum. Idem Angel. *in cons: 121. vers: quinimmò etiam Eremitæ.* & hanc esse veram, & communem opinionem testatur *Bærius in tract: de vita Eremitica. n. 14. prope finem. vers: & ista est vera & communis opinio.*

Ex quo infertur, primò non esse verum dictum Abbatis. *in d. c. de foro compet: n. 10.* Volentis hanc opinionem procedere de æquitate. Sed contrariam esse veriorem de iure, quia (vt probat præcitati Doctores) hæc est vera, & communis opinio, quam amplexi sunt Domini de Rota, *in decis: 1. Regular: in antiquis.* Item infertur non esse veram illam opinionem, videlicet Eremitas gaudere priuilegijs Ecclesiæ, si sint sub obedientia alicuius Superioris, vel Episcopi, prout Abb: *in c. ex parte, n. 10. de conuers: coniug: Archid: in d. c. qui verè. 16. q. 1. Summa Syluestrina in vers: Eremita. in 2. §. 1. Nauar: in Manual: c. 27. n. 79.* quia, vt probat *Ant. & Butr: in cons: 19. vers: ad nonum.* quem sequitur Boer. *in d. tract: de vita Epemitica. n. 13.* Vita Eremitarum est approbata, tanquam in statu pœnitentium. Tales enim Eremitæ sunt & esse debent sub obedientia

Episco-

Episcopi. *c. aliud. 10. q. 1.* nec sunt, sicut locustæ sine capite, vt quidam dixerunt; quia immò subsunt Episcopo, & reputantur personæ Ecclesiasticæ, & gaudent priuilegio Clericorum, nec aliud caput, vel Superiorem compelli possunt habere; quia Christum habent in caput, & Summum Pontificem & Episcopum, siue eorum Parochianum, in cuius Diœcesi, & Parochia sunt; & si habent Abbatem, tunc quòad Iurisdictionalia, & forum pœnitentiæ, sunt sub ipso Abbate, sicut sub Episcopo.

QVÆSTIO XLII.

An licentia Episcopi, vel eius Vicarij, quæ interuenire debet in renunciatione, facienda à Nouitijs intra duos Menses proximos, ante Professionem, debeat esse in scriptis; & an semper præcedere debeat; & an sufficiat, quòd sit petita, etiamsi non obtenta; & an satis sit licentia tacita, habita ex ratihabitione, de præsenti, aut futuro?

REsp. Non exigi licentiam in scriptis, manifesti iuris est, quòd Tridentinum nullam scripturæ mentionem fecerit: & vbi in scriptis eam obtinendam voluit, id expressit, vt fecit eadem *sess. 25. de Regular. c. 5.* tractans de licentia ad ingrediendum Monasteria Monialium. Item, quia omnis dispositio potest fieri verbo, nisi lex requirat ad actûs valorem scripturam. Quamuis autem ea licentia in scriptis necessaria non sit ad valorem renunciationis, est tamen vtilissimum, eam in scriptis obtinere cum Notarij subscriptione, fidem de ea facientis; vt si fortè de eius valore lis moueatur, allegato licentiæ huius defectu, possit in foro externo fides de illa fieri.

Nec satis est petita, sed debet esse obtenta, quia decretum hoc dicit: (cum licentia) at non dicitur cum licentia fieri,

 quando

quando ea ſolum petita eſt. Item, quia *cap: licet. de Regular.* vbi exigitur licentia tantùm petita, id exprimitur.

Hæc autem licentia præcedere debet: quia licet in alijs rebus non ſit modica difficultas, an ſufficiat licentia ſubſequens: at hîc non militant rationes, quæ probant ſufficere in illo caſu licentiam ſubſequi, quòd hæc renunciatio non ſit actus vltimæ voluntatis reuocabilis (vt dici ſolet) vſque ad mortem, ſed ſtatim firmus omninò, & validus ſit; & cùm ad ſui valorem inducat licẽtiam, ea neceſſariò debet præcedere, vbi non conſtat, vt ea præceſſerit: ſi tamen renunciatio illa fieret ſub conditione, ſi poſtea Epiſcopus approbet, ſatis erit approbatio ſuperueniens.

Atque ſatis eſt eam eſſe tacitam, habitam ex ratihabitione de præſenti: nec ſufficit ratihabitio de futuro, quia requiritur ad valorem actûs.

QVÆSTIO XLIII.

An Prælati Regulares, poßint facultatem concedere in ſuis Monaſterijs exemptis, Nouitijs volentibus renunciationes facere intra duos Menſes proximos, ante Profeßionem, ad præſcriptum Concilij Tridentini?

R*Eſp:* Quòd quidam id exiſtimare poſſent, cenſentes ita intelligi Tridentinum, vt Epiſcoporum ſit, eam licentiam concedere in Monaſterijs ſibi ſubiectis; at in exemptis id pertinere ad Prælatos Regulares, ſicut ad ingrediendum Monaſteria Monialium Epiſcopo ſubditarum, exigitur Epiſcopi licentia: ſi autem exemptæ ſint, Prælati ſui Regularis; vt tradit *Nauar: comment: 4. de Regularibus. num: 60.* ſi conſuetudo ita ſe habet, & ſic intelligens Decretum Tridentini, *ſeſſ: 25. de Regular. c. 9.* petet licentiam Epiſcopi ad ingreſſum in huiuſmodi Monaſteria. Secundò poſſet dici, quòd Epiſcopus nulla Iu-

la Iurisdictione potiatur in Monasteria exempta, sed solis
Prælatis Regularibus subsint; quod non tantùm quo ad Pro-
fessos, sed etiam quo ad Nouitios est intelligendum. Cœte-
rùm dicendum est, in vtrisque Monasterijs exigi licentiam
Episcopi, vel eius Vicarij, nec necessariam esse, nec sufficere
licentiam Prælati Regularis. Ducor, quia Decretum hoc, vir-
tute cuius, huiusmodi licentia ad hanc renunciationem peti-
ta est, solam Episcopi, aut eius Vicarij licentiam petit: quan-
do autem aliud voluit, id expressit; vt in *d. c. 5.* petens licenti-
am Episcopi, vel alterius Superioris: & ideò ea doctrina Na-
uarri, quæ verissima est, huic decisioni non obstat. Minùs eti-
am obstat, Nouitios Religionis exemptæ, non subdi Episco-
po, quia id verum est, præter casus, in quibus Tridentinum
eos Episcopis subiecit, vt fecit in hoc *c. 16. & c. 17. seq.* & ideò
hanc partem sustinet *Manuel: qq. Regular: tom: 2. q. 47. art: 14.*

QVÆSTIO XLIV.

*An bimestre tempus, præscriptum à Conc: Trid: Nouitijs, vo-
lentibus renunciationem facere ante Professionem, debeat
esse Mathematicum, & de momento ad momentum nu-
merandum, & quot dierum, & in anno bissextili; &
quid, si Professio differatur, valeat renunciatio?*

R*Esp:* Computandos esse hos duos Menses de momento ad
momentum, & secundùm quod occurrit Mensis in Calen-
dario, & quod ex illo Mense deficit, accipitur de sequenti: &
ita habebit ille Mensis triginta dies, vel 31. vel 28. vt in Calen-
dario occurrit: & si occurrat Annus Bisextilis, computandum
est tempus die correspondenti posteriori illi diei. Ducor, quia
Tridentinum disponit, à quo tempore bimestre illud incipe-
re debeat, nempè à die Professionis futuræ, in quo euentu cō-
putatur

putatur dies de momento ad momentum, vt occurrit in Calendario. Insuper petit determinatam ætatem, nempè eam, quæ satis est ad profitendum post bimestre. At ea ætas computatur de momento ad momentum, etiam in Anno Bissextili. Nihil autem refert facta semel renunciatione bimestri illo, ante Professionem legittimè faciendam; vt quia transacto bimestri est completa ætas, & Annus Nouitiatûs, differri Professionem, ex quacunque causa dilatio contingat: adhuc enim valida erit renunciatio, quia cùm lex ea, quæ frequentiùs contingunt, spectet; *l. Nam de ea. ff. de legib.* & professio attento Iure, & frequentiùs fiat completis ætate debita, & Anno Nouitiatûs, Decretum hoc petens renunciationem fieri bimestri proximo tempori quo Regulariter professio fieri debet. Item quia in hac renunciatione saluatur omninò mens Tridentini, quæ fuit, ne temerè feruoribus vocationis ductus Nouitius, renunciet, sed quando debitâ maturitate expertus est decem mensibus Religionis austeritates. *Facit Menochius cons: 388. n. 7. vol: 4.* vbi rationem, cur bimestri ante professionem facienda sit renunciatio, reddit his verbis: cùm eo tempore iam sint Nouitio penè probatæ, & deliberatio emittendæ professionis iàm manifesta satis appareat cursu decem mensium: hæc ille.

QVÆSTIO XLV.

An Beneficium Nouitij vacet intra Annum probationis, & quis, si poßideat Canonicatum, habeat ius eligendi, & debeat vocari; & an poßit Nouitio Beneficium, tam Seculare, quàm Regulare conferri?

RESP: Non vacare: *ex c. Beneficium. de Regularib: in 6.* vbi dicitur: Beneficium illius, qui Religionem ingreditur, non est intra probationis Annum alicui conferendum, nisi ad id ipsius

id ipsius accedat assensus. Si quæres, cum Nouitius Beneficium, vt potè Canonicatum in probatione retineat, an ius habeat eligendi? Respondeo habere, quia inter fructus Beneficij computatur ius eligendi. Rogabis, an vocari debeat ad eligendum? Archidiaconus *cap. citato.* respondet esse vocandum, si sit loco vicinus, nisi fuerit Religionis gratiâ legitimè impeditus. Potest tamen, inquit, Procuratorem ad eligendū constituere. At *Paulus, & Ioannes Andreas, in eod: cap:* vtrumque negant; quia causa Religionis ritè, & legitimè abest. Secus verò esset de Patrono, & de eo, ad quem non lege Collegij, sed ratione personæ ius eligendi pertinet, is enim vocari deberet. *Geminianus & Franchus ibidem docent*, siue vocatus, siue nō vocatus ad eligendum accesserit, ius habere eligendi. Ex quo etiam efficitur, vt si sit patronus, ius habeat nominandi, designandi, & offerendi Clericum promouendum ad Beneficium in eo constituendum. Si quæres posteà an è contrario possit Nouitio Beneficium conferri? Respondet Glossa in eo: capite. minimè: id colligit, quia status dubius non potest militiæ nomen dare. *l. qui statu. ff. de re militari. & l. qui de libertate. ff. de liberali causa.* Et hoc, inquit, intelligitur de Beneficio seculari, quoniam Regulare ei potest conferri. At vero *Geminianus, & Franchus, ibidem*, in vtroque Glossæ aduersantur: aiunt enim Nouitio posse Beneficium seculare conferri, Regulare verò non item. Primum ex eo concludunt, quòd Nouitius adhuc sui iuris est, & proprium habere potest, ergo est capax Beneficij, quòd sibi collatum, ratum, & acceptum habere poterit, suum assensum præstando. At verò Regularis Beneficij capax non est, cum id sit iure prohibitum, quòd solis professis conferendum decreuit *Clement: quia Regulare. de supplen: neglig: Prælat: & Clem: ne in agro. §. sanè Prioratus, de statu Monacho.*

QVÆSTIO XLVI.

An Nouitius delinquens, Iurè puniatur per Superiorem Religionis? Et quid si extra Claustra delinquat, possit ab Episcopo puniri?

R*Esp*: Quòd quæstio solùm intelligitur, si Nouitius crimen admittat, cui capitalem pœnam iura, videlicet Canones, vel Leges irrogârunt, vt si fuerit homicida, proditor Patriæ, latro, adulter. Nam certò conuenit inter omnes, si tantùm contra Religiosam, vel Ecclesiasticam disciplinam peccauerit, à Religionis Præfecto puniendum. *Ioan: And: in c. Beneficium. de Regularib: in 6.* quæsiuit apud quem Iudicem Nouitius conueniri debeat, Ecclestiasticum, an Ciuilem. Nam quòd coram Iudice Ciuili conueniri debeat; videtur inde concludi, quòd nondum sit Religiosus effectus. Quòd verò à Iudice Ecclesiastico puniendus sit; ex eo deducitur, quòd causa, & gratia Religionis in eum Ciuilis Iudex inquirere, & animaduertere non debeat. Archidiaconus, & idem *Ioan: Andr: Geminianus, Franchus, & alij, in c. Beneficium. citato.* communi consensu tradunt, eum conueniri debere apud Iudicem Ecclesiasticum, eò, quòd fauore, & causa Religionis à Ciuilis Magistratûs potestate est exemptus. Sed prædicti Doctores eo cap. solùm videntur loqui de causis Ecclesiasticis, non de Ciuilibus. Cæterum cùm nostris temporibus omnes Religiosorum Ordines Romani Pontificis Beneficio, ab Episcoporum, quibus iure communi subiecti olim erant, potestate eximantur; efficitur, vt Nouitius delinquens à Monasterij Præfecto puniri debeat: quoniam sicut fauore Religionis à Ciuili Magistratu abducuntur Nouitij; sic etiam ab Episcoporum potestate, dum in probatione versantur. *Nauar: commen: 2. n. 63.* disputat an Religionis Præfectus iure communi cognoscat, & iudicet delicta Nouitij Ciuilia, & Criminalia: & concludit iure commu-

 ni tan-

ni tantùm cognoſcere delicta, quæ Nouitius committit contra Regulam, & cætera Religionis ſtatuta, & *conſ: 58. de Regularib.* idem docet, & tandem ait probabile eſſe, poſſe Præfectum Religionis cognoſcere, & iudicare delicta Nouitij Ciuilia, & Criminalia, cuiuſmodi eſt homicidium, perinde ac ſi eſſet Clericus, & Profeſſus, & hoc eſt verius.

Tota difficultas eſt, ſi delinquat Nouitius extra Clauſtra. Et prima facie videtur dicendum, à ſuo Superiore: tum quia Nouitius gaudet fori priuilegio, ex ijs quæ latiſſimè tradiderunt communiter *DD. in c. Religioſo. de ſententia excomm: in 6.* tum quia Superiores Regularium ſunt Priores, Prouinciales, & Generales eorum Religionis, vt latè de hac re agit Triuis. *in tract: de modo & ordine Criminaliter procedendi inter Regulares. c. 4. & in deciſ: 36. p. 1. per tex: in c. 1. de cappell: Monachorum.* vbi Summus Pontifex mandat Epiſcopis, ne Regulares inquietent, moleſtent: ſed eorum crimina relinquant Superioribus ipſorum punienda; tum quia Iudex Ordinarius Regularium eſt Protector Religionis: vt per Card: *in conſ: 17. n. 1.* & latiùs in practica obſeruari teſtatur *Staphil: de literis ſignaturæ & Iuſtitiæ. in tit: de ſanatione contractus inualidi. n. 7. fol: 287. Triuiſ: loco cit: n. 2. Alban: in conſ: 93. Manuel: conſ: 22. vol: 1.*

Contrarium tamen dicendum eſt ex traditis nouiſſimè *per Conc: Trid: ſeſſ: 6. c. 3.* vbi ſtatuitur, quòd Regularis extra Monaſterium degens, etiam ſui Ordinis prætextu, ſi deliquerit, ab Ordinario loci, tanquam ſuper hoc à Sede Apoſtolicâ delegato, inquiri, puniri, & corrigi valeat. Nec Nouitius debet eſſe melioris conditionis in patrando delicto, quàm eſt Regularis profeſſus: nam vt dicit *Rub: in deciſ: 15.* decretum Conc: comprehendere etiam Regulares exiſtentes in aliqua domo ad erectionem Monaſterij deſtinata, ſi ibi non haberent Priorem, ſeu Guardianum, & non viuerent iuxta inſtitutum Regulæ illius Religionis: in tantum etiam quòd *Picard: in conſ: 91.* voluit Epiſcopos in vim *d. tex: Concilij*, agere

posse contra omnes professos Militiarum Hierosolymitanarum, exceptis ijs, qui in priuilegio Pij V. comprehenduntur etiamsi dicti Milites extra locum suorum Ordinum, cum licentia Superiorum, degerent.

Non obstat, quòd qui de licentia Superioris abest à Claustro, censetur residere in Claustro. *argu: tex: in l. quæsitum- §. 1. ff. de leg. 3. & in l. Seiæ. ff. de fund: instruct:* Quia respondetur id procedere extra casum delicti, *vt per Rub: loc: cit:* & ratio est, quia tunc est acquisitum Ius Ordinario loci, & consequenter tolli non potest per licentiam Superioris, & cum casus accidisset in Archiepiscopali Curia Neapolit: fuit per dictam Curiam punitus quidam Nouitius Ordinis Sancti Antonij de Vienna, prout refert *Riccius in decis: Curiæ prædictæ decis. 223.*

QVÆSTIO XLVII.

An Nouitius admissus ad Religionem ante pubertatis annos, sit propriè Nouitius, & gaudeat priuilegio Canonis concesso Nouitijs in d. c. Religioso. de sententia excommunicationis, in 6?

R*Esp*: Quòd licet admissus ad Nouitiatum ante pubertatis annos, non sit propriè Nouitius, sed largè: cùm tamen valeat ingressus Religionis, gaudebit priuilegio Canonis, concesso Nouitijs. *c. Religioso. de sententia excom: in 6.* vt ipsum Nouitium percutiens, sit excommunicatus: & ita docent Paludanus, dicens hoc esse certum, *d. 39. c. 3. in quæst. 2. fine. & Angelus, v. Nouitius. n. 21.* Quòd intelligo nisi iuxta Religionis institutiones impubes admitti nequeat, ita vt admissio sit irrita. Quia cùm admissio non valeat, nullo priuilegio admissus gaudebit. Idem credo quando ante vsum rationis admissus esset, etiam à parentibus oblatus. Quia nec improbriè tunc est Nouitius, donec adeptio rationis vsu consentiat, nec oblatio parentum

antea facta aliquid operatur : atque idem dicendum est, quoties ingressus ob quamcunque causam est irritus, *Sanchez lib. V. c.4.n.26. oper: moral.*

QVÆSTIO XLVIII.

An Nouitij, qui nõ sunt aliquo Ordine insigniti, eximantur ex vi Nouitiatûs à solutione gabellarum, si vel ipsi propria bona, vel Monasterium, vel quiuis alius nomine ipsorum ea vendat, aut commutet?

R*Esp:* Quòd quidam deberi gabellam affirmant, quòd verè Religiosi non sunt, ad seculumque redire valeant, ac proinde hoc personarum Ecclesiasticarum priuilegio non gaudere. Ita docent Laserte, *de decima venditionis.c.19. n.50. & in additionibus ad eundem. num. Manuel: quæst: Reg: tom: 2. q.47. n. 8 ad fin. & tom.3. q. 74. n.9.* Immò addit Laserte *eo n.50.* nec Religiosos Societatis Iesu, qui finito Nouitiatûs biennio vota simplicia emittunt, immunes esse à gabellarum solutione, quòd nondum professi sint. Alij verò censent, loquentes de Nouitijs rem hanc pendere ex futura professione: si enim Nouitius postea illam emittat, non debebitur gabella, ex rebus tempore nouitiatûs venditis, secus si ad seculum redeat. Ducuntur ex doctrina Tiraquell: *de retract: lignag: §. 1. Gloß: 8. n. 39.* vbi disputans, an Nouitius possit rē patrimonialē extraneo traditam, retrahere, ratione sanguinis, dicit posse retrahere; at valorem retractûs pēdere ex futuro euentu: si enim profiteatur, non valebit; secùs si redeat ad seculum. Ita docent, *Parlador de rebus quotidianis. in 2. edit: l. 1. c. 13. §. 1. n. 21. Gironda de gabellis. 7. p. in princip: n. 46.* Temperat *Parlador,* nisi mandato Nouitij vēdat Monasterium eius bona, in ipsius Monasterij vtilitatem conuertenda; quia tunc censentur ac bona Monasterij, & proinde sunt à gabellis exempta. At prædictam distinctionem

meritò reprobat *Laserte in addit: c. 19. n. 50.* Sed multò verius est, Nouitios immunes esse ab harum gabellarum solutione: quippe eo quòd Nouitij in Religionem admissi sunt, pars eius communitatis, verè Ecclesiastica est, ac proinde tanquam personæ Ecclesiasticæ sunt reputandi: & gaudent priuilegio fori, *c. Religioso, de sententia excom: in 6.* Item quia adherentia Religiosis sunt Religiosa, *l. quæ Religiosis. ff. de rei vendic: atque ita docent Gloss: in c. Beneficium. v. conferendum. de Regul: in 6. Nauarr: in summa, C. 12. n. 65. & lib: 3. cons: in 1. edit: tit: de Regul: cons: 58. n. 4. in 2. lib: tit: de for: cons: 6. n. 4.* & hanc partem tuentur. *Berthachinus, de gabellis, 7. p. princip: n. 56. Molina 3. tomo, de iust: disp: 671. Mena, in suis varijs, l. 2. q. 21. n. 198.*

QVÆSTIO XLIX.

An Nouitius, absque iusta causa expulsus, Ius habeat agendi contra Religionem, ne expellatur?

RESP: Affirmatiuè, *Host: c. sicut tenor. in fin: de Regul: & ibi Ioan: Andr: n. 2. & seq. & docet Greg: Lopes l. 3. tit: 7. partit: 1.* & expellentem absque iusta causa, peccare tradunt, *Caiet: 2. 2. q. vlt: a. 4. dub: 3. Passarellus in priuileg: Minimorum. c. 43. ad fin.* At non credo esse mortale, nisi grauis nota esset expulsio illa. Sicut culpa Nouitij leuiter retrocedentis est solùm venialis; non enim magis obligatur Religio Nouitio, quàm Nouitius ipsi quoad culpam.

QVÆSTIO L.

An Nouitius à Monasterio recedens, teneatur soluere expensas in suis alimentis à Monasterio consumptas?

RESP: Quòd quæst: planè procedit, quando ministeria Religioni à Nouitio exhibita non æquiualerent expensis illis,

illis, quando verò æquiualerent, certum est, nihil à Nouitio deberi, etiamsi Nouitius animo in seculum redeundi ingressus esset, sed expensas compensari Ministerijs illis. Tunc autem æquiualentia dicentur, quando Monasterium obsequio illius Nouitij indigebat, quo ab eo non exhibito, expensas totidem facturum esset Monasterium pro alio Ministro: secus autem quando eo ministerio non indigebat; sed id per alios eiusdem Religionis supplendum esset, non amplioribus à Monasterio expensis factis. Quæstio igitur procedit, quando recta perseuerandi intentione ingressus est: & ministeria ipsius non sunt æquiualentia expensis, ac postea mutato animo exijt. Et quidem videtur ad eas teneri, *per c. de lapsis. 16. q. 6. & c. si quis rapuerit. 7. q. 1.* vbi deciditur, in probatione existentes non debere esse onerosos Monasterio. Sed hæc iura nihil probant, nam, vt bene ait *Anchar: c. Beneficium. n. 1. notab: 4. fin: de Regul: in 6.* Ea iura non loquuntur de Nouitijs, qui in Religione sunt ad experiendum, an is status ipsis conueniat, sed de Regularibus, qui in aliud Monasterium, causa pœnitentiæ agendæ, ob delicta detrusi sunt. Quare concludit, veros Nouitios, vel non teneri ad huiusmodi expensas, vel saltem ad dimidiam solùm expensarum teneri: & in hanc partem posteriorem magis inclinat, licet cogitandum relinquat, ducitur que, quòd ea probatio, & Monasterij, & ipsius Nouitij fauorem respiciat, *c. ad Apostolicam. de Regul.* ac proinde exiens, ad solam dimidiam expensarum partem ipsius Nouitij fauori correspondentem astringetur; & refert pro se *Ioan: Andr: in eod: c. Beneficium. in fin: de Regul.* Qui quidem hanc sententiam innuit, licet non expressè eam dicat; solùm enim ait eos textus loqui de inclusis propter culpam: probationem autem Nouitiorum esse in vtriusque fauorem. Cæterum dicendum est nullatenus teneri ad expensas. Ducor, quia liberè potest redire ad seculum, vt constat *ex c. 1. & c. 2. de Regul: in 6.* at non posset liberè, si ad expensas teneretur: sæpè enim retineri

posset,

posset, quòd expensas soluendo non esset, eo quòd Monasterium eum alere teneatur, & ipse quoque Monasterio inseruire, & per accidens est, si ratione morbi, aut alia causa non inseruiat, aut expensæ mercedem laboris excedant. Nam si labor excederet expensas, non haberet ius Nouitius mercedis excessus exigendi. Et ideò hanc partem sustinet *Dominicus cap. 2. n. 5. & c. Beneficium. fin: de Regul. in 6. Syl: in verbo, Religio. 5. q. 8. Manuel: quæst: Regul: tom: 3. q. 13. q. 15. art: vlt: §. circa eandem. Azor lib: 12. Instit: Moral: cap. 3. q. 6. Emanuel Sà summ: verbo, Religio, n. 8. & Sanchez, qui quàmplurimos alios allegat, cap. 10. l. 6. oper: Moral: n. 4.* Hoc tamen temperandum putat dictus Sanchez, nisi pactum esset largiendi Monasterio expensas Nouitij, vt in Monasterijs Monialium contingit; tunc n. siue Nouitia perseueret, siue exeat, expensæ debentur Monasterio, nulla prorsus ratione habita ministerij Religioni exhibiti, quia in omni euentu, & absque vlla exceptione contractus soluendi expensas initur.

QVÆSTIO LI.

An Nouitius, possit accusare, transigere, & pacem inire, siue sibi, siue suis iniuria irrogetur, & legitimè standi in Iudicio personam habeat?

RESP: Affirmatiuè, quia nondum est verè Religiosus, *c. Religioso. §. quamuis. de sent: excom: in 6.* & ideò legitimam standi in Iudicio personam habet. atque ita docent, *Plaza de delictis. c. 42. in fine. Farinac: prax: Crim: tom: 1. tit: de accus. q. 13. n. 13.* & nemo contradicit.

QVÆSTIO LII.

An Nouitio interfecto, Ius accusandi, & pacis ineundæ, & compositionis accipiendæ, pertineat ad Monasterium, vel ad quem?

Resp:

RESP: Nullatenus ad Monasterium pertinere, sed ad alios, ad quos spectaret, si Nouitius ille esset secularis: quia Monasterium nondum Ius in illum acquisiuit. Atque ita docet *Iulius Clarus lib. 5. recept: pract: crim: §. final. q. 58. n. 25.* dicens sic fuisse decisum per Senatum. Et ita quoque tenent, *Plaza de delictis. c. 42. n. 23. & 24. Zauallos. in suis commun. q. 333. n. vnico.*

QVÆSTIO LIII.

An Patre, aut filio Religiosis secularibus interfectis, Religioso, vel Monasterio competat ius accusandi aut pacis ineundæ: & an pretium pacis poßit consequi Monasterium?

RESP: Negatiuè, quia iniuria nullatenus dicitur illata Monasterio, ergo, nec agere nec transigere poterit; minùs etiam Religiosus, quia, licet occiso proximior sit, eiusque Pater aut Filius, non tamen habet legitimam personam standi in Iudicio: Ergo non potest accusare, & consequenter nec pacem inire. *Ita tenet Farin: prax: Crim: tom. 1. tit. de accus. q. 13. n. 1.* qui alios allegat, & ita tenet. *& Sanchez operis Moralis lib. 6. c. 12. n. 36.* Hinc deducitur, pretium pacis initæ in hoc euentu non posse consequi Monasterium, quia id non est pœna delicti, sed pretium cessionis Iuris accusandi, & vindictæ, *l. item apud Labeonem. §. si quis seruo. ff. de iniur.* Ideò talis pecunia non Monasterio, sed alijs defuncti filijs est applicanda. *Sic Farin: ea q. n. 13. n. 25.* paulò post princ.

QVÆSTIO LIV.

An iniuria facta Monacho ante Religionis ingressum, vel ante illum eius Pater, aut Filius occisi sunt competat Religioso, vel Monasterio ius pacis ineundæ, aut accusandi?

 Resp:

RESP: Negatiuè, sed Ius remanere penes Filios, vel consanguineos interfecti proximos, *ita Farin: prax. crim. tom. tit. de accus. q. 13. n. 26.* qui allegat etiam Bossinum, & probat non competere Religioso, quia pro mortuo habetur; non Monasterio, quia ipsi non est irrogata iniuria. Sed hanc sententiam veram credo, si loquamur de Religionibus non habentibus bona in communi, quæ nec succedunt in bonis, aut Iura Religiosi: omnia enim illa per professionem transeunt in hæredes ex testamento, vel ab intestato relictos in seculo. At si loquamur de Religionibus, quæ in bona Religiosis succedunt, existimo, id Ius accusandi pacis ineundæ, & compositionis pro iniuria illata recipiendæ, transferri in Monasterium, sicut reliqua Iura, & actiones, quæ Religiosus ille in seculo habebat, non professione extinguantur, sed transeunt in Monasterium, *Iuxta auth: ingressi c. de sacros: Eccl:* & tradita ab omnibus Doctoribus. Si sit autem Religiosus Societatis Iesu, solis biennij votis adstrictus, & nondum bonis, ac iuribus sibi competentibus abdicatus, id Ius, sicut alia retinebit: si autem illa iam renunciauit, acquiret id ius ei, in quem alijs renunciauit.

QVÆSTIO LV.

An Religioso interfecto, vel aliâs læso, competat Monasterio vel Religioso læso Ius accusandi, & pacis ineundæ, & consequenter capiendæ pecuniæ, ob quam remißio mortis aut iniuriæ conceditur?

RESP: Quòd si Nouitius interficiatur, nullatenus ad Monasteriū pertinet, sed ad illos quos pertinet, si Nouitius ille esset secularis: quia Monasteriū nondū Ius in illum acquisiuit, atq; ita dicit fuisse decisū per Senatū *Iulius Clarus, l. 5. recept: pract: Crim. §. finali. q. 58. Plaza de delict: c 42. n. 23. & 24.* Quando verò Religiosus interficitur, vel aliâs læditur, & in isto casu

varias

variæ ſunt ſententiæ. Prima ſententia docet loquens, quando ſtaret ſtatuum, vt pœna offendentis applicaretur hæredibus offenſi, eam applicandam non Monaſterio, ſed filio relicto in ſeculo; quia Monaſterium eſt ciuilis hæres, & non naturalis, vt filius. Item, quia ea applicatio fit in ius vindictæ iniuriæ illatæ, quod non eſt in bonis hæreditarijs, & quoad hoc cenſetur filius hæres patris, licet abſtinuerit ab hæreditate: ſic tradit *Barbatius c. in præſentia. n. 117. de probat. & ibi Felin: n. 36. Aret: n. 75. Mantuan: c. 61.* & vniuerſaliter loquentes ius accuſationis, & remiſſionis & pecuniæ ſoluendæ, pro Monachi occiſione, pertinere ad parentes, aut filios in ſeculo relictos, tradunt, *Boerius deciſ: 121. n. 9. Nicolaus Moron: de Treuga, & pace, q. 134. n. 21. tom: 11. tract: parte 1. Plaza de delictis. c. 6. n. 18. & c. 24. à n. 16. vſq; ad 20. qui n. 22.* addit nullo relicto in ſeculo hærede, pertinere ad Monaſterium. Secunda ſententia loquens de eodem ſtatuto, ait applicari hæredibus ab illo Monacho inſtitutis; quare, ſi inſtituit Monaſterium, illi applicabitur; ſecus, ſi filium, aut filios inſtituit; quòd ſi ſimul Monaſterium & filium, applicabitur vtrique pro portionibus hæreditarijs. Ratio eſt, quia ſtatutum defert lucrum hæredibus: at verus hæres eſt is, qui à vero Monacho inſtitutus eſt. *Sic Abb: eo: c. in præſentia. n. 47. & ibi Boerius, n. 473.* addens, ſi nullus hæres inſtitutus ſit, ſuccedere Monaſterium, tùm quia ſuccedit in omnia bona profeſſi, ſolâ legitimâ reſeruatâ filijs. Item, quia hoc acquiritur poſt profeſſionem, quo caſu omnia acquirit Monaſterio Tertia ſententia docet loquens ſtante eodem ſtatuto, ea bona applicanda eſſe Monaſterio, non patri, aut filijs Monachi. Ducitur, quia Monaſterio cenſetur illata iniuria, & pro illa agere poteſt, & non Monachus; vnde Monaſterio vindicta competit iure proprio, & non ratione hæreditatis. Item, quia Monachus, quoad mundum, pro mortuo habetur, & tranſit in poteſtatem Abbatis, ergo iudicandus eſt, vt Monachus occiſus, & non vt pater eius, qui remanſit in ſeculo.

culo. Item, quia hoc Ius acquisitum est post professionem, quo casu non succedit hæres institutus ante professionem, quia ille in sola bona ante professionem acquisita succedit; nec statuti verba loquuntur, aut loqui possunt de professis. itē quia hoc lucrum oritur ex iniuria Monacho illata; at quidquid acquirit Monachus, acquirit Monasterio. *Hanc sustinent Federicus cons. 34. Anton: eo. c. in præsentia. 63. & ibi Decius edit: noua à n. 221. vsque ad 226. & ibi Ferrer: n. 10. & duplici sequenti,* explicans, siue iniuria illata sit Monacho intuitu personæ, siue intuitu Monasterij. *Alciat. lib. 3. § Cato: n. 175. ff. de verborum obligat. Tapia, alios referens, Authen: ingressi. t. 13. n. 46. C. de Sacros. Eccl.* Quarta sententia distinguit; si iniuria illata sit Monacho intuitu Monasterij, illud est præferendum filijs, & consāguineis Monachi interfecti, tam in actûs actione, quàm in pace ineunda, & pœna capienda: si autem facta sit iniuria intuitu personæ, præferendi sunt filij, & consanguinei Monasterio. *Sic tradit Parisius eo: c. in præsentia. n. 128. Iulius Clar: cum alijs citatis, lib. 5. receptarum, in practica criminali. § . finali. q. 58. n. 25.* Addunt hi duo, quando est dubium respectu cuius iniuria irrogata sit, habendam ab vtroque pacem, & vtrique pœnam applicandam.

Ex his sententijs, quàmuis non possit negari, quin res sit valde dubia, plus placet tertia, asserens eam pœnam applicandam Monasterio, illique competere ius accusationis, & remissionis, propter rationes ibi traditas, quæ idem probant, siue sit statutum aliquod applicans hæredibus occisi, siue id statutum non sit. Atque ita nullam facientes statuti mentionem, docent pecuniam pro occisione illa applicandam Monasterio. *Guill: Bened: c. Raynucius. v. Condidit. & 2. n. 17. de testam: Padilla. l. Transire. n. 38. & 39. C. de transact: Manuel: qq. Reg: tom: 2. q. 42. a. 3. Farinacius in praxi criminali tom: 1. tit: de accusat. q. 13. n. 29. v. sed certè,* vbi notat, dum dicitur pacem obtinendam à Monasterio, id intelligendum esse quòad ius accusandi,

sandi, ac remissionis iuris illius faciendæ, & pecuniæ, vel pœnæ pro remissione capiendæ: secùs, si agatur de obtinenda pace vigore statuti minuentis pœnam propter pacem, quod fundatum est in quiete Reipub: ad hoc, vt pace initâ, extinguantur inimicitiæ; tunc quocunque intuitu facta sit iniuria, est sēper pax requirenda à consanguineis: quia, quantumuis Monasterium remittat, non cessat eorum indignatio, atque inimicitiarum, & vindictæ sumendæ periculum.

Atque idem intelligo, & si ille professus interfectus esset ex Religionibus, quæ in eius bona non succedunt: quia rationes tertiæ sententiæ id probant, cùm non innitantur iuri succedendi, sed quòd iniuria censeatur irrogata Monasterio, & ille Monachus censeatur, vt Monachus interfectus, & quòd iam in Monasterij potestatem transierit. Quare, cùm eædem rationes militent in Religioso Societatis Iesu post sola biennij vota interfecto, idem in hoc casu censendum puto.

QVÆSTIO LVI.

An Nouitius, poßit eligere sepulturam?

RESP: Affirmatiuè, quia, *c. fin: de sepult: in 6.* solis Religiosis interdicit: Nouitius autem non est verè Religiosus, maximè in odiosis. Item quia habet velle, & nolle, atque ita docet *Franch: d. c. fin: n. 2. Armilla in verbo sepulturæ. n. 6. & ibi Tabiena pag: n. 5.*

QVÆSTIO LVII.

Nouitius, si moriatur absque sepulturæ electione vbi sit sepeliendus? & quid si eßet in proposito redeundi ad seculum?

RESP: Quòd quidam dicunt ſepeliendos eſſe in Eccleſia, in qua, ſi forent ſeculares, eſſent ſepeliendi, quia non ſunt verè Religioſi. *Petrus de Vbaldis, de canon: Epiſcop: c. 9. n. 34. Angel: in V. ſepultura n. 26.* quia allegant Archidiaconum: ſed quidquid ſit de iure communi, obtentum tamen eſt conſuetudine, vt in Monaſterio ſepeliantur. Sic docent *Fabianus, & Armilla, verb: ſepultura ſigl: q. 8. dicto 7.* & idem docet, attentis Religionis priuilegijs. *Manuel: tom: 3. quæſt: Regul: 9. 60. a. 2. fine.* Temperat hoc Syluester, niſi Nouitius ille eſſet in propoſito redeundi ad ſeculum; quia cùm tunc elegiſſet in ſeculo mori, cenſetur quoque elegiſſe ſepulturam: Sed non placet limitatio, quia dum ad ſeculum non redijt, adhuc manſit Nouitius; ergo debet gaudere priuilegijs, & conſuetudine introductis in Nouitiorum fauorem.

QVÆSTIO LVIII.

Quibus expenſis ſepeliendi ſint Nouitij?

RESP: Quòd videntur non Monaſterij expenſis ſepeliendi, cùm non ſint veri Religioſi. Sed dicendum eſt, ſi patrimonio careant, eſſe expenſis Monaſterij eos ſepeliendos; quia ſunt membra illius, & inhumanum eſſet eos inſepultos relinquere. Si verò patrimonium habeant, ſunt illius expenſis ſepeliendi: quòd non ſint Religioſi, & ſi tunc Monaſterium eos ſepeliat, repetet expenſas ab hærede. Ita docent *Petrus de Vbaldis de canon: Epiſcopal: c. 13. n. 3. Manuel: quæſt; Regul: tom: 3 q. 60. a. vlt:* Quibus addo, ſeruandam eſſe conſuetudinem, ſi ea haberet vt in quocunque caſu expenſis Monaſterij ſepelirentur. *Sanchez lib: 6. cap. 14. n. 12. Operis Moralis.*

Antene-

QVÆSTIO LIX.

An teneatur Monasterium soluere expensas ab alio factas in funere Nouitij defuncti extra Monasterium, vbi ex Superioris obedientia erat: & quid si Nouitius ille patrimonio careat, ac parentes eius superstites sint, ac diuites?

RESP: Quòd si Nouitius patrimonium non habeat, nec parentes, tunc tenetur Monasterium, ac si Nouitius in Monasterio defunctus esset: quia sicut Monasterium tenebatur, si in eo mortuus fuisset, ita quoque vbi de Superiorum licentia Nouitius morabatur. Si verò Nouitius ille patrimonio careat, ac parentes eius superstites sint, ac diuites, existimo in hoc seruandam esse consuetudinem receptam in ea Religione, & sequuta ea consuetudine petendi eas expensas ab hærede Nouitij, sepeliendum esse expensis Monasterij, quia in eius obsequio, & sub eius obedientiâ obijt, separatus omnino, licet reuocabiliter, à cura paterna. *Sanchez in oper: moral: lib: 6. c. 14. n. 13.*

QVÆSTIO LX.

An Religiosus viator, mortuus in hospitali, vel aliqua domo priuata, debeat sepeliendus deferri ad suum Conuentum, vel in Parochialem Ecclesiam? Et quid de Clerico seculari peregrino dicendum est?

RESP: Quòd hanc quæstionem ex professo ponit, *Nicolaus Boerius, decis: 175.* vbi dicit, quòd si dictus Religiosus fuisset eiusdem Conuentus Professus, non esset dubium, quin in suo Conuentu, & Monasterio deberet sepeliri; ex quo poterat ibi commodè portari. *vt c. Religiosi, de sepult: lib: 6.* sed iste cé-

ſetur viator, & peregrinus, vnde ſecundum *Archi: in c. 1. eod: tit: & lib: 6.* debet in Eccleſia Parochiali illius loci ſepeliri, *argum: c. Eccleſias, 13. q. 1.* & idem, tenent *Archid: & Ioan: de Turrecremata. & Lapus in d. c. Religioſi, & Paulus de Leaza in Cle: dudum. eod: tit.* Sed Gloſſa, *in c. in noſtra, eod: d. tit: in antiq.* quam ſequuntur, *Innoc: Ioan: Andr: & Zabar: in c. 1. eod: tit:* tenet, quòd apud Eccleſiam Cathedralem, *argum: vbicunque 13. q. 2.* & idem *Cardin: in Cle: dudum. §. verum. quæſt: 20. de ſepult: Sed Ant: Butr: in d. c. 1.* dicit, quòd talis Religioſus debet ſepeliri in Monaſterio ſui Ordinis, *vt 16. quæſt: 1. c. 1. in fin:* ibi mortuũ non ſepeliat, niſi Monachũ in Monaſterio ſecũ commorantẽ, vel ſi fortuitò quenquã aduentitiũ fratrũ ibi mori contigerit: & ibi Glo: quod dictũ Ant. fortè ſecundum Abb: Sicul: non procedit, vt ſtatim dicam. Si verò ſit Clericus ſecularis peregrinus, tunc debet ſepeliri in Eccleſia Cathedrali. Sed *Abb: Sicul: in d. c. 1.* non facit differentiã inter Religioſos & ſeculares Clericos; & ipſos laicos, *argum: cap. attendendum. de conſecr: diſt. 1. & d. c. Religioſi.* in laicis tenet ibi Ant: Quòd ſi traxerunt moram in loco per aliquod tempus, vel venerunt animo ſtandi ibi per aliquod tempus, ſicut ſunt ſcholares; tunc debent ſepeliri in Eccleſia Parochiali, *vt no: in c. omnis vtriuſq; ſexus. de pœnit: & remiſſ: & per Gloſſ: in Clem: 1. de priuilegijs:* & ipſum in hoc ſequitur, *Abb: in d. c. in noſtra.* & idem tenet *Calder: in conſ. 2. tit. de ſepult.* Et iſtud dictum facit multum pro Religioſis Mendicantibus, & contra Abb. Sicul: iudicio meo: quia Religioſi Mendicantes, qui non habent proprium Monaſterium, aut Conuentum, niſi illum, in quo vltimo miſſi ſunt, ex obedientia per tempus & tempora, per omnes Conuentus eorum Ordinis tranſmittuntur. Ergo in ipſis Conuentibus ſepeliendi ſunt, quia ibi cauſa moræ tranſmittuntur, & Sacramenta recipiunt Eccleſiaſtica, & ſic non cenſentur tales Religioſi peregrini, & tranſeuntes ſi portari poſſunt.

Ideò in caſu noſtro Religioſus exiens, & intrans hoſpi-

tale, &

tale, & ibi decedens, debet sepeliri in Conuentu sui Ordinis ex quo exiuit, & moram traxit. Et illud dicitur propriè Monasterium, ad quod propriè portari potest, iuxta dictum *cap. si Religiosi. & cap. nimis. il primo. & ibi Abb: Sic: de excess: Prælat:* Vbi dicitur, quòd possunt eligere sepulturam, si sunt in remotis extra eorum Monasterium, vt tenet ibi, *Innoc:* quem sequuntur, *Abb: & Doct: ibi. & Hostien: in c. quòd de vxo. c. de sepult: & Arch: in d. c. 1. 16. quæst: 1. & cap. vt priuilegia. de priuileg: & ibi Hostien: & Doct: & hodie est text: in d. c. si Religiosi. lib. 6.* Sed si commodè portari possunt in eorum Conuentum, debent inhumari. Vnde hîc censentur, ac si essent in ipso Conuentu, quia præsens habetur, qui in hortis est. *l. præsens, cum l. seq.* & *ibi Bal: & Alex: in addit. ad Bar: & Abb: de Rosa ff. de procura. &* etiã bonus tex: *in c. Is quia. in fin: de sepul: lib. 6.* & ita intelligit, *Philipp: Franch: in d. c. si Religiosi. in pen: q.* & etiam de Anch: videlicet, quòd Religiosus, qui in remotis decessit, sepeliatur in Ecclesiâ Parochiali, si non electâ sepulturâ decesserit: aliâs in loco Monasterij sui Ordinis, si commodè potest portari. *& ita alleg: Abb: Sicul.* & tenet *Henri: Boic: in d: c. Angel: de Claua, in sua summa, in 3. par. tit: 10. c. 5. in princ.* Quemadmodum dicitur de Nouitio, seu ingresso Religionem, qui moritur intra annum probationis, quòd sepelietur in Conuentu, seu Monasterio, in quo habitum recepit, & non in prima Ecclesia, vnde priùs erat Parochianus, ex quo fuit conuersus, & mutauit, seu mutare voluisse videatur domicilium, & sic desinit esse Parochianus primæ Ecclesiæ *cap: fin: de Parochia.* Secundum *Gosfre: & Hostien. Io: Andr: & Anton: de But. in c. de his.* quos sequũtur ibi *Anch: & Abb: Sicul: de sepult. & Petr: de Perus, in tract: de Canonic port: ℣. 12.* quæritur. & *Abb: Sicul: in c. 2. eod: tit. & Philip: Franch: in c. 2. in princ: eod. tit: in l. 6.* Licet ibi Archid. Dominic. teneant contrarium, sequendo Tancred. Sed in vtroque casu præcedentem opinionem tenet Syluestr: *in sua summa intitulata, Syluestrina. in 2. par: de sepul. §. 8. versic: secun-*

 dum

dum, peregrini. & verſ: ſeptimum, Religioſi. vbi dicit *in d. ver: ſecundum peregrini.* Quòd ſtandum eſt conſuetudini: quæ ſi nõ apparet, ſtabitur diſtinctioni Domini, Ant: de But: qui optimè iuribus iura concordat: & opinioni diſtinguenti Regulariter ſtatur, vt ibi dicit, *& in verb: ſeptimum, Religioſi.* Quòd Nouitij debent, vſu & conſuetudine, ſepeliri in illis Monaſterijs, in quibus aſſumpſerint habitum. Et ita concluſum fuiſſe in fauorem Religioſorum contra Curatum Parochialis Eccleſiæ.

QVÆSTIO LXI.

An Religionis Prælatus poßit ſibi eligere ſepulturam? & an finitâ Prælaturâ, ſit ſepeliendus in loco electo?

R*Eſp:* Quòd quidam negant: id ſolùm concedentes Supremo Religionis Prælato, qui eſt Generalis, quòd in alijs non militet ratio, *c. fin: de ſepult: in 6.* cum non habeant velle aut nolle. Sic tradunt, *Sylu: verb: ſepultura. q. 6. & ibi Armilla, n. 6.* Quòd Generalis id poſſit, patet, quòd in multis habeat velle, aut nolle, & habeat ſubditos in ſua poteſtate, & ita ſatis innuit *Io: Andr: in d. c. fin: in l. fin: de ſepult: in 6.* dum ait intelligendã eſſe eam propoſitionem de Religioſo Clauſtrali; quaſi dicat, de eo, qui eſt alteri ſubiectus in Monaſterio, & tenet ſub aliquali dubio. *Abb: c. de vxore. n. 5. de ſepult.* idem tenet *Franchus d. c. fin: Roſſela ver: ſepultura. 2. n. 2. Tabien: ver: ſepult. q. 4. n. 5. Manuel: qq. Reg: tom: 3. q. 60. art: 1.* Quòd ſi Prælatus hic eligeret ſepulturam, & poſtea decederet, finitâ Prælaturâ, non eſſet ſepeliendus in loco electo, ſed in ſuo Monaſterio quia inſpicitur tempus mortis ad habilitatem eligendæ ſepulturæ diſcernendum: at tunc temporis non erat ille Abbas: ſic docet Petrus de Vbaldis, quem refert, & ſequitur Manuel allegatus.

QVÆ-

QVÆSTIO LXII.

Si testator, in loco vbi commoratur, sepulturam elegerit in seculari Ecclesia, cui pro anima sua legata reliquerit; deinde in alio loco decedat, ibique in aliqua Religiosorum Ecclesia sepeliri voluerit; an dicti Religiosi sint admissibiles ad petendum legata Ecclesiæ seculari prius relicta?

RESP: Negatiuè: per ea quæ decidit *Cyn: post Pet: de Bellapert: in l. 1. ver: 6. quæro. C. de Sacros: Eccl.* vbi dicit, quòd, quando reliquit Ecclesiæ Parochiali decem; & tempore testamenti habitabat in vna Parochia, & tempore mortis in alia, in qua sepultus fuit; recurrendum esse ad coniecturas. Et coniecturis cessantibus, si legatum erat modicum, respiciens sumptus tamen funeris, tunc debetur illi, in qua est sepultus. Si verò esset magnum, tunc debetur Ecclesiæ Parochiali, in qua erat tempore facti testamenti, cuius contemplatione fecisse videtur, *vt l. nec adiecit. ff. pro soc.* Et eum sequuntur, *Gul: de Cug: in vlt: q. Sal.* & etiam *Paul: de Cast: in d. l. 1.* vbi *Guel: alleg: text: in l. alumnæ. §. Titia liberta. ff. de adi: leg.* Et tenet, *Bar: Socin: l. quæ conditio. §. fi. in 4. quæst. ff. de cond: & demonst. & Rom: in auth: similiter. in l. in 33. Priuileg. C. ad leg: Falc: & Ias: in d. l. 1. in lectura* Papien. Et in terminis consuluit *Feder: de Sen: in cons: 10. incip: casus talis: Quidam elegit sepulturam apud Fratres Minores.* Immo plus, vult, quòd Ecclesia, in qua priùs elegerat sepulturam, non teneatur soluere Canonicam portionem de sibi relictis, sed Ecclesia, in qua fuit sepultus: & tenent Io: And: & Dominic: Petr: de Anch: & Philip: Franc: quando est expressa Ecclesia, prout in casu nostro; vel etiam quando testator non mutauit Parochiam, sed de tempore testamenti habitabat in vna, & tempore mortis in alia: vt sentit *Abb: in cons: 119. ver: circa secundum dubium.*

Aliás verò, si mutauit in totum Parochiam, debetur illi Parochiæ, quæ erat tempore mortis; cùm illud tempus sit cõsiderandum, *argum: l. placet. cum seq. ff. de liber: & posthum. & l. quidam. ff. de vin: & triti: leg. & l. situ. ff. de aur: & argen: leg.* Aduerte tamen, quòd *Gul: de Cug: in d. l. 1.* loquitur quando testator mutauit domicilium, & Parochiam: quòd prima Ecclesia habeat legatum: & idem *Io: Andr: in d. c. 2. & Alber: in d. l. quæ conditio. §. fin.* Tamen opin: *Pet: de Anchar:* videtur mihi magis æqua, & iuriconsona, ex quo mutauit domicilium causâ perpetuæ moræ, vt *Arg: c. Is qui. de sepult.* nisi aliud appareat de mente Testatoris, *l. si seruus plurimum. §. 1. ff. de leg: 1.* Et ità conclusum fuisse in Curia Burdegalen: asserit *Nicolaus Boerius, Decis: 176.*

QVÆSTIO LXIII.

An pactum, iuramentum, votum, vel fides interposita ad suggestionem Regularium, vel Clericorum, de eligenda sepultura, vel electa non mutanda, sint prohibita sub aliqua pœna?

R*Esp*: Sunt prohibita sub pœnis contentis in *c. 1. de sepult: in 6.* & inducentes sunt ipso facto excommunicati, nec ab alio quàm à Romano Pontifice, præterquam in mortis periculo, possunt absolui. *Clem: cupientes. de pœnis.* Nihilominùs, qui non inductus ad aliorum suggestionem promittit, & liberè se obligat ad sepulturam in aliquo loco, & iurat, tenetur ad obseruantiam iuramenti. Ita determinauit Rota Romana. *decis: 2. de sepult. Cæsar: de Graff: ex Spec. §. compendiosè. n. 26. de Instrum: edit. & in tit: de sepult. n. 6. & Hostien: quem sequitur Angelica, in verbo, Sepultura. n. 40.* Quidquid alij dixerint, & conclusum fuit in Rota, quòd accipiens maioratum fidei commissum, vel donationem, & astringens se Iuramento ad eligendum se-

dum sepulturam, secundum voluntatem testatoris, tenetur ad obseruantiam: quia res debet transire cum causa sua; & si nolebat iuramento astringi, debebat dimittere maioratum: vt latiùs in d. decis: habetur.

QVÆSTIO LXIV.

Quot testes requirantur ad probandam electionem sepulturæ; & an per testes singulares probetur?

RESP: Quòd ad probandam electionem sepulturæ requirantur saltem duo, vel tres testes, cùm sit species vltimæ voluntatis, & agatur in ea de præiudicio Ecclesiæ Parochialis; sicut quælibet dispositio ad pias causas requirit numerum duorum, vel trium testium. *c. cum esses, de test*: Ita Sebastianus Medices, *de Sepult: q. 8.* quo loco subdit solum propositum eligendi, sine electione sepulturæ, non sufficere; quia propositum in mente retentum nihil operatur, *l. si repetendi, C. de condit: ob causam.*

Probatur verò electio sepulturæ per testes singulares: nam quando tempus non est de substantia, benè probant testes singuli. Guid: Papæ, *decis: 544. Capell. Tolos: decis: 11. & Bellar: in decis: 368.* nam testes singulares admittuntur, vbi agitur de probando quid in genere; & fuit iudicatum, quòd sic, vt refert, & sequitur *Grauet: in tract: de antiq: temp: in 4. parte. n 25.* Et in Curia etiam Archiepiscopali Neapolitana, vt testatur Riccius in praxi rerum fori Ecclesiastici *decis: 664. in titulo de Sepult:* Qui multos alios refert Doctores hanc opinionem tenentes.

QVÆSTIO LXV.

An Episcopus possit astringere hæredes defunctorum, vt in funeralibus conuocare debeant Clericos, vel Religiosos Parochiæ tantùm, exclusis alijs?

 Resp:

R*Esp*: Negatiuè, nam cùm conuocatio ista respiciat priuilegium totius Cleri, vtique restringendo, aut moderando illud ad proprios Ecclesiæ Parochiæ Clericos, vel Religiosos, libertatem Ecclesiasticam restringit *Syl: in verbo, Immunitas. el secundo, sub n. 11.* etiamsi extent desuper consuetudines, nam huiusmodi consuetudines tanquam scandalosas, & sacrilegas extorsiones detestatur Sotus, *de Iust: & Iur: q. 6. art. 2. vers: hic autem. & faciunt notata in c. vestra. de locato.*

QVÆSTIO LXVI.

An corpora defunctorum, tradita perpetuæ sepulturæ in Ecclesia seculari vel Regulari, possint transferri de loco ad locum sine licentia Episcopi?

R*Esp*: Negatiuè, nisi ex iusta causa ruinæ, vel alia necessaria causa, ab Episcopo approbanda, & de eius licentia, *l. 1. l. humanum. C. de Relig: & sumpt: fun:* Nisi fuissent reposita in aliquo loco per modum depositi; tunc enim possent aliò asportari, *l. si necdum, C. de Relig: & sumpt: funer:* & ita vbique seruatur.

QVÆSTIO LXVII.

An Regulares Mendicantes, quando vocantur ad funus, possint deferre crucem inuito Parocho, per eius Parochiam?

R*Esp*: Negatiuè, ex Bulla Leonis X. sacro approbante Concilio.

QVÆ-

QVÆSTIO LXVIII.

An quoties cadauera fidelium ad Ecclesiam Fratrum Mendicantium deferuntur, officia mortuorum, & reliqua officia, quæ in huiusmodi ministerio circa cadauera adhiberi solent, debeant à Clero, vel ab ipsis Fratribus obiri, & peragi?

REsp: Quòd ab ipsis Fratribus peragi debent: prout declaratum fuisse à Sacra Congregatione testatur Genuensis in sua Archiepiscopali praxi Neapolit: *c. 76. n. 14.* Quòd si aliter de consuetudine à Clero obseruetur, consuetudo tunc obseruanda est: *iuxta tex: in c. fin: de consuetud:*

QVÆSTIO LXIX.

Purificatio mulierum post partum, benedictio ouorum & Domorum, ad quem spectat?

REsp: Spectare ad Parochum, quia habet fundatam intentionem super omnibus oblationibus, quæ fiunt intra Parochiam. *Ant: Abb: Imola, in c. parochialis, de his quæ fiunt à Prælatis sine consensu Capit: Marianus Socinus, de oblat. libell: 18. q. 6.* vbi testatur de communi. facit, *c. pastoralis, & c. quoniam, de decim:* in quibus Iuribus patet, quòd Parochus habet fundatam intentionem super oblationibus, quæ fiunt intra Parochiam: & *Troilus Maluet: de oblat: in 4. dub: col: 7. dicit esse communem.* & licet purificatio post partum non sit actus necessitatis, sed deuotionis, *c. vnic: de purificat: post partum.* & proinde videtur, quòd ab omnibus Secularibus, etiam Regularibus expleri possit: Nihilominùs, quia in ea fit quædam oblatio candelæ in honorem oblationis factæ per Beatam Virginem turturum, vel columbarum, super quibus oblationibus Parochus habet

inten-

intentionem fundatam, quòd ad ipsum solum, non ad alios Sacerdotes spectet purificare mulieres post partum; & absurdum est, quòd in vna Ecclesia fieret purificatio, in alia oblatio, seu alteri Sacerdoti; non enim perficeretur ille actus deuotionis purificationis. Item benedictio nuptiarum, est de consilio, *c. 1. sess: 24. de refor. matr. Conc: Trid:* vt probat, *Nauar: cap. 22. n. 83.* & tamen à proprio Parocho fieri debet, *d. c. 1.* Idem videtur dicendum de benedictione ouorum, & tantò magis domorum; cùm fiat extra Ecclesiam in Parochia, in qua non possunt se intromittere Regulares: sed habenda est ratio consuetudinis legitimè introductæ, *iuxt. cap: fin: de consuetud.*

QVÆSTIO LXX.

An debeatur quarta funeralis à Regularibus, si Rex, Princeps, vel quiuis alius sepeliatur in vno loco, & in alio postea fiant pro eo solemnes exequiæ?

R*Esp:* Quòd primâ facie videtur dicendum, quod non; si quidem *iuxta notata in Clem: dudum. de sepul:* funeralia dicuntur, quæ cum funere ducuntur. Contrarium verò tenet, *Calder: in cons: de sepult:* ex pluribus: ad quem breuitatis causa te remitto. Et ita vidi vbique obseruari in omnibus locis, vbi Vicarij munere per triginta annos functus fui.

QVÆSTIO LXXI.

An charitatiuum subsidium exigi posit ab exemptis, & à Monasterijs Regularium virorum & mulierum?

R*Esp:* Affirmatiuè: dum tamen modus non excedatur. tex; à contrario sensu, *in Clem: prima, §. nonnulli. iuncta Gloss: in verbo, exigendo.* vbi etiam *Abb: n. 11 & Anchar: in 8. not: de excess: Prælat: Abb: in c. dilectus. n. 4. vers: quinto. Innoc: in c. 1. de statu*

Regul;

Regul: Hostien: in Summ: de officiorum: § 2. vers: nunquid Episcopus,
Alex: de Neuo: cons: 58. n 8. & seq. Boer: decis: 135. n. 4. Fallit tamen, vbi in fauorem Monasteriorum allegatur consuetudo tanti temporis, cuius initij memoria non existit, ex quo non soluerint, *Abb: cons: 26. n 4. & 5. p. 2.* vbi dubium esse dicit, an exclusâ consuetudine Monasteria Regularium teneantur ad subsidium charitatiuum. Moniales verò non habentes redditus vltra summam quatuordecim Ducatorum auri de Camera, pro victu cuiuslibet Monialis, & alios redditus non habentes, non tenentur ad huiusmodi subsidia, neque ad decimas Papales; prout sanciuit Pius IV. in constit: X. & tenet *Thesaur: fori Eccl: cap: 27. n. 86.* Circa quantitatem verò summæ, quæ sit exigenda pro charitatiuo subsidio, variæ fuerunt opiniones. Verior tamen sententia est *Card: in c. cum Apostolus de cens: q. 7. & in c. 1. col: 2. de excess: Prælat:* dicentis hoc esse in arbitrio Episcopi, qui tamen si indebitè arbitretur, appellari potest, *Boer: decis: 134. n. 5. & 6. Gramm: decis: 88. n. 3. Menoch: de arbitr: lib 2 cons: 179. n 4.* Nam huiusmodi arbitrium, importat arbitrium boni viri, & arbitrium regulatum à Iure, *Rot: decis: 9. n. 2. de rescrip: in nouiss.* Quando autem ex necessitate imponitur & solui debet, tunc potest Episcopus compellere sibi subditos ad charitatiuum subsidium soluendum. *Archid: in c cauendum, n. 2 10. q. 3 Host: in d. c. cum Apostolus.* & alij. Causæ autem iustæ, & rationabiles imponendi charitatiuum subsidium sunt istæ. Prima in promotione, & consecratione Ecclesiæ, & post adeptam possessionem, & hoc pro solutione Bullarum, & annatæ. Secunda pro recuperatione Ciuitatum, & locorum, ac bonorum Ecclesiæ occupatorum. Tertia, quando Prælatus vocatur ad Papam, seu ad Conc: general. Quarta, quando lis magna Ecclesiæ mouetur. Quinta in ad aduentu Regis, maximè, si Episcopus ab eo tenet Regalia, seu quando debet ad illum proficisci pro communi vtilitate, seu Ecclesiæ necessitate. Sexta quando pro Ecclesiæ summa vtilitate, & ne-

cessitate, emi debet aliquod castrum, vel oppidum, ad expellendos, vel procul arcendos hostes, ita DD. suprà citati.

QVÆSTIO LXXII.

An Regulares, sint exempti à decimis persoluendis? & quid si priuilegio Apostolico sint effecti immunes, Priuilegium intelligitur solùm de decimis personalibus, an etiam de prædialibus?

RESP: Quòd Regulares, nisi à Sede Apostolica sint effecti immunes à decimis soluendis, tenentur eas soluere de Iure, & nemo est, qui de hoc dubitet. Quæstio est, quando habent priuilegium Apostolicum exemptionis. Et notandum est, Religiosorum Ordinibus, inter cætera priuilegia, hoc etiam concessisse Pontifices, vt sint à decima persoluenda exempti. Vnde in priuilegijs quibusdam sic habetur: De domibus, Monasterijs, & Collegijs, & eorum prædijs, hortis, & alijs locis, quæ habere possunt: aut de ijs, quæ pro eisdem emendis, eis pro tempore legari, aut donari contigerit, & denique de alijs bonis, per Ordinem, siue Religionem possessis, & obtentis, non tenentur soluere aliquam decimam, etiam Papalem, seu canonicam portioné exhibere; nec ad præstationem procurationum, aut exactionum, collectarum, vel prouisionum quarumcunque: nec ad id etiam per literas Apostolicas compelli; nisi eiusmodi literæ de hoc indulto de verbo ad verbum fecerint mentionem. Item aliqui Romani Pontifices solent Religiosorum, siue Monachorum Ordinibus Priuilegium cōcedere, quo ipsos eximunt, & eorum prædia, à quibusuis decimis, etiam Papalibus, prædialibus, personalibus, quartis, medietatibus, & alijs fructuum partibus; subsidijs etiam charitatiuis, & alijs Ordinarijs oneribus, etiam pro expeditione contra infideles, defensione patriæ, & aliâs quomodolibet, etiam ad

Impor-

Imperatoris, & inferiorum Principum instantiam impositis. Et quamuis in ipsa impositione caueatur, vt nulla prorsus exemptio cuiquam aduersus illa suffragetur. Et solent derogare constitutioni, quæ incipit, *Nuper. de Decimis.* vbi constitutum est, vt Cistercienses Monachi ex fructibus prædiorum, quæ acquisierant, post Concilium generale Lateranense sub Innocentio III. decimam soluere debeant; etiamsi eiusmodi proprijs manibus, vel sumptibus excolant, si ex illis prædijs antea decimæ solui solebant, quod decretum comprehendit, vt ibi dicitur, alios Regulares, qui similibus priuilegijs potiuntur. Item concedunt aliquando Romani Pontifices Religiosorum Monasterijs absolutè, ne decimas soluant ex prædijs, quæ habent: aliquando in Priuilegio dicunt, ne soluant decimas ex prædijs suis.

His positis dicimus inprimis, certi iuris esse, Priuilegio Pontificis Romani, posse aliquos eximi à decimis soluendis; quod asserit *Glossa, Hostiensis, Ioan: Andreas, & Panormitanus. in c. licet. c. ad audientiam. c. ex parte tua, ad nos. de decimis.* Dubitatur itaq; an si prædictum Priuilegium, vt suprà productum, alicui Monachorum Ordini concedatur, eo ipso, Ordo sit immunis, ac liber simpliciter, atque absolutè à decimâ prædiali, quæ Parochis debetur. Oldradus *in cons: 268.* censet, quandocunque eiusmodi Priuilegium Monasterio, vel cuilibet Religioso Ordini conceditur, rationem habere tantummodò in decima agri noualis; non autem esse trahendum ad decimam prædialem, quæ antea Parocho soluebatur. Hanc sententiam ita confirmat: Priuilegium enim Principis, quamuis sit plenissimè declarandum, quando solùm est præter commune ius, non tamen cum communi iuri derogat: nam interpretari Priuilegium debemus, vt quàm minimum fieri possit, iuri alterius noceat. *l. prætor ait. §. meritò. ff. ne quid in loco publico. & c. ex tuarum. de authoritate, & vsu palij. & c. cum Capella. de priuileg.* Ergo priuilegium Pontificium solùm intelligitur de decima

cima agri noualis, qui nunc primùm proſcinditur ad culturã redactus, ex quo antea decima non ſoluebatur. Cæterùm longè probabilior eſt opinio contraria, quam habet Abbas *in c. dudum. de priuil.* nam prædictum priuilegium eximit à decima, non ſolùm perſonas, ſed etiam bona quælibet: ergo non ſolum agros, qui coli non ſolebant, ſed etiam eos, qui erant ſub hominum culturâ. Nec pro Oldrado quicquam facit id, quod habetur *in c. dudum. de priuil.* nam in eo capite ſolùm agebatur de priuilegio, quo quidam erant exempti à decima nouali, & decernit Pontifex eiuſmodi priuilegium non protendi ad decimam tempore priuilegij impetrati poſſeſſam ab alijs, niſi de poſſeſſione alterius facta ſit in priuilegio mentio. Nam, vt ibi ait Panormitanus, Priuilegium, in quo non fit mentio de poſſeſſione alterius, non nocet poſſeſſori: quod intellige, inquit, quando impetratur circa decimas noualium: ſecus, vbi priuilegium eſt impetratum ſimpliciter, ne decimas quis ſoluat: quia tunc valet, etiamſi mentio non fiat de poſſeſſione alterius. Et ratio diuerſitatis eſt, quia decimæ ab aliquo poſſidentur. Vnde cum Pontifex concedit priuilegium, ne decimæ ſoluantur, eo ipſo vult derogare poſſeſſoribus, quia tacitè mentionem facit de poſſeſſione. Aliud verò eſt in decimis noualium, quia priuilegium poteſt intelligi de agris, qui nondum ſunt ad culturam redacti, proinde nullus poſſidet decimas illorum. Hæc ferè ex Abbate in eo capite. Deinde in dubium venit, an præfatum priuilegium, Religioſis ſiue Monachis conceſſum, vel aliud ſimile, eximat eos ſolùm à decimis perſonalibus, an etiam à prædialibus? Atque hæc dubitatio inde oritur, quod decima prædialis, Parochijs & Eccleſijs debetur, quorum iuri non cenſetur Pontifex derogare. Sed certum mihi videtur eſſe, tali priuilegio Pontificis eximi Religioſos à decima prædiali: nam generatim priuilegium habet: (à quibuſuis decimis) quæ verba vniuerſim dicta, nihil excipiunt. Deinde etiam in priuilegio dicitur: (A decimis

cimis prædialibus.) Obijcies primum, in priuilegio dici (A quibusuis decimis, etiam Papalibus, prædialibus, personalibus.) Ergò verba illa Prædialibus & personalibus, referuntur ad proximè præcedens verbum, Papalibus, ita, vt sensus sit, eximi Religiosos à decimis prædialibus, siue personalibus, quæ Romano Pontifici debentur; non autem ab ijs, quæ debentur Parochijs. At enim dubitari non potest, priuilegium esse simpliciter intelligendum. Verba enim sic habent (A quibusuis decimis etiam Papalibus) quæ nimirum solent esse extraordinariæ: ac ne quis dubitaret de his, additum est, etiam Papalibus; ac deinde subiungitur, prædialibus personalibus, & alijs ordinarijs oneribus: quibus verbis priuilegium extenditur ad omnem decimam prædialem, inquam, personalem, & extraordinariam.

QVÆSTIO LXXIII.

An priuilegium, concessum à Summo Pontifice Regularibus, decimas non soluendi, solum eximat eos quibus datur à decimis soluendis ex ijs prædijs, quæ eo tempore, quo priuilegium impetrârunt, & possidebant: an etiam à decimis ex prædijs, quæ postea in ipsorum dominium deuenerunt?

RESP. Quòd Oldradus, *in cons. 268.* putat ea Pontificia priuilegia tantummodò locum habere in primis decimis, non in secundis, duplici argumento permotus: primum sumit, *ex cap. Dudum. de priuileg.* cui argumento in alia præcedenti quæstione respondi. Secundum sumit argumentum, *ex cap. si quis laicus. & c. Ecclesiæ. & c. quicunque. 16. q. 1. & cap. cùm non. de Decimis. & cap: ex literis. de pignoribus.* vbi dicitur, rem, in quemcumque possessorem deuenerit, cum suo onere transire: Ergo si prædium in Religiosos translatum decimam soluebat, manet sicut antea obligatum. Attamen

men longè probabilius est, quod dixi, priuilegium vniuersim extendi ad quælibet prædia, siue ante, siue postea acquisita, ratio huius est, quia tale priuilegium non solùm est personale quo personæ à Decimis eximuntur, sed etiam reale, quo generatim quælibet prædia, & bona excipiuntur, & liberantur à Decima: & vbi priuilegij verba nihil distinguunt, nec nos distinguere debemus. Id verò, quod obijcitur, rem transire cum suo onere in possessorem: locum habet in priuilegijs personalibus, quibus personæ fiunt immunes ab onere, ac proinde, si res oneri subiecta ad eas personas deuenerit, obligatur sicut antea. Exemplum sit, Titio est personale priuilegium concessum, vt ipse immunis sit à tributo soluendo: donatione tamen rem tributo subiectam acquisiuit, debet eiusmodi tributum soluere, non ratione personæ, sed rei tantùm, quæ est in ipsum Titium donatione translata.

QVÆSTIO LXXIV.

An Coloni, qui prædia Religiosorum conducunt, vt ea colant, parte vna fructuum sibi retenta, & altera ipsis Religiosis soluta, sint liberi & exempti à Decima soluenda?

RESP: Quòd *in cap: licet de Decimis.* videtur esse plane constitutum priuilegium Monachis, aut Regularibus concessum, vt à Decima soluenda liberentur, non trahi ad eos, qui eorum prædia excolenda conduxerint. Nihilominùs tamen dicendum est, quandocunque priuilegium conceditur alicui Religiosorum Ordini, vt sit immunis, & liber à Decima soluenda si sit personale tantùm, non se extendere ad conductores prædiorum: si verò sit priuilegium reale, protendi ad conductores agrorum. *Sic Glos: in Clem: 1. de Decimis, in verbo excolendas. Sic ibi Ancharan: Imola, Cardinalis, ibidem, q 23. Abbas in*

in cap: ex parte, de Decimis, 1. n. 5. Quod probant, quia agri, ac prædia à Decima eximuntur; ergo etiam eorum conductor soluere Decimam non debet: ex quo fit, vt cum prædictum priuilegium non solùm sit personale, sed etiam reale, trahatur quoque ad eos quibus prædia sua ipse Religiosorum Ordo locat, quomodocunque ea locet; nimirum, siue eo pacto, vt cõductor sibi dimidiam partem fructuum acquirat, & alteram dimidiam relinquat ipsi Monachorum Ordini, qui tunc dicitur partiarius colonus; siue locet eo pacto, vt quotannis ipsi Ordini certa & taxata pars fructuum in omnem euentum reddatur, & reliquum sibi conductor acquirat, qui tunc dicitur colonus, vel conductor censualis. Ad id verò, quod obijciebatur *ex cap. licet. de Decimis:* Respondeo ibi sermonem esse de priuilegio, quod fuerat concessum Cistercien sibus, Templarijs, & Hospitalarijs, ne decimam soluerent ex prædijs, quos proprijs manibus, vel sumptibus colerent, ac proinde priuilegium dictum minimè trahendum fuit ad conductores, qui sibi fructus, vel ex toto, vel ex parte acquirunt: at verò priuilegium illud generalius est, nam in vniuersum concedit vt prædia certi Ordinis Regularis sint libera, & exempta à Decima.

QVÆSTIO LXXV.

An prædia, si quæ Religiosorum Ordo in emphyteusim habeat, libera quoque sint à Decima; ea item, quæ ab alijs conducta habet?

RESP: Quòd in *c. quidam dilecti. de Decimis.* præcipit Pontifex, vt Regulares Decimam soluant ex prædijs, quæ sibi laici locauerant, & ex quibus antea Decima soluebatur. Dicendum tamen est, etiam ad huiusmodi prædia antedictum priuilegium protendi, vt quidam volunt, quoniam in priuilegio excipiuntur generatim quæcunque prædia, & bona, quæ

Reli-

Religiosorum Ordo habet: sed quæ in emphyteusim accepit, verè, & propriè in bonis Ordinis numerantur: igitur ea quoque sunt à Decima exempta. Et cùm emphyteusis sit quædam ad longum tempus locatio, atq; conductio, fit, vt prædia quoque ipsi Ordini Religiosorum ad breue tempus locata, sint libera à solutione Decimæ: nam locatio ad longum vel breue tempus, rei substantiam non mutat. Obijcies, agri conductitij, qui vocantur, non sunt proprij; ergo priuilegium de Decima non soluenda ex agris proprijs, trahi non debet ad conductitios. *Resp:* Si priuilegium concessum alicui, tantùm habeat, ne Decimam soluat ex proprijs agris, vel ex suis agris, nequit extendi ad conductitios, *c. dilecti. de Decimis.* At quando hoc Priuilegium simpliciter, & absolutè conceditur, ne quis Decimam soluat ex prædijs quæ habet, comprehendit etiam proprios & conductitios fundos, & agros, quoniam vtraque habentur. Ad id verò, quod ex *cap: delicti. de Decimis.* obijcitur, respondeo, priuilegium Pontificis non fuisse simpliciter concessum, sed ea tenus duntaxat, ne Regulares illi Decimas soluerent ex fundis, quos proprijs laboribus, vel sumptibus, colerent. Et ideò respondit Pontifex. eiusmodi priuilegium ad agros conductitios minimè protendi.

QVÆSTIO LXXVI.

Quænam pœnæ, Iure communi, constitutæ sint contra eos, qui Decimas non soluunt?

RESP: In *c. statuimus. 16. q. 1.* & in Conc: Matisconensi II. esse constitutum, vt omnes cuiuscunque gradûs & conditionis sint, Decimas integras soluant ijs, quibus iure debentur; alioqui excommunicationi subijciantur. Vnde Synodus Trident: *sess: 25. c 12. de refor:* eandem pœnam confirmat, his verbis: *Qui Decimas, aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur: nec ab hoc crimine, nisi plenâ restitutione secutâ, absoluantur.*

QVÆSTIO LXXVII.

Quam pœnam incurrant Religiosi, quicunq; sint, qui Decimas debitas, & ad ipsos iure aliquo, vel causâ legitimâ, non pertinentes, sibi vendicant tanquam proprias, vel dolis, vel malis artibus vsurpant?

R*Esp*: Quòd in *Clem*: 1. *de Decimis*. Religiosi excommunicatione feriuntur, non solùm in casu supradicto, sed etiam quando non permittunt, vel prohibent Ecclesijs Decimas solui ex animalibus suorum familiarium, vel pastorum, vel ex alijs animalibus, quæ suis permiscentur; vel ex animalibus quæ in Ecclesiarum fraudem emunt, & committunt venditoribus, vel alijs, vt ea teneant, & custodiant; aut ex terris, quas colendas alijs committunt. Si admoniti ab ijs, quorum hoc interest, intra Mensem ab his non desistant. Aut si id, quod sibi ausu temerario vsurpârunt, non restituerint intra duos Menses Ecclesijs, quibus iure debentur; quæ excommunicatio nulli communi iure reseruatur.

QVÆSTIO LXXVIII.

An Religiosi, qui aliqua verba dicunt, vt retrahant audientes à solutione Decimarum, incurrant aliquam pœnam?

R*Esp*: Quòd sunt excommunicati, *Clem*: 1. *de Decimis* vbi duo requiruntur, vt pœna hæc vendicet sibi locum. Primùm, quòd talia verba proferant, vt retrahant audientes à solutione Decimarum. Secundùm, quòd proferant obligatis ad Decimas soluendas; secus si proferant alia intentione, vel non obligatis. Item nota, quòd hanc in pœnam incidunt, si hæc verba dicunt in sermonibus suis, id est in prædicationibus;

bus; vel alibi, id est in priuatis locutionibus. Item nota, dum dicit Religiosos, quòd hæc pœna non habet locum in Clericis secularibus, vel laicis, qui contra facerent.

QVÆSTIO LXXIX.

An Religiosi Confessores, & Prædicatores, teneantur facere conscientiam confitentibus, de Decimis soluendis?

R*Esp*: Quòd si scienter omiserint, suspensi sunt ab officio Prædicationis, donec satis faciant, si commodè possint: & si interim prædicant, sunt excommunicati. Quòd ita intellige: quando ab Ecclesiarum Rectoribus, vel eorum locatenentibus, fuerint dicti Confessores vel Prædicatores requisiti ad hanc conscientiam faciendam; aliâs non subijcerentur huic pœnæ. *Summa Pisana, & supplementum, in verbo, Decima. 1. §. 7.*

QVÆSTIO LXXX.

An posit denegari sepultura, ob Decimam non solutam?

R*Esp*: Affirmatiuè, vt in pluribus Diœcesibus seruari vidi, & consuetudo huiusmodi est toleranda in locis, in quibus est difficilis exactio Decimarum, auctoritate Nauarri, *c. 23. num: 106. & Caietani in summa, verbo, Simonia.* concludentiū, posse peti solita dari ante administrationem Spiritualium, quando timentur futuræ molestiæ, & contentiones. Sed *Rebuff: de Decimis. q. vlt. n. 16.* dicit laicos detinentes Decimas, debere carere Ecclesiasticâ sepulturâ, ex *c. prohibemus. de Decimis.* Sed an non reddentes Decimas, & alias debitas oblationes, possint puniri per subtractionem Sacramentorum: notanda sunt verba D. Thomæ, *2. 2. q. 86. art: 1.* cuius verba sunt, quod illi, qui oblationes debitas non reddunt, possunt puniri

per

per subtractionem Sacramentorum, non per ipsum Sacerdotem, cui oblationes sunt faciendæ, ne videatur per Sacramentorum exhibitionem aliquid exigere, sed per Superiorem aliquem. Hæc sunt verba, super quibus dicit Caietanus: *Quid faciet Sacerdos in tali casu? si ministrat Sacramenta existenti, in peccato mortali peccat; si non ministrat, peccat; erit ergo perplexus?* ad hoc dicit, quòd Sacerdos debet charitatiuè monere hominem non reddentem debitas oblationes, vt saltem sit paratus consulere conscientiæ suæ, iuxta boni viri iustum arbitrium: & si quidem consenserit, potest illi iam in bono statu existenti ministrare Sacramenta: si non consenserit, protestari debet coram alijs, quòd non propterea, quia ad eum peruenire debent oblationes, sed quia non est paratus conscientiæ suæ consulere, negat ei Sacramenta, donec Superior consultus prouideat; & sic debet denunciare Superiori, & interim non tanquam Iudex, sed tanquam deuitans, participare in peccato mortali cum illo, Sacramenta negare poterit: non remanet ergo perplexus, nec oportet eum vsurpare sibi Superioris potestatem.

QVÆSTIO LXXXI.

An Religiosi priuilegiati super Decimis noualium, teneantur soluere Decimas de terris nouiter cultis, si Parochiali Ecclesiæ aliquid primò soluebatur?

R*Esp*: Affirmatiuè, *c. commissum. de Decimis.* Quæ autem dicantur noualia, vide *c. quid per morale. de verb: signif.* vbi duo requiruntur; scilicet, quod non fuerit culta tanto tempore, cuius memoria non existat. Secundò, quòd ex illis nulla, vel parua commoditas percipi potuerit: ita *Zabar: in Clem: 1. q. 5. de Decimis.* An autem Decimæ debeantur de noualibus, id est de terrâ sterili & incultâ, si redigitur ad culturam, dico quod sic, & debentur illi Ecclesiæ, in cuius Parochia est sita. *c. quo-*

c. quoniam. de Decimis. facit text: *c. Pastoralis. de his quæ fiunt à Præl.* Si verò non sint in certa Parochia, debentur Diœcesano, qui potest sibi retinere, vel alteri concedere. *Graff: in decis: aur: de Decimis c. 27. n. 43.* Hinc infertur secundum *Abb. in d. c. quoniam.* quod Decima omnium nemorum, & locorum, quæ non sunt intra certam Parochiam, spectant ad Episcopum loci.

QVÆSTIO LXXXII.

Si animalia, propter bellum, fugiant de vna Parochia ad aliam, & ibi pariant, cui Parochiæ est soluenda Decima de eis?

R*Esp:* Quòd Decima solui debet Parochiæ, in quam fugerunt. Ita dicunt *Bal: Alber: & Paulus, in §. si quis igitur. in authen: quibus mod: natu: effic: sui.*

QVÆSTIO LXXXIII.

Religiosi priuilegiati super animalia, an animalia, quæ commiscentur cum animalibus ipsorum Religiosorum, sint priuilegiata?

R*Esp:* Quòd non; quia commixtum alteri, non gaudet priuilegio concesso ei cui fit commixtio, quando commixta sunt separabilia: & ita licet singula animalia singulorum Dominorum simul misceantur, vt faciant vnum corpus; tamen quilibet remanet Dominus sui animalis. *l. quicquid. §. fin. ff. de acquir: rerum dom.* secus verò si commixta non sint reducibilia ad eandem materiam, & non sint separabilia. *cap: quod in dubijs. de consecr: Eccl: vel Alt.* facit text: in *l. 1. §. Trebatius. ff. de aqua quotid: & æsti.*

QVÆSTIO LXXXIV.

An debeatur à Religiosis, vel alijs, quarta Episcopalis, de dote Ecclesiæ; & quando censeatur aliquid pro dote?

RESP: Affirmatiuè videtur respondendum, cùm non videatur excepta, prout quidam alij casus, in *c. fina: de testam.* In contrarium est veritas, quòd non possit detrahi de bonis assignatis pro dote Ecclesiæ. Ratio est, quia censetur assignata ad perpetuum cultum Diuinum, quo casu non detrahitur, *d. c. fin: de testam.* & ita tenent *Abb: in c. 1. de cens. Petrus de Perus: in tract: Canonicæ Episcopalis. in 7. cap.* idque est adeò verũ quod procedit, etiamsi relictum sit factum ad piam causam, prout Titius elegerit, & Titius eligat fabricam Ecclesiæ, vel dotem. *Bart: in l. vnic: ex familia. §. 1. ff. de legat: 2.* quia videtur satisfactum textui, in *d. c. fin: de testam.* pro potestate eligendi concessa Titio, &c. Item dicebat Petrus, *vbi supra,* quòd si à principio in fundatione Ecclesiæ, vel potest ipse fundans donare aliqua stabilia Ecclesiæ, sic vt non dixerit, quòd pro dote Ecclesiæ donaret, vel legaret, præsumitur in dubio, quod pro dote hoc fecerit, vt sic non possit detrahi quarta Episcopalis, ex quo Fundator ad hoc tenebatur, poterat compelli. *c. cùm sit. de consecrat: Eccl: vel Altar. Argum: l. 2. de acquir: poss. & l. quædam mulier. ff de rei vendicat.* & quia ex primordio, *titul: posterior fundatur euentus. l. vnica. c. de imponen: lucrat: descript: lib: 10.* Sequitur *Bar: Morellus, de dote. par: 1. cap: 1. n. 7.* vbi addit, quod etiam, quod fundans ad hoc non teneatur; puta, quia alia persona quàm fundans Ecclesiam, legaret aliqua stabilia ipsi Ecclesiæ, præsumitur, quòd ex causa dotis cõstituendæ hoc fecerit, quando tamen Ecclesia erat pauper, & indotata: quia ita suadet subiecta materia, per id, quod habetur in *l. quod autem. ff. de Iure dotium.* sed circa hoc dictum, vide *Lambert: de Iurepatr: lib: 1. par: 1.* qui explicat.

QVÆSTIO LXXXV.

An Beneficium curatum, eo solo, quod Monasterio vnitum sit, Regulare censeatur?

R*Esp:* Quòd non: tum quia nullo iure cauetur; tum quia contrarium significare videtur *tex: in c. extirpandæ. §. qui verò. de præbend. cum ei adnotatis per DD.* Nisi per literas vnionis, vel per consuetudinem præscriptam, factum fuerit Beneficium Regulare, vt fieri potest. *cap: cùm de Beneficio. de Præb: in 6. Nauar: cons: 11. de statu Monach.*

QVÆSTIO LXXXVI.

An Canonici Regulares Congregationis Lateranensis Ordinis S. Augustini, poßint suscipere Beneficia curata, & exercere curam animarum extra Ordinem de licentia sui Generalis, absque vlla alia dispensatione, & an cæteri etiam Regulares?

R*Esp:* Quòd sic, per *cap. Quod Dei timorem. de statu Monach:* & Panor: communiter recept: post *gloss: Hostien: & Ioannem Andream, & argumento à fortiori. per cap. in Parochia. cum Gloß: 19. q. 1.* & latissimè probant *Lamber: de Iure patr. lib. 2. part. 1. q. 7. art. 19.* & ante illum, *Rochus de Iure patr: verbo, honorificum. q. 4.* pro quo etiam est, *Glossa in Clem: 1. verbo, Religiosus. de elect: & Nauar: in terminis. cons: 12. de statu Mon.* Contrariũ tamen obseruatur, cum secularia Beneficia secularibus, & regularia Regularibus conferri debeant, vt probat *in c. cum de Beneficio. de præben: in 6. Bellam: decis: 171. incipien: Collatio facta Canonico.* & hodie nulli Regulares etiamsi sint Canonici Regulares, habere possunt Beneficia curata absque dispensatione Apostolicâ, nec in perpetuum, nec ad tempus; & ita semper obseruari videmus

demus: & insuper est quædam declaratio Sacræ Cong: Conc:
Trident: Quam refert Riccius in *decis: Curiæ Archiep: Neap:*
decis. ibo. prim. part: Cuius verba sunt hæc: *Sanctissimus Domi-*
nus Gregorius XIII. noluit licere Canonicis Regularibus Congr: Late-
ranen: etiam de licentia sui Superioris, absque permissu. Summi Pon-
tificis assumere curam animarum, etiam ad tempus: multoque minùs
Beneficium curatum ad tempus: dicit etiam, *Mandos: in praxi*
signaturæ gratiæ, in tit. de disp: Monach: pro obtinendis Beneficijs.
quòd licet olim daretur Monachis dispensatio ad vnum Be-
neficium curatum, contra *cap. Monachi. in princ: de statu Monach:*
hodie tamen non admittitur, nec dispensatur, prout in Bulla
Pauli IV. continetur, quæ est constitutio 28. ipsius in Bullario,
& in Constitut: incipien: *Postquam Diuina bonitas*, subdatum 13.
Kalen: Aug: 1558. vbi etiam disponitur, priuari quibuscunque
Beneficijs, etiam Curatis, Regularem, qui absque Apostolicâ
dispensione illa obtinuit; & licet dicta Constitutio Pauli IV.
fuerit redacta ad viam iuris communis per Pium IV. in sua
Constit: 8. quæ incipit: Sedis Apostolicæ solertia. sub datum
Nonis Augusti 1560. Tamen praxis semper admittit, quòd
sine Apostolicâ dispensatione Regulares, quicunque sint, ta-
lia Beneficia obtinere non valeant, stante decreto Gregorij
XIII. & præfata declaratione Conc: Trid: necnon Regul:
Cancellariæ 42. generaliter prohibente, nedum titulum, sed
etiam commendam Beneficiorum secularium Regularibus
dari. Non obstat, *d. tex: in c. quod Dei timorem. de statu Monach:*
vbi Canonici Regulares efficiuntur capaces obtinendi Bene-
ficia curata: quia correctio expressè apparet ex supracitatis
Iuribus.

QVÆSTIO LXXXVII.

Quæ, & qualia beneficia habeat Ordo Canonicorum Regularium?

Resp:

R*Esp*: Quod habet beneficia Ecclesiastica simplicia, habet Canonicatus, Abbatias, Præposituras, Personatus, Prioratus, Officia, Administrationes, vbi Abbas est, is toti Canonicorum Monasterio, siue Conuentui præest. Alicubi Abbates, Præpositi vocantur. Priores, sunt in duplici differentia: nam aut est Prior Conuentualis, aut Claustralis. Vbi Abbas est Prior, qui etiam Abbati subijcitur, dicitur Claustralis. Vbi Abbas non est Prior, qui vt Abbas toti Monasterio præest, dicitur Conuentualis, & habet sub se Priorem, qui est eius Vicarius. Omnia beneficia sunt Regularia, & proinde nonnisi Regularibus Canonicis professis iure dari queunt, iuxta id, quod habetur *in c. officij. de elect. & cap. nullus. de elect. in 6. cap: possessiones. de rebus Eccles: non alien.* quæ iura renouauit Concil: Trid: *sess: 14. c. 10. de reformat.* Item, Beneficia vnius Monasterij, iure non committuntur Canonicis alterius Monasterij. *c. cùm singula. §. prohibemus. de Præbend: in 6.*

QVÆSTIO LXXXVIII.

Quibus modis Beneficia Regularia conferantur?

R*Esp*: Conferri primò per electionem Canonicam; hoc est, suffragijs Canonicorum, & confirmatione Superioris auctoritate accedente, vt colligitur ex *cap: Monachi. §. Priores. de statu Monach.* Secundò, conferuntur auctoritate Superioris Regularis, videlicet Abbatis, Præpositi, vel Prioris; hæc dicuntur, aut dici possunt Beneficia Regularia collatiua; illa electiua: quia electiua, instar Beneficiorum secularium, quæ electiua dicuntur, dantur per electionem Canonicorum, & confirmationem Superioris. Collatiua verò in modum secularium Beneficiorum, quæ vocantur collatiua, simpliciter dantur, vel committuntur Superioris auctoritate. Tertiò dari solent per Canonicam institutionem, cùm videlicet Patronus nominat, & offert Canonicum, quem vult, & Superior eum institu-

instituit: hoc est, dat Beneficium ei, quem Patronus nominat, & offert. Quartò, conferuntur auctoritate Romani Pontificis, qui in *Regul: 3. Cancell:* reseruat sibi Prioratus, Præposituras, ac alias Dignitates Conuentuales, & Præceptorias generales quorumlibet Ordinum, præterquàm militiarum. Nimirum, reseruat sibi, vt ait *Mandos: in Regul: 3. Cancell. q. 8.* omnes Prioratus, & Dignitates Conuentuales, non Claustrales: quia Cõuentuales sunt Beneficia perpetua, & electiua; cætera verò Beneficia non sunt electiua, nec dantur in perpetuum, sed ad nutum Abbatis.

QVÆSTIO LXXXIX.

An Regularis sit capax Beneficiorum simplicium secularium; & an Episcopus in hoc dispensare possit?

R*Esp*: Quòd verior est Doctorum opinio, asserens, nullius Beneficij simplicis secularis esse capacem secularem. Probatur ex *Conc: Hispalensi. 11. c. 9.* & refertur *c. in nona actione, 16. q. 7.* Ibi; *In vno, eodemq; officio, non debet dispar esse professio. & ex D. Hieronymo, ad Riparium Presbyterum.* & refertur *c. Monachus, 16. q. 1,* Ibi: *Monachus, non docentis sed plangentis habet officium.* & *c. super eo: de Regularibus,* Ibi: *Nec amplius in Ecclesiis secularibus debent assumi, ne contra votum, quod Deo fecerunt, venire probentur.* & ex *c. quod Dei timorem. de statu Monach.* Vbi, in curæ animarum fauorem, indulgetur, posse Regulares ad Beneficium Parochiale assumi: ergo secus de Beneficijs simplicibus. & ex *c. cùm de Beneficio. de Præbend: in 6.* vbi deciditur, virtute prouisionis factæ per Pontificem Clerico seculari, de aliquo Beneficio, non posse illi conferri Beneficium Regulare, sed seculare: & sic videtur è contra dicendum de Beneficio seculari, respectu Regularis & *Clem: vnicâ. de supplend: negl: Prælat.* Ibi; *Beneficia illa, quæ consueuerunt per seculares Clericos gubernari; secularibus Clericis, &c. conferendo.*

 Nec po-

Nec potest Episcopus in hoc dispensare; quia nullibi id illi conceditur. Atque ita docent, *Abbas, c. super eo. n. 3. de Regular.* allegato Calderino. *& c. cùm Dei timorem. n. 5. de statu Monach.* & ibi *Cardin: n. 5. q. 7. Ancharan: c. Deus qui in fin. de vita & honestate Cleric.* & quàmplurimi alij. Quare non est audiendus Staphilæus, *de literis gratiæ. tract: de varijs modis vacationis, in 6. vacationis modo. n. 5.* vbi ait, posse in hoc Episcopum dispensare. Nec etiam audiendus est Gambara, *de officio & potestate Legati. lib: 8. c. vlt. n. 28.* dicens, posse in hoc dispensare Legatum à Latere. Idque solùm probat, eò quòd hic sit Superior exemptorum. Quæ ratio est nullius momenti; deberet enim probare, quemcunque Superiorem posse in hoc dispensare. Et ideo expressè hoc ad solum Pontificem pertinere tradunt, *Mandosius in Reg: Cancell: q. 8.* Et videntur sentire cæteri Doctores, id negantes Episcopo. Et ratio est, quia Legatus à Latere, ex suâ potestate ordinariâ, nisi aliud ei specialiter committatur, tantum potest circa dispensationes in tota sua Prouincia, quod potest Episcopus in sua Diœcesi.

Hinc deducitur, minùs posse Episcopum dispensare, vt Religiosus promotus ad Beneficium Parochiale, habeat simul Beneficium simplex, quia vltra inhabilitatem ad Beneficium simplex, occurrit aliud impedimentum, quod esset Beneficiorum pluralitas; quę quidem in Regularibus specialem incompatibilitatem habet: atq; ita re latè vtrinq; disputatâ sustinent, *Io: Andr: regul: Quæ à Iure. à n. 5. vsq; in fin. de Regulis Iuris. in 6.* & *cap: si Religiosus. n. 1. de elect: in 6.* vbi *Anchar: n. 3. Dominicus, c. fin. n. 2. d. 58. Graffis 2. p. Decis: lib: 3. c. 20. n. 12.*

QVÆSTIO XC.

An Regularis, possidens titulo colorato Beneficium seculare simplex, aut secularis Regulare pacificè per triennium, iuuetur

uetur Regula Cancellariæ de triennali, & sic possit postea id Beneficium retinere? Et an iuuetur illâ triennali possessione in foro conscientiæ? & an exigatur bona fides in possidente triennio ad præscriptionem?

REsp: Quòd verior sententia est, tutum esse in vtroque foro possessorem hunc triennalem. Ducor, quòd illud triennium statutum sit in illa regula ad legitimam Beneficij præscriptionem. At legitima præscriptio tutum reddit in vtroque foro possidentem. Secundò, quia ea Regula edita est, ad lites scrupulosque possidentium vitandos. At si solùm procedit in foro externo denegando actionem, neutrum vitabitur. Non scrupuli; quia possessor scrupulis vrgebitur, an prior titulus fuerit legitimus, cum possessione triennali se non iuuari in foro conscientiæ nouit. Non lites; quia etsi iure actionis nihil possit intentari contra possidentem; at via denunciationis Euangelicæ tanquam iniustus possessor, & proinde in peccato lethali constitutus, poterit denunciari Prælato. Nec obstat ratio contraria, quia ex intentione statuentis regula illa colligitur apertè sensum illorum verborum esse, vt talis possessor nullatenus molestari valeat, eò, quòd priùs tituli vitium aboleatur pacificâ illâ triennali possessione, quâ verus titulus, tanquam legitimâ præscriptione acquiritur. Et ideò hanc partem sustinent *Glossa antiqua*, quæ est *Guillelmi de Monte Ferrato, reg: de triennali. Philippus Probus, tit. de pacificis possessoribus, super verb: coloratum. Glossa 13. Rebuff:* latè probans, *de pacificis possessoribus, à n 7. vsque ad 28* affirmans ita teneri à Prætorijs Gallicanis, quæ Parlamenta vocantur. *Ludouic: Gomez, regul: de triennali. quæst: 42. Nauarr: lib. 3. cons. in 1. edit. tit de præbendis, cons. 41. fin. & toto 42. in 2. tit. de Parochijs. cons. 2 fin. & tit. de præbend: toto cons: 30. Azor tom. 2. instit. moralium, lib. 7 c. 35. q. 9.*

Et verius etiam est, in possidente triennio ad prædictam præscri-

præſcriptionem exigi bonam fidem; quia non eſt credibile velle Papam fauere peccanti, ac malæ fidei poſſeſſori. Item, quia regula generalis eſt; Malæ fidei poſſeſſorem nullo tempore præſcribere. *c. poſſeſſor. de regulis Iuris. in 6.* quod etiam in ſpiritualibus procedit, vt benè *Gloſſa c. contingit. de dolo & contum. verbo conſtituatur.* Nec obſtant contraria: nam ad primum dico, requiſita bona fide aliquid de nouo induci, quia ea regulâ ſeclusâ poſſet poſſeſſor poſt triennium moleſtari, nec vitium tituli delebitur. Nec obſtat etiam ſecunda ratio, quia poterat eſſe bona fides in ijs duobus caſibus, nempe, ſi poſſeſſor ille exiſtimaret validum eſſe beneficij titulũ, non obſtante illo peccato; & adhuc ſimoniacus, & intruſus ratione exceptionis huius non iuuabuntur hac regula. Et ideò hanc partem ſuſtinent *Guillelmus*, quem refert *Ludouicus Gomez. ea quæſt. 42.* Affirmatque Rotã, re ſæpius diſputatâ, nunc in hanc, nunc in alteram partem inclinâſſe. *Rebuffus de pacificis poſſeſſoribus. n. 28. Nauar: lib. 3. Conſ. in 1. edit. tit. de præbendis. conſ: 41. fin: in 2. tit: de Parochis. conſ. 2 fin:*

QVÆSTIO XCI.

An Religioſus, qui ſemel de Superiorum permiſſione eſt Parochus, poſſit iterum abſque nouâ licentiâ, ad aliud Beneficium Parochiale aſſumi?

RESP: Quòd *Imola in Clem: 1. n. 41. de elect:* ait, non exigi licentiam ſuperioris Regularis, vt ad hoc Beneficium promoueatur; quòd exemptus ſit ab obedientia Superioris, maneatque Epiſcopo ſubiectus: non poſſe tamen illum tranſire ad aliam Parochialem, abſque Epiſcopi licentiâ, ſicut nec poſſet Clericus ſecularis. Et concludit poſſe exigi licentiam Abbatis, quod non ſit ab eius obedientia omninò abſolutus, ſed quo ad ſolam priorem Parochiam; vnde ait exigi licentiam Abbatis, vel Epiſcopi. Sed *Anchar: c. ſi Religioſo n. vlt. de elect: in 6.*

ait:

ait, non exigi licentiam Abbatis. Idem tenet Lapus ibi, prout refert *Franchus ibid: in princ. n. 3. verſ: quod autem. de Religioſo iam electo ad prælaturam, & qui erigitur ad illam.* Sed exiſtimo in neutro caſu exigi licentiam Superioris Monaſterij: quòd ſemel effectus Prælatus, aut Parochus de licentia Summi Pontificis à Superioris obedientiâ ſit abſolutus. Nec exigitur licentia Epiſcopi niſi in ſolis caſibus, in quibus ea eſſet neceſſaria ad Clerici ſecularis promotionem: quia nullo alio ſpeciali ſubiectionis modo Epiſcopo ſubditur, quàm alij ſeculares beneficiati; & hoc ſatis innuit Immola ſupraallegatus.

QVÆSTIO XCII.

An Religioſi exempti, poßint cedentes exemptionis Priuilegio, ex licentia ſuorum Superiorum, ſe Epiſcopo ſubijcere, vt ab illo abſoluantur, vel cum eis diſpenſet in caſibus, in quibus Epiſcopus hæc poteſt cum ſuis ſubditis? & an id liceat ex tacita Religionis licentia, & quæ ſit, & quis Epiſcopus tunc diſpenſare poßit?

R*Eſp:* Quòd multæ ſunt Doctorum opiniones in caſu præmiſſo, ſed probabilior eſt poſſe ex Superiorum licentia cedi priuilegio, ac ſubijci Religioſum exemptum Epiſcopo, vt ab eo abſoluatur, & cum eo diſpenſet. Quia exemptio Religioſorum eſt potiſſimùm inducta in fauorem Religionis, vt eius Religioſi quietiùs Deo famulentur, & ne paſſim ab Ordinarijs perturbentur: vnde in ijs, quæ quietem, & fauorem Religionis concernunt, non debent eſſe peioris conditionis quàm alij de eadem Diœceſi non exempti. Nec rationi conſonat, vt exemptionis priuilegium in hoc caſu contra eius finem operetur, impediens hanc ſubiectionem. Atque ideò in his ita fauorabilibus cenſetur per epicheiam tota Religio conſentire. Et confirmatur *ex c. luminoſo. 18. q. 2.* vbi habetur Epi-

ſcopum

ſcopum de conſenſu Abbatis poſſe exercere Iuriſdictionem in Monaſterio exempto. Tandem, quia Corduba in priuilegiorum Mendicantium compendio, in ſuis additionibus, *v. abſolutio quoad fratres. §. 1.* teſtatur, diuerſa eſſe Pontificum priuilegia, concedentia hanc ſubiectionem Epiſcopo de Superioris licentia faciendam, vt ab ipſo impetretur abſolutio. Quare, quidquid ſit de iure, ſaltem Religioſi fruentes priuilegijs Mendicantium, poſſunt virtute eorum priuilegiorum ſe ſubijcere ad eum effectum, obtenta Superioris licentia. Et ideò hanc ſententiam, tanquam de iure veriorem, amplectuntur, Federicus loquens de abſolutione. *conſ: 14 à n. 5 vſque in finem. Barbatius additionibus ad Abbatem, c. penult. n. 8. verſ: tenuit. de officio Ordinarij. Lapus*, quem refert, & ſequitur, *Anchar. c. cum nullus. n. 3. notabili 4. de tempor: ordinand. in 6.* vbi vterque ait, non poſſe cedi exemptioni in Iuriſdictione contentioſa, ſecùs de voluntaria; vt in abſolutione, & diſpenſatione. *Albericus l. ſi quis in conſcribendo. n. 6. de Epiſc: & Cleric: Iaſon: l. ſi vnus. §. pactus ne peteret. n. 9. ff. de pactis. Corneus conſ. 214. n. 8. vol: 2. Ioannes de Lignam: Verbetius, Directorium, Summa Piſana*, quos refert & ſequitur dicens de æquitate hanc opinionem eſſe veriorem, & tenendam, etſi attento rigore prima ſit verior, *Sylueſter in ſumma, v. abſolutio. 5. n. 2. verſ: Quantum ad exemptos.* & colligitur ex Doctrina D. Antonini, & tenent *Manuel: 1. tom: ſummæ, in 2. addit. c. 131. n. 2.* vbi loquitur de abſolutione, & Molina loquens de abſolutionibus, & diſpenſationibus, *in tom: 4. de iuſtitia. diſput: 61. n. 4. Soarez* loquens de vtriſque, *tom: 4. in 3. p. diſp: 30. ſect: 2. n. 3.* atque ita in praxi receptum, *& 5. tom: in 3. diſp: 41. ſec. 2. n. 12. Enriquez* de eiſdem loquens, *lib. 6. de Sacram: Pœnit. cap. 16. n. 8. lib: 7. de indulgent. c. 25. n. 2. & lib: 10. de Sacram: Ordinis. c. 20. n. 2.* iuncto commentato, *lit: H. & lib: 14. de irregularitate. c. vlt. Auila* de eiſdem loquens, *de Cenſuris. 2. p. c. 7. diſp. 1. dub: 6.*

Atque hoc habet verum, etiam quoad abſolutiones à caſibus

casibus reseruatis, & dispensationes in irregularitatibus, & alijs casibus, quæ conceduntur in Trident: *sess: 24. de reformat: c. 6.* Episcopis erga suos subditos. Potest enim Religiosus exemptus, de licentia sui Prælati, subijci Episcopo, vt in ijs casibus eum absoluat, aut cum illo dispenset: quia non est maior ratio de his casibus, quàm de alijs; cùm omnes erga solos subditos competant Episcopis. Et sic tradunt, *Molina eod: n. 4. corol: 2. Auila, Suarez, vtroque loco, Enriquez lib: 10. de Sacramento Ordinis. c. 20. n. 2.* iuncto commento, *lit: H.* Atque ita dicendum esse, tenendo sententiam relatam à Nauarro in priori edit: *lib: 1. cons. tit. de officio Ordinarij. cons: 8. n. 2.* in posteriori autem *lib: 5. tit: de pœnitent: & remiss. cons: 31. n. 2.* secus autem ait, tenendo primam sententiam contrariam, quamuis ipse neutram definiat. Atque idem tradunt in casu hæresis. *Manuel n. præceden:* relatus. *& Suarez tom: 4. in 3. p. disp: 30. sect: 2. n. 3.* Quod verum est, nisi hoc Tridentini decretum esset quod hoc reuocauit, vt reuocatum esse dicimus.

Atque prædicta sententia, extendenda est vt idem liceat aliquando ex tacita Religionis licentia: vt si Prælatus sit impeditus, quia est excommunicatus denunciatus, aut obijt, aut longè abest, nec est alius vices eius gerens. Atque ita in proprijs terminis docet *Enriquez lib: 6. de Sacram: pœnit. c. 16. n. 8.* in commento, *lit: T. & D. Antonin: 3. p. t. 24. c. vlt. §. 1. vers: Et nota, quod propter.* sic enim ait: *In casu quo Regularis excommunicatus non haberet Prælatum, qui esset Sacerdos, aut si esset defunctus ipse Prælatus, vel excommunicatus; ad Diœcesanum recurrendum est, secundum Hostiensem.* quod Guillelmus intelligit, tàm de exemptis, quàm de non exemptis. Eiusdem est sententiæ *Syluester, v. Apostasia. q. 8. n. 11. ad fin:* Vbi hæc ait: *Super exemptum nullam habet Episcopus auctoritatem, nisi fortè in foro conscientiæ absolutio à defuncto Prælato concedenda sit.*

Imò, & quandoque sufficit præsente Prælato, nec impedito; vt quando ille iniustè denegaret licentiam petitam Religioso

ligioso adeundi Episcopum, in casu, in quo ipse nequit illum absoluere. Quoniam per epicheiam non est censendum voluntatem Summi Pontificis, & Religionis esse, vt Episcopus in euentu non eo absoluat, & cogatur Religiosus vagari, & accedere ad Sedem Apostolicam, gratiâ absolutionis impetrandæ. Ita docet *Molina tom: 4. de iustitia. disp: 61. n. 5.* Qui benè addit, Regulariter non euenire, vt prælatus, deneget facultatem, quam concedere tenetur. Benè etiam docet ibi, non esse hanc licentiam tacitam, quando superior iustè denegaret licentiam, vt si rationabiliter iudicaret expedire, vt subditus in eo casu adiret Pontificem; vel quando est dubium, an iustè licentia denegetur. Quia in dubio standum est Prælati Religionis iudicio, qui est legitimus eius Religiosi Prælatus.

Quòd si ipse Prælatus eâ Episcopi absolutione, aut dispensatione indigeat, poterit semetipsum illius iurisdictioni subijcere, sicut potest suos subditos: quia potest vti licentijs, quas subditis concedere potest. Atque ita docent, *Enriquez lib: 7. de Indulgentijs. c. 25. n. 2. Auila de censuris. 2. p. c. 7. disp: 1. dub: 6. Suarez 5. tom: in 3. p. disp: 41. sect: 2. n. 12.*

Sunt tamen limitanda huiusmodi dicta, nisi ea facultas absoluendi, aut dispensandi, quæ non est in immediato Religionis Prælato, esset in Prouinciali, aut alio Superiore Religionis: tunc enim Episcopus absoluerè non posset de consensu Superioris, nisi accederet etiam consensus illius Prouincialis, aut Superioris; sed remittendus esset Religiosus ad illum, vt per se ipsum absoluat, aut alteri suas vices committat. Quia cùm in hoc casu pateat remedium intra Religionem; non est visa velle consentire, vt extra illam remedium quæratur. Præterea, quia aliâs reseruatio, in Religione tã necessaria, defraudaretur: si enim priuatus Religiosus, aut ipse Prælatus, in casum reseruatum Prouinciali incideret; facilè posset reseruationem frustrare adito Episcopo, aut propriâ auctoritate, si est Prælatus; aut huius auctoritate, si est subditus, vt ipsum absol-

uat,

uat, si ab illo posset suos subditos absoluere. Atque ita docet *Molina, tom: 4. de iustitia. disp: 61. n. 3. vers: Illud tamen obserua.* Atque ob easdem rationes, est dicendum idem de dispensat. Qui etiam bene addit, in aliquo necessitatis casu, sufficere consensum præsumptum illius mediati Superioris, vt possit immediatus illum Religiosum subijcere Episcopo. Quod consonat ijs, quæ diximus suprà.

Secundò limita, vt possit Prælatus seipsum, aut Religiosum sibi subditum, subijcere Episcopo, vt ipsum absoluat, aut cum eo dispenset in casibus, in quibus neutrum potest ipse Prælatus; vt intelligatur non de quocunque Episcopo, sed de Episcopo loci, in quo Religiosus ille commoratur, habitatione requisitâ, vt censeatur aliquis Episcopo illi, quo ad hæc subiectus. Quæ habitatio est, quoad absolutionem, esse in ea Diœcesi, saltem per modum transitûs; quoad dispensationem verò, commorari in ea, aut habere animum commorandi, maiori anni parte.

QVÆSTIO XCIII.

Religiosi, vel Clerici, venientes ex loco minime peste infecto, qui falsò infectus creditur, rogati ab Vrbis custodibus, venerintne ex eo loco, qualiter poßint iurare?

R*Esp:* Posse iurare se ex eo loco non venire, intelligendo, non venire tanquam ex loco pestilenti; quia hæc est debita custodum intentio. Ita *Syluester, v. Iuramentum. 3. 4. 2. fine. Nauar: c. humanæ aures. 22. q. 5. in q. 2. n. 9.* & in *summa, c. 12. n. 19. Toled: lib: 4. summæ. c. 21. n. 9. Philiarcus, de officio Sacerdotis. tom: 1. p. 2. lib: 3. c. 14. ad finem. Azor to: 1. lib: 11. instit: moral: c. 4. q. 5. regula 3. iuncto vers: primò quidem. Suarez eo: c. 9. n. 7. Sayro eo: c. 4. n. 22. Leonardus lib: 2. de Iustitia. in c. 42. dub: 9. n. 47.* Atque idem benè docent, *Syluester & Azor*, ibidem. & *Manuel 1. tom: summæ, 2. edit. c. 191. n. 4.* Quando adeò celeriter transijt

sijt per locum peste infectum, vt nihil eum pestis attigerit, potest enim iurare se illac non transijsse; intelligendo ita, vt aliquid mali ex loci pestilentiâ contraxerit. Quia hæc debet esse recta custodum intentio. Et ita debent intelligi, *Nauar: eo: c. 12. n. 19. & Toled: eo: n. 9. Suarez eo: n. 7.* dum dicunt, venientem ex loco pestilenti, si meritò credat, nec se, nec aliquid suum peste infectum esse, posse iurare, inde non venire: intelligendi enim sunt, quando ita celeriter illac transiêre, vt explicatum est; quia aliâs nullatenus id iurare liceret. Semper enim est periculum contagionis. Et ideò optimè *Leonard: eo: n. 47.* dixit, oportere, vt iurans sit certus, non esse periculum contagionis. Atque optimè aduertit *Syluest. ead: q. 1. & v. Mendacium.* Religiosos, & Clericos, venientes ex loco verè pestilenti, ac de hoc rogatos ab Vrbis custodibus, teneri ad ipsorum custodum mentem iurare. Quia etsi laici exigentes iuramentum non sint eorum Superiores, id licitè exigunt. Cùm non vi illata, sed ex suppositione, si in vrbem ingredi velint, id petant.

QVÆSTIO XCIV.

An Regulares, & Clerici, teneantur ad custodiam Ciuitatis tempore pestis?

RESP: Quòd non tenentur ad custodiam murorum tempore pestis; cum per duos custodes in porta prouideri possit. *Ita Bertran: cons. 54. vol: 1. part: 2.* Crederem tamen, quòd quando esset periculum inuasionis hostium, qui forsan pestem non timerent & in Ciuitate tunc non reperirentur fideles viri, quibus confidi possit; tenerentur eo casu in subsidium: quia aliâs Ciuitas sine eorum custodia inuaderetur ab hostibus.

QVÆ-

QVÆSTIO XCV.

An Regulares, & Clerici, teneantur ad custodiam murorum Ciuitatis, vnà cum laicis, quando illa à quibuscunque impugnatur? Et an in casu, quo teneantur, tunc obligentur etiam proprijs manibus pugnare, mutilare, & interficere absque incursu irregularitatis?

RESP: Quod *tex: in c. non minùs. de immunitat: Ecclesia: decidit*, Clericos non debere angariari. *tex: verò in c. peruenit: eod: tit: de immun: Ecclesia:* statuit teneri; sed quia *tex: d. c. peruenit*, variè à DD. intelligitur, ponam intellectus, qui ad *d. cap.* dantur.

Primus intellectus est, quòd procedat in Ciuitatibus, in quibus temporale Dominium exercet Ecclesia; sicut est Ciuitas Terracinæ, cuius Episcopo Papa scribit. Sed iste intellectus reijcitur; quia Decretales sunt communes omnibus *c. 1. & fi: de Constit.*

Secundus intellectus est, quod procedit, quando terra impugnatur ab infidelibus, quòd tunc teneantur etiam Clerici cum laicis ad custodiam Ciuitatis. Ratio potest esse, periculum animarum, quod sequi posset, si Ciuitas ab infidelibus occuparetur. *c. igitur sæpè. 3. q. 1. & arg. c. 1. de præscrip: & c. placuit: 16. q. 3* & hic intellectus communiter tenetur *in d. c. 2.* Tenet etiam *Abb: in c. non minùs. & in cons: 3.* Alij dicunt, quòd loquitur in laicis seruientibus Ecclesiæ. Et alios intellectus refert *Bero, cons: 31.* Verùm, quia ille tex: loquitur generaliter, verior videtur intellectus, vt procedat generaliter, siue terra impugnetur ab infidelibus, siue à fidelibus, quando tamen adest magna necessitas, timor communis, subitus, & improuisus. quem tenet *Innoc: Card: & Abb: Bero. loco cit: Bertran: cons: 54. vol: 1. p. 2.* qui intellectus videtur concordare *cum c. non minus.*

supra allegato, quando adest magna necessitas, quæ sine Clericorum auxilio reparari non potest.

Sed an Clerici possint sumere arma contra bannitos pro defensione Reipub: resolutio pendet ab illa quæstione: An Clericis liceat pugnare proprijs manibus, interficere, & mutilare? Respondetur, quod vltrà causam propriæ defensionis, possunt pro defensione Reipub: patriæ, aut ciuitatis, si illis pugnantibus conseruabitur, & non pugnantibus destruetur, aut capietur. Item si in naui vita Clerici, vnà cum aliorum vita periclitetur, nisi ipse pugnet, quamuis dubia sit victoria, licitè potest pugnare, quia pro defensione propria.

Item Clericus, ad defendendam vitam innocentis, posset nocentem interficere, si id omninò necessarium esset, & teneretur sine suo notabili periculo.

Item tenerentur Clerici pugnare, quando id esset necessarium ad consequutionem iustæ victoriæ, à qua pax, & bonum commune Ecclesiæ pendet; ita, quòd nisi Clerici pugnarent, vel non obtineretur, vel periclitaretur valdè, illis verò pugnantibus obtineretur: tunc enim iure etiam naturali tenentur pugnare; & etiam iure naturæ tenentur pugnare in casu supradicto pro defensione Reipub: Ita notabiliter tradit *Caiet: 2.2. q.40. art. 2.* sequitur Molina. *de iustitia, & iure. trac: 2. disput: 108.* qui testatur de communi opinione: & in omnibus casibus prædictis, in quibus Clerici iure naturæ sub lethali culpa tenentur pugnare, non incurrere irregularitatem, censeo vnà cum Molina *disput: 109.* quoniam si necessitas defendendi corpus excusat ab irregularitate, *Clement: si furiosi. de homicidio.* multò magis necessitas salutis animæ, cum sub peccato lethali teneantur, quidquid alij dicant in dicta Clem: quando pugnat pro defensione aliorum: nec Clementina excludit defensionem sub necessitate peccati. & ex supradictis, sequitur quòd si patria sit obsessa à bannitis, qui intendunt innocentes interficere, possunt Clerici, si laicorum vires non sufficiunt,

ficiunt, pugnare contra bannitos, absque peccato, & absque irregularitate: aliâs sine causa non possent Clerici proprijs manibus pugnare, sed tantùm exhortari ad bellum iustum, & excitare milites ad victoriam, & pugnam in genere; modò in particulari non dicant, interfice, aut mutila, sed fortiter age, ne succumbas, vel pugna strenuè pro fide, vel pro Ecclesia. *D. Tho: 2. 2. q. 40. art. 2. ad 3. cap. igitur. cum sequentibus. 23. quæst: 8.* requiritur tamen consensus Papæ, quoad Prælatos, & Episcopi, quoad Clericos, vt possint Prælati, vel Clerici interesse bello. *D. Tho: d. art: 2. cap: reprehendam. cap. quo casu. 23. q. 8.* sed Molina *loc: cit:* centet sufficere consensum præsumptum, quando bellum esset aduersus Ecclesiam, & fidei hostes: & respondet ad dictos duos Canones, vt procedant, quando præsumptio erat voluntatis Pontificis in contrarium: illi enim vocati erant à Summo Pontifice, neque venire voluerunt, vt ad bellum proficiscerentur; & procedunt etiã, quando eorum præsentia necessaria non erat bono communi Ecclesiæ, quin potiùs decebat eos non interesse. *Nauar: latè cap. 27. n. 211. cum sequenti.* Molina *loc: cit:* qui pulchrè respondet ad *d. Clem: si furiosi.*

QVÆSTIO XCVI.

An Religio, & Ecclesia, gaudeant omnibus priuilegijs fisci temporalis, nec non militum, libertatis, alimentorum, dotis, pupilli, & Reipublicæ: vel tantùm in casibus expressis à iure?

RESP: Primò, valere argumentum de fisco ad Religionem, & Ecclesiam; subsistente tamen identitate rationis, & dum contrarium non reperiatur in Iure expressum, & casus sit applicabilis. ita tenet Euerard: in loco à fisco ad Ecclesiam, per tex: *in l. fin: c. de sacros: Eccl: Gloss: in auth: de non alien. & in c. auditis. 23. q. 4. glos: in l. si procurat. § fin: ff. de iure fisci. Bart: in l. à Diuo Pio.*

Pio. §. sed & si emptor. ff. de re iud. Abb: in c. 2. in fin. de precario. Tiraq: in tract: priuileg: piæ causæ. priuileg: 193. vbi firmat generalem Regulam, Ecclesiam gaudere omnibus priuilegijs Fisci.

Secundò, quòd communiter tenent *DD. in c. 1. de prob:* quòd sicut priuilegium fisci est, vt reus teneatur edere instrumenta: *l. Ne quisquam. ff. de eden.* ita quoque locum habet in Ecclesia; quia Ecclesia, & fiscus æquiparantur, & gaudet eius priuilegio, ita *Bal: Ant: Abb: Fel: & Dec:* qui testantur de communi opinione, eamque sequitur in præfato *allegato cap. 1. de probat.*

Tertiò, quod arguitur de fisco ad Ecclesiam. *Glos: in l. an vsus fructus. ff. de vsu fruct. Glos: & Bart: in l. si vsus fructus muniti. ff. de vsu fruct. leg: Rom: in auth: similiter. C. ad leg: Falcid: 13. col.* concludens, quòd dispositio legis, *1. C. de iure fisci. lib: 10.* habet etiam locum in Ecclesia. *Bal: in l. fructus ff. solu: matr.* dum allegat *l. fin: C. de sacros: Eccl. cum alijs.* ex quibus, inquit *Dec:* posse dici, quòd omnia priuilegia, quæ fisco, vel Ciuitati concessa reperiuntur, Ecclesiæ debent competere. Nec videntur obstare, quòd in *d. l. fin:* æquiparantur, Ciuitas, & Ecclesia, sed non fiscus, dicit *Alex: in l. si filio. §. si vir in quinquennium. ff. solut: matrim.* quia ille textus procedit etiam in fisco; & ita intelligit in *l omnibus. ff. de diuersis & temporalibus præscription.* probant etiam verba *d. l. fin: ibid: nec viri Ciuitatum* quia ius Ciuitatis verificatur in eius fisco. Item próemium, I. C. dum exorditur, vt inter Diuinum, publicumque; nam hæc verba glos: ita respiciunt fiscum, sicut Ciuitatem, & vtroque casu publica versatur vtilitas, & attenditur, *l. regula. ff. de iur: & facti ignor.* & ratio finalis ex póermio colligitur, *l fin. ff. de hæred: instit.* Aliqui dicebant in *d. l. fin:* Ciuitatem æquiparari Ecclesiæ, non contra; sed occurrit *Dec:* quod immò æquè principaliter in Ciuitate, sicut in Ecclesia disponitur, cum eodẽ verborum constructu, ibi hoc dicatur, Matthesil: *in tract: distinct: in 1. mẽbro,* dicebat in *d. l. fin:* æquiparationẽ fieri in certis casi-

busibi expressis: quem refert *Dec: ind. cap.* cui optimè respondet, quod eius dictum potest procedere in materia correctoria, prout ipse loquitur de materia correctoria: secus est in materia fauorabili, tunc fit extensio à paritate rationis. *Gloss: & Bart: in l. illud. C. de sacros: Eccl. Bart: in l. si constare. q. 9. ff. solut: matrim.* vt latiùs per *Dec: in loco cit.* & ratio fauoris publici versatur in fisco Ciuitatis. Immò, vt dicit idem Vasq: *de success: progress: lib: 3. §. 29. n. 7.* vbi firmat, quòd licet secundum ipsum, Ecclesia non possit dici priuilegiata, nisi in casibus expressis à Iure; tamen stante identitate rationis, aliorum priuilegia ad ipsam extenduntur ex identitate rationis. textus est notabilis in *c. cùm dilecta. de confirmatione vtili, vel non vtili.* & in *cap: post translationem in medio, de renunciat: Glos: notabilis, in l. 1. C. de condict: indebit.* fiscus autem habebit multa priuilegia, ob publicam vtilitatem: & ius publicum consistit in sacris, & Sacerdotibus. *cap: ius publicum. dist: 1. l. 2 ff. de iust: & iur.* quinimò Ecclesia est magis priuilegiata, quam fiscus, qui dicitur vltimus priuilegiatorum, & contra quem in dubio est iudicandum. *iuxta l. non puto. ff de iure fisci,* vt singulariter tradit Rot: Rom: Card: Seraphinus, *decis: 594.* vbi à maioritate rationis concluditur, destinationem solutionis in alio loco, in fraudem fisci nihil operari; multò minùs in fraudem Ecclesiæ, cuius causa est fauorabilior, quàm causa fisci, qui est vltimus priuilegiatorum: quod est adeò verum, vt non valeat argumentum à priuilegio Ecclesiæ, ad priuilegium fisci temporalis: vt tradunt *Bart: Immola, Ias: in l. fructus ff. solut: matrim.* in qua habetur, quod fructus dicuntur deductis impensis, nec valeat argumentum, quod in Decimis prædialibus fructus debentur non deductis expensis. *cap: pastoralis. de Decimis.* quia inducta fauore animæ, quæ respicit ius Diuinum, & est pretiosior cunctis rebus, *l. sancimus. C. de sacros: Eccl.* non sunt extendenda ad ius publicum temporale: & in dubijs est iudicãdum contra fiscum, vt dictum est: secus in Ecclesia, quia in dubio

pro

pro ea iudicandum est. *d. l. sancimus. & cap: fin: de re: iud.* Concludo igitur, ex identitate rationis, & occurrente casu applicabili, Ecclesiam gaudere omnibus priuilegijs fisci; non è contra: quod deseruiat ad multa, sunt enim quamplurima priuilegia fisci, quæ enumerant, *Bald: in l. 1 C. de hæreditate, vel actione vendita. Azo: in summa, de priuil: fisci. Salic: Paul: in l. fin: C. eod: tit:* & nouissimè *Marc: Ant: peregrin.* Non est igitur recedendum à dicta communi opinione, & glos: interpretatione, & frequentissimo argumento, quo vtuntur DD. in mille locis, de fisco ad Ecclesiam. Ecclesia quoque gaudet priuilegio militum: vt tradunt DD. *Glos: in l. si vt proponis. C. de rei vendic. Glos: in c. inquirendum de pecul: Clericorum Bald: in l. fin C. de pactis. Abb: in cons: 94. vol: 2. Euerardus, in Loco à milite, ad Ecclesiam.* qui ponit nonnulla exempla, ad quem te remitto: vbi tamen militet eadem ratio in vtraque, & contrarium non reperiatur expressè decisum in iure. Item, omnia disposita in fauorem libertatis, applicabilia Ecclesiæ, habent locum in ea, stante identitate rationis. *Bald: in l. 2. C. de fidei commiss: libert. & in l. si iure. C. de manu: testam. Bar: in l. si vnus. C. de testam.* Latissimè post alios Roman: in *auth: similiter. C. ad leg: Falcid.* diffusè *Euerar: in loco, de libertate ad piam causam:* vbi ponit nonnulla singularia libertatis, & applicat Ecclesiæ. Gaudet etiam Ecclesia omnibus priuilegijs alimentorum, quando casus est applicabilis, & militat eadem ratio, nec reperitur contrarium dispositum in iure: quia causa alimentorum de se est pia, & fauorabilis *l. Mela.* vbi *Gl: Bar: & alij. ff. de alim: legat: Rom: in d. auth.* Similiter vtitur hoc argumento ad multa, *Euerard: etiam in Loco, ab alimento, ad piam causam:* vbi ponit nõnullas illationes DD. Gaudet præterea omnibus priuilegijs dotis: quia dos, & pia causa, æquiparantur. *c. 1. §. donare.* qualiter olim feudum alienari poterat in vsibus Feudorum; latissimè *Bar: in l. 2. §. fin. ff. de donat.* & in *l. si ego. ff. de iure dot. Euerard: in Loc: cit: à dote, ad piam causam:* vbi auctoritatibus, & exemplis

exemplis, id comprobat. Insuper, gaudet Ecclesia omnibus dispositis in fauorem pupillorum, & minorum. *Gl: in l. liberatos. C. de excusat: tutor.* & in *l. Respubl: in fine.* & ibi Bar: & alij, *C. ex quibus causis maiores. in l. non est ignotum. C. de administratione tutorum. c. 1. c. auditis. de restitut: in integr.* Vbi DD. *Ias: instit: de action. Euerard: in loco, à pupillo ad Ecclesiam.* Postremò Ecclesia gaudet omnibus dispositis, in fauorem Reipublicæ: quia æquiparantur. *l. fin. C. de sacros: Eccl. Glos: in l. Rempublicam. C. de Iure Reip: lib: 11. in l. Republica. C. ex quibus causis maiores. Glos: in l. Imperator. ff. de re iud. Io: Andr: in reg: plus semper. de reg: iur: in 6. Bald: in l. Ciuitas. ff. si cert: pet: Rom: in d. auth: similiter. Euerard: eodem in loco, à Rep: ad Ecclesiam.* Quæ argumenta procedunt stante identitate rationis, & quando casus est applicabilis, & contrarium non reperitur decisum in iure. Dicit etiam *Abb: in c. auditis. de præscript.* quòd Ecclesia gaudet priuilegijs, & Iure imperij; ad quem te remitto. Et hæc generaliter adnotanda censui, pro intelligentia nonnullarum Quæstionum.

QVÆSTIO XCVII.

An Monasterium hæres, non conficiens Inuentarium, teneatur vltra vires hæreditarias?

RESP: Quòd *Bald: in l. cùm à matre. in fine. C. de rei vendicat.* tenet laicum hæredem, de Iure Canonico, non teneri vltra vires, quia de Iure Canonico sufficit sola iustitia naturalis, & Ius ipsum Canonicum summâ nititur æquitate, & ratione naturali. *c. dilecti. de Iudic. cap: fin: 17. q. 9.* & ibi *Glos: in verbo iure. pro l. sequitur Brunus, in v. Inuentarij. Macrob: cons: 3. n. 85.*

In contrarium facit, quia non recedendum à Iure Ciuili, quando non reperitur expressum contrarium de Iure Canonico *cap: 1. & 2. de nou: op: nunciat.* & quia hæres tenetur vltra vires ob suspicionem, ne occupet res hæreditarias, & ideò

ideò non confecerit Inuentarium. *l. fin. C. de Iur: delib.* quæ ratio militat etiam de Iure Canonico, quo probationes per præsumptionem admittuntur. *toto tit: de præsumpt.* Id autem in Ecclesia, & Matrimonio, non procedit; quia non tenetur vltra vires, nam cessat præsumptio occupationis.

In laico autem, priorem opinionem censeo posse procedere, vbi liquidò, & notoriè constaret, testatorem nihil aliud habuisse in bonis. *Arg: not: per Innoc: in c. quia pleriq. de immunitate Ecclesiastica.*

QVÆSTIO XCVIII.

An Monasterium contrahendo cum priuato, præferatur in bonis post suam obligationem quæsitis?

RESP: Quòd fiscus contrahens cum aliquo priuato, præfertur in bonis post suam obligationem quæsitis, priuato, etiam anteriori in tempore, habenti omnia bona, secum contrahentis præsentia, & futura obligata. *vt est tex: notab: in l. si is qui. ff. de Iure fisci.* & quia valet argumentum de fisco ad Monasterium: idem esse in Monasterio tradit doctissimus *Euerard: in Loco, à fisco ad Monasterium:* vbi dicit, & licet neminem repererim hoc dicentem, credo tamen hoc verum; quia idem fauor debetur Monasterio, qui fisco; & magna est ratio, quæ pro religione facit. *l. sunt personæ. ff. de relig: & sumpt: fun: cum similib.* & quamuis *glo: in l. assiduis. C. qui potior: in pign: habeant:* teneat contrarium in dote; tamen *Salic: in q. 3. tenet contra glo:* & quidquid sit in dote, satis est, quòd fiscus gaudet hoc priuilegio, & successiuè Monasterium, vt latissimè per *Euerard: loc: cit. per Deci: in c. 1. de probat: in illa q. an fauore Monasterij teneatur quis instrumenta edere contra se.*

QVÆ-

QVÆSTIO XCIX.

An sententia lata contra Monasterium, absente Aduocato, sit nulla?

RESP: Quòd clarum est, quòd sententia lata contra fiscum indefensum, propter absentiam aduocati, est ipso iure nulla. *l. vnic: C. de sententijs aduersus fiscum latis. lib. 10.* & ibi *Gloss:* & DD & idem si feratur, procuratore eius absente, vt dicit *Gl. in l. 3. §. diuus. ff. de Iure fisci. Io: de Platea, in d. l vnica.* Idem etiam esse in Monasterio, vt sententia contra ipsum indefensum, ob absentiam procuratoris, & aduocati lata, sit ipso Iure nulla, tenet *Paul: de Castr: in l. velamento. C. de postulando.* cùm sit validum argumentum de fisco ad Monasterium. Sequitur *Euerard: in loco, à fisco ad Monasterium:* vbi etiam allegat *Gloss: notab: in l. præses.* & ibi *Bald: Salyc: & alij. C. quomodo, & quando Iudex. & tex. in c. 1. de reb: Eccl. non alien: lib: 6.* debet enim defendi Monasterium; aliâs sententia est nulla.

QVÆSTIO C.

An Religiosis, officium Aduocati, & Procuratoris, interdictũ sit in Curijs Ecclesiasticis, & laicalibus. Et an in casibus, in quibus permissum sit, tunc exigatur vtilitas Monasterij, Ecclesiæ & licentia etiam Conuentûs, vel sufficiat solum sui Superioris tacita permissio; & an satis sit Episcopi licentia; & quando nec Superior Regularis, nec ipse Episcopus, licentiam huiusmodi concedere poßint?

RESP: Quòd interdicitur Religiosis munus Aduocati, vel Procuratoris subire, nisi Superioris licentiâ, & vtilitate Monasterij occurrentibus; habetur in *Conc: Terraconen: c. 11. & refertur*

refertur in c. Monachi. il. 2 16. q. 1. ibi: similiter. vt nullus Monachorum, forensis negotij susceptor, vel executor, existat; nisi quod Monasterij exposcat vtilitas, Abbate sibi nihilominùs imperante. Quod idem confirmatur, & approbatur. *c. 2. de postuland:* quæ verba explicat *Gloss: eo: c. Monachi.* in casûs positione. *Turrecrem, Innoc: eo: c. 2. num: vn: Hostien: n. 1. Ioan: Andr: n. 2. Card: n. vn. q. 2. Antonius n. 8. Abb: n. 3.* in hunc modum; susceptores, id est, Aduocati; executores, id est, Procuratores. vel vt explicant *Hostien: Ioan: Andr: Anton: Abb:* comprehenditur sub his vocibus, omne munus ad causarum forum spectans; & de Procuratoris officio habetur expressè *Clem: Religiosus. ibi.* Non potest sine sui Superioris licentia procurationis officium suscipere. Et quamuis *tex: eo: c. Monachi.* loquatur de Monachis, idem tamen dicendum est de quibuscunque veris Religiosis, & constat *ex eo: c. 2. de postulando.* vbi consultus Pontifex, an ea prohibitio Monachis facta, comprehendat quoq; Monachos Regulares, qui laxiori regulæ inseruiunt, vt dicitur *c. Quod Dei timorem. de statu Regular.* respondet comprehendere. Idem etiam constat *ex d. Clem: Religiosus.* quæ in ea prohibitione, verbo *Religiosus* vsa est: & ratio est, quia ea prohibitio non respectum habuit ad Ordinem Monachorum, sed ad Religionem. Atque ita docent *Glossa d. Clem: Religiosus. v. Religiosus. & ibi Abb: n. 1. Imola n. 6. & 10. Idem. Abb: eo: c. 2. n. 1. Syluest: v. Aduocatus. q. 6. Sayro, clauis regiæ, lib. 12. c. 22. n. 3.*

Vnde duplex coniunctim conditio requiritur, nec sufficit alterutram contingere; nempe, Superioris licentia, & vtilitas Monasterij: quia textus *eo: c. Monachi, & eo: c. 2.* vtramque petunt. & idem docent *Gloss: eo: c. 2. verbo, imperāte.* Et quidem si altera ex his conditionibus deficiat, nec in foro seculari, nec Ecclesiastico, integrum est Religiosis, ea munera Aduocati, vel Procuratoris obire, quia tex: id prohibētes. generaliter, & indistinctè loquuntur, imò expressè *c. Mon: el 2. 16. q. 1. & 2. c. 2. de postulando.* dicunt, forensis, & Ecclesiæ negotij. *& Hostien: eo:*

c. 2 initio explicat, forenſis,id eſt,ſecularis. Atque ita docent
Speculator; tit: de Aduocato §. obÿcitur. c. Aduocatum.n.2.Abb: eo:
c.2. n. 1. Archid: eo: c. Monachi. ſtatim in princ: & ibi Bellamera
ſtatim in princ: *Syluest: v. Aduocatus. q.6.* Sayro allegat: Illis au-
tem conditionibus concurrentibus, poterunt aduocare, aut
procurare, ne dum in foro Eccleſiæ, ſed etiam in ſeculari, vt
colligitur *ex c.1. de poſtulando.* Vbi cùm interdicatur Clericis,in
negotijs ſecularibus coram Iudice ſeculari aduocare; excipi-
tur, niſi propriam cauſam, vel Eccleſiæ ſuæ fuerint proſecuti.
Atque ita docent *Ant: c. 2.n.1. de poſtulando* .& ibi *Abb: n. 2. Im-*
mola n. 1. Bellamera. c. cum 1. & à n. 13. de ſentent: & re iudic: Hen-
ric: ibi: n. 14. Roſel: Angel: S lueſt: Tabien: Armil: Guillelm: Redo-
uanus, Sayro. Quod tamen intelligendum eſt, coram Iudice ſe-
culari, modo cauſa ſit ciuilis; nam in criminalibus nullatenus
licet, vt conſtat *arg: ex cap: 1. & c. final: de poſtulando.* & benè
tradunt Bellamera, Henric: Angelus, Syllueſt: Tabiena, ibi.
At coram Iudice Eccleſiaſtico licitum quoque erit in crimi-
nalibus cauſis aduocare & procurare, concurrentibus præ-
dictis conditionibus, vt benè docent, Henricus & Bellamera,
ibi. Licentia autem Superioris non ſufficit petita, & non ob-
tenta: & dicendum eſt, opus quoque eſſe obtineri, tum quia id
c. 2. de poſtulando. & id: c. Monachi. petunt, vt Abbas id imperet,
ibi Abbate nihilominus imperante; ac non dicitur imperare ex eo
ſolùm, quòd ab eo licentia petatur, niſi illam concedat. Præ-
terea, quia *Clē: illa, Religioſus.* ſic ait, nō poteſt ſine ſui Superioris
licentia. At particula (ſine) denotat eam obtinendam eſſe, *c.*
ne opus. de tempor: ordin: Nec obſtat ratio contraria, quia in eo
textu, maioris claritatis gratia, vtrumque expreſſum eſt. Ita
docent *Card: ex Clem: Religioſus. n. 3. opp: 2. & ibi Imola, n. 10.* &
ſufficit, vt hæc licẽtia præcedat ſuſceptionẽ mādati procurato-
ris: quare ante licentiam poteſt inſtitui Religioſus procura-
tor, at ipſe acceptare non poteſt donec licentiam obtineat.
Nec ſufficit tacita ſuperioris licentia, quæ habetur ex rati-
hibitio-

habitione de præsenti, aut præterito; nam vbi in actu aliquo exigitur alicuius licentia, ea debet esse expressa, vt tradunt plurimi Doctores, *Corsetus in suis singularibus. v. licentia, n. vn.* Tiraquell: multos alios allegans, *in l. connub: ib: cons: 7. n. 8. & alij.* Quòd autem id munus procuratoris, possit Religiosus obire ex licentia Episcopi, tenent *Innoc: c. cū 1. & à n. 3. de sententia. & c. Iud:* & ibi *Host: n 2. Ioan: Andr: n. 2. Antonius n. 7. Abb: n. 29. Bellamer: n. 7. & 13. Henric: n. 4.* & fauet *Anchar: in d. Clem: Religiosus. n. 1. not: 2.* vbi ait superiorem esse Episcopum, & ibi *Imola n. 8.* Nisi, inquit, esset aliquis Religiosus nullius Monasterij. *Sanchez verò lib: 6. cap: 13. operis Moralis,* tenet nullo pacto sufficere, nec esse necessariam licentiam Episcopi, nisi Monasterium ipsi subesset: tunc enim dicit ipse Sanchez, quod verum dicerent priores DD. sufficere licentiam Episcopi; quia esset verus superior: at in eo casu sufficeret quoque licentia immediata Superioris conuentûs, quia esset verus superior, non obstante quòd subesset Episcopo, sicut huic veræ Superioritati non obstat ipsum subditum Prouinciali, & Generali. Hanc opinionem tenet solus ipse Sanchez: nam alium non inueni tenentem huiusmodi opinionem. Religiosi autem Franciscani, procuratores esse nequeunt etiam de suorum Superiorum licentia. *Clem: exiui. §. proinde de verb: signif:* Hæc autem prohibitio non extenditur ad alios mendicantes; quia textus de solis fratribus Minoribus loquitur, & de ijs Religiosis, dum suæ Religionis Regulis subiecti manent; nam si alicui seculari Ecclesiæ præficerentur, possent, *Sanchez lib: 6. c. 11. operis Moralis, n. 26.*

QVÆSTIO CI.

An si post litem contestatam, procurator alicuius ingrediatur Religionem, poßit causam illam prosequi?

R*Esp:* Non posse, sed reuocandum esse procuratorem. constat ex *l. aut Religiones, iuncta lege præced: ff. de procuratorib.*

vbi inter casus, in quibus potest procurator post litem contestatam reuocari, proponitur hic: & docet ibi Glossa *v. aut Religiones.* & Iacobinus de S. Gregorio, *l. Militē. in fine, C. de procurat.* Immò non tantùm post professionem, sed etiam tempore Nouitiatûs, potest reuocari is, qui in seculo erat procurator, non obstante litis contestatione: vt docet Gloss. *c. 2. v. ingredi. de procurat. in 6.* quia ex iusta causa potest tunc reuocari, vt decidit textus ille; at iustissima causa est ingressus in Nouitiatū.

QVÆSTIO CII.

An Religiosus, possit esse procurator pro aliquo laico Patrono, vel Principe, vel magno defensore, seu vtili amico Monasterij? Et quid si is, contra quem constituitur, dicat non versari vtilitatem Monasterij?

R*Esp*: Affirmatiuè: nec ad eum, contra quem deputatur, pertinet de hoc inquirere; nam possent tales esse & ita occultæ vtilitates, Ecclesiæ, siue Monasterij, quod non expediret, imò officeret, illas omnibus esse notas, iuxta *Innoc: in cap: cum I. & A. de sent: & re iudic.* quod intelligitur pro vtilitate communi, & publicâ Ecclesiarum. vt ibi tradit Abb: qui alios casus refert, in quibus Religiosus potest esse procurator, & pro maiori parte concernunt Ecclesiæ vtilitatem: vt si agat de propria electione, vel si accusaretur proprius Prælatus, quo casu debet Regularis habere expensas à Monasterio. *c ex parte. & c. penult: de accusat.*

QVÆSTIO CIII.

An Religiosus, qui fuit insignis Aduocatus, posit postulare, vt ex eius lucro subueniat Ecclesiæ ære alieno grauatæ?

Resp:

REsp: Quòd sic, Io: Andr. *in Regula, in argum: de Reg: iur: in 6.* vbi tenet, quod non obstante *cap: Monachi. 16. q. 1.* vbi, excipitur vtilitas Monasterij: quia ille textus debet intelligi de vtilitate directa, ex causa, in qua patrocinatur, puta pro conseruandis, defendendis, vel recuperandis rebus & Iuribus Monasterij: sed vtilitas lucri in aliena causa, spectat ad Monasterium secundariò, & quando aliquid ex necessitate conceditur, non licet arguere ad casus similes, *Regula, quæ iure,* & *d. Reg: in argum.* Idem tenent Butr: & Imol. *in cap. 2. de postulando.* Abb: verò ibi tenet, quòd dictum Io: Andr: est honestius & securius; sed credit, quòd pro amico Monasterij potest esse Aduocatus, ex dictis *Innoc: in c. P. G. & idem tenet Felin: n. 12. in d. c. P. G.*

QVÆSTIO CIV.

An Religiosus, qui in seculo erat Tabellio si conficiat instrumentum, sit validum: & an exigatur Superioris licentia: & an Monasterium conueniri poßit, vt Religiosus, ante Notarius, instrumenta compleat, & signet, quæ in seculo confecerat, vel in suo Protocollo, breuiter & succinctè conscripserat; vt postea per otium, quoties opus sit, latiùs extenderet?

REsp: Quòd negant aliqui, quando absque licentia Superioris id fieret: quia ea instrumenta facta sunt contra legis prohibitionem, atque ita docent *Decius, cap: 2. noua editione, à n. 78. vsque ad 91. de iudicijs. & cons: 494. n. 14. & 497. n. 10. vol: 4. Couar: qq. practic: c. 19. n. 8. vers: Monachus.*

At veriùs existimo valere instrumenta, quia nullibi inuenitur verbum ea instrumenta irritans; atque eodem modo id officium interdicitur Clericis, *c. sicut ne Cler: vel Monachi.* Et tamen frequentissima sententia *d. c. sicut*, affirmat, instru-

menta ab eis confecta fore valida. Tandem, quia irritare id instrumentum, nō esset damnum ipsius Religiosi delinquentis, & cui pœna imponitur, sed partium, quibus pœna infligenda non est. Et ideò hanc partem sustinent *Angelus, l. Prætor ait. § final:* paulò post principium *ff. de edendo. & ibi Alex: n. 4. Greg: Lopez, l. 28. v. contra nuestra, tit. 11. partit: 5. limitat: Alex:* nisi per Superiorem sit specialiter Religioso interdictum vti eo officio, sicut de Clerico, cui Tabellionis officij vsus interdictus est, tradit *Innoc: c. sicut n. vnic: ne Clerici, vel Monachi.* Cæterum hoc intelligendum est, quando id interdictum esset publicum, ita, vt ad populi notitiam peruenerit: ex tunc enim gesta, essent irrita; secus antea, sicut dicitur de prodigo, cui bonorum administratio est interdicta. *l. cui bonis. ff. de verborum obligat:* & sic in Clerico, cui interdictum est vti officio Tabellionis, tradunt *Abbas, eo: c. sicut n. 11.* & ibi *Anchar: n. 7. Rosella v. Tabellio, n. 7.* & ibi *Syluest: q. 3. dicto 5.* & alij, quos refert, & sequitur *Couar: qq. practic: c. 19. n. 8. vers: Quòd si Sacerdos.*

Potest tamen Monachus, qui in seculo erat Tabellio, complere post professionem, & signare instrumenta, quæ in seculo confecerat, vel in suo Protocollo breuiter & succinctè conscripserat, vt postea per otium, quoties opus sit, latiùs extenderet: quia complere vetera instrumenta, non est instrumenta denuò conficere, sed executio, atque consummatio instrumenti, tempore habili confecti. Quod colligitur *ex l. Alienationes. ff. familiæ herciscundæ.* Vbi dicitur alienationes voluntarias interdictas esse post litem motam, non autem habentes vetustiorem causam, & originem iuris necessariam. Atque ita docent, Speculator, *tit: de statu Monach: §. qualiter concipiet libellum. n. 32. vers 26. Glossa. cap: Vt officium, § Verum quia. v. præmissa. de hæreticis in 6.* & ibi *Franch: § ad conscribendas fine.* Et quàm plurimi alij. Quamuis minùs benè id neget, contra communem omnium sententiam, Franciscus Paulinus de visitationibus, *2. p. q. 4 n. 17. habetur tom: 14. tractatuum.*

Exigitur tamen superioris licentia ad hoc, vt benè tradit Ioannes de Lignamo, quem referunt, & sequuntur Dominicus, Franchus, Marianus, Socinus, Bernardus Diaz.

Potestque Monasterium conueniri, vt Monachus, ante Notarius, hæc instrumenta perficiat: vt benè tradunt Fulgis, & Manuel. allegati. Atque Manuel imponit, Angel; l. *Prætor, §. final: paulò post princ. ff. de edēdo.* sentire, posse ad hoc cogi Monasterium per Iudicem sæcularem; quod nequaquam ait Angelus, & est valdè à veritate alienum, cum Iudex secularis nullam Iurisdictionem habeat in Monasteria, eiusque Monachos.

QVÆSTIO CV.

An Regularis, vt parentum necessitati subueniat, à Monasterio exire possit, & an absque licentia sui Superioris? & quid si illius permissio interueniat, habitum Regularem deponere, & Clericalem assumere possit, & Episcopus loci illum extra claustra commorantem, & incedentem, sine habitu Religionis tolerare valeat?

RE*sp*: Quòd si ingressus est Religionem, parentibus in extremâ necessitate constitutis, eiusque auxilio, & ope indigentibus, peccauit mortaliter. Immo etiamsi necessitas non sit extrema, est tamen talis, quæ filium obligat ex præcepto ad eorum inopiam subleuandam; vt est, quia oportet parentes mendicare, vel alijs inseruire cum notabili seu magna indecentia; tunc ingrediendo Religionem peccauit mortaliter: quod intellige, dummodo absque periculo peccati posset in seculo permanere. Professus tamen, cùm mundo mortuus sit, deobligatur à cura impendenda parentibus. *Sylu: in verbo Religio. 2. q. 7.* Debet tamen, quantum potest (salua Ordinis sui obedientia) curare, vt per se, vel alium eis subueniatur, si in necessitate fuerint constituti.

 Non

Non obſtat primò, quòd Religioſus profeſſus tenetur magis obedire Patri ſuo carnali, quàm Patri ſuo ſpirituali, id eſt, Prælato, in his, in quibus filij parentibus carnalibus obligantur de iure naturæ, & de iure Diuino, quæ continentur in illo præcepto: Honora Patrem tuum, & Matrem tuam. Vnde reſpectu horum, magis tenentur profeſſi in Religione obedire pro loco & tempore Patri carnali, quàm ſuo Prælato. Hinc videtur, quod cùm ad ſubueniendum parentibus, homo aſtringi videatur per hoc præceptum diuinum: Honora Patrem tuum; in quo quidem honore intelligitur ſubuentio: quòd poſſit Religioſus etiam profeſſus, videns Patrem ſuum in neceſſitate Conſtitutum, licitè, etiam abſque licentia ſui Prælati, clauſtrum exire, & ſubuenire Patri. facit *tex: in cap: 1. diſt: 30* vbi dicitur, quòd ſi qui filij parentes maximè fideles deſeruerint, occaſione DEI cultûs, hoc iuſtum eſſe iudicantes, & non potiùs, debitum honorem parentibus reddiderint, vt hoc ipſum in parentibus venerentur, quòd fideles ſunt, anathema ſint.

Secundò, non obſtat, quòd profeſſio in Religione nullum abſoluit à diuini præcepti obligatione. Ad hoc enim Religioſi profitentur obſeruationem conſiliorum, vt perfectiùs obſeruent diuina præcepta. Nam reſpondetur, ſecundũ Magiſtrum Nicolaum de Lyra ſuper *Matth: c. 15.* quòd licet per Profeſſionem non abſoluatur Religioſus à præcepto diuino, tamen abſoluitur ab aliquo modo adimplendi præceptum: quia præceptum de honore parentum eſt affirmatiuũ, & ideò non obligat ad ſemper, ſed pro loco, & tempore & alijs circumſtantijs, quæ aliquando variantur ſecundum conditionem ipſius implentis præceptum: quia aliquis modus ſubueniendi Patri, efficitur inconueniens, & illicitus ipſi filio, per aſſumptionem alicuius ſtatûs laici, immò perfecti, ſicut ſubuenire per votum obedientiæ contra voluntatem Superioris, efficitur illicitum ipſi Religioſo: tenetur tamen ei ſubuenire

modis

modis conuenientibus professioni suæ. In multis autem, in quibus non obligantur filij parentibus carnalibus, nec de iure diuino, nec naturæ; tunc respectu illorum filij magis tenentur obedire Patri spirituali, id est, suo Prælato, quàm Patri carnali. Quòd si quis contra prædicta obiecerit illud *Matth: 16.* omnis, qui reliquerit Patrem, aut Matrem propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Respondetur multipliciter: & primò, quòd illud intelligitur vbi, & quando parentes non indigent à filijs honorari; & maximè quando filios inducunt ad illud quod est contrarium saluti ipsorum. Vnde tunc sunt relinquendi quoad infidelitatem, & hæresim, quæ in omnibus est detestanda, non autem quoad exhibitionem suæ subuentionis. Vel secundò intelligitur respectu eorum, in quibus filij non obligantur Parentibus, nec iure diuino, nec naturæ. *Ita Asten: lib: 6. tit: 47. art: 3. quæst: 12. in fine. Nauar:* verò in primo casu inquit, quòd ingressus, & professus tenetur exire, quando verisimiliter egrediendo posset subuenire, & non egrediendo, non posset; aliâs secus. In secundo casu, debet pro viribus in suo statu perseuerando eis subuenire; vel si sic non possit, tunc tenetur exire, si huiusmodi debitum, id est eorum necessitas, præcessit Religionis ingressum.

Quòd pro parentum subuentione, quando alio modo consuli non possit, Superiores Regulares debeant licentiam exeundi à Monasterio concedere Religioso, vt parentibus eorum ope subueniatur, tenent, idem *Nauar: commen: 3. de Reg: n. 48. & cons: 5. n. 1. & 55. n. 2. & 3. eod: tit: lib: 3. & latè Sanchez.* qui plurimos congerit *lib: 4. operis moralis, c. 20.* Nec desunt, qui grauiter peccare asseuerent Superiores, qui aliter faciunt; & plures arbitrantur exire posse Religiosos in tali casu, etiam repugnante Superiore, *Gaiet 2. 2. q. 101. art: 4.* circa solutionem *de 4. Abulen: c. 8. Matth: q. 69.* Ledesma, Corduba, & alij, quos refert Sanchez. id autem in praxi minimè obseruatur,

natur, neque licet: semper enim in huiusmodi casibus Superiores Monasteriorum licentiam in scriptis concedunt, vt appareat, quòd egressus non est temerarius, sed permissus, & iustus. Alias enim esset in potestate Religiosorum sub colorato prætextu subueniendi eorum parentibus, exire à Monasterio ad omnem eorum libitum, & sic se eximere ab obedientia Superiorum, qui in eiusmodi casibus debent benè considerare, an quæ proponuntur à Religiosis, vel eorum parentibus, sint vera, & super his fideles informationes habere; & an aliquo modo Religio, vel aliqua alia pia persona, vel aliena opera, quã Regularis possit subuenire: nam tunc, cùm sit consultum inopiæ parentum, non potest Religiosus exire à Monasterio. Posito autem, quòd Superior, ob supradictã iustam causam, priùs ab eo benè cognitam concesserit licentiam Religioso morandi extra claustrum, durante necessitate, an possit Religiosus habitum Religionis dimittere, & Clericalem assumere. Et dicendum est quòd non, quia solius Papæ est facere facultates manendi extra claustra sine habitu, secundum omnes *in c. 2. ne Cler: vel Monachi lib: 6. Clem: 2. in verb: extrinsecè. de vit: & honest: Cler: Nauar: cons: 14. de Regul: n. 3. Sanchez lib: 4. c. 20. n. 22. operis Moralis.* cùm sit res grauissima & adeò à Religioso statu aliena, vt professus etiam factus Episcopus, habitum dimittere nequeat.

QVÆSTIO CVI.

An Religiosus possit agere pro iniuria sibi illata, absque Superioris licentia? & an superior, inuito Monacho, possit eam iniuriam remittere?

RESP. Non posse Monachum agere pro iniuria sibi illata, nisi Prælatus absens sit, nec procuratorem reliquerit; sed id munus Superioris est, constat *ex l. sed si vnius. §. ait Prætor. ff. de*

 iniurijs.

iniurijs. quæ habet eum, qui alteri subest, non posse agere iniuriarum, si præsens sit is cui subest, vel eius procurator; secus eo absente, nec procuratore relicto: tunc enim, vt rectè ait *Abb: in c. Parochianos. n. 3.* & ibi communiter DD. *de sententia excom:* ex præsumpta superioris licentia, aget: ita docet *Gloss: penul: c. non dec: 12 q. 1. Specul: tit: de actore. §. vnic: Nauar: com. 2. de regul: n. 29. & 64.* vbi alios refert. Quare potest superior, inuito Monacho.

QVÆSTIO CVII.

An Monasterium poßit ex persona Monachi retrahere?

RESP: Negatiuè, quia cessat ratio retractûs, cùm Monasterium non sit de genere, & familia venditoris; imò nec illa res per Monasterium retracta, sit ampliùs in familiam reditura Sic tradunt *Tiraquell: n. 20. Aluaradus de coniecturata mente testat: lib. 2. c. 3. initio, n. 4. Spino: specul: testam: Gloss: 12. princip: n. 26. Sanchez lib: 7. cap: 14. n. 26.*

QVÆSTIO CVIII.

An Monasterio vendente rem ad vitam Monachi, competat proximiori consanguineo Ius retractus?

RESP: Negatiuè; & ratio est, quia cùm res illa desierit esse Monachi, translataque sit in Monasterium, iam è familia, & sanguine exierit: & ita docent, *Sanchez operis Moralis, lib: 7. cap. 14. n. 28.* qui multos allegat Doctores, asserentes sic consultum, & lite agitata tribus sententijs decisum.

QVÆSTIO CIX.

Quid si Prælatus alicuius Religionis, concedat licentias Re-

ligioso, vt depositarius sit: & depositum deinde culpa Religiosi expenditur, num Monasterium teneatur de deposito illo?

RESP. Negatiuè, nisi quatenus res deposita, in Monasterij vtilitatem conuersa sit; quod scilicet ex illo factum est locupletius: quia delictum Monachi non obligat Monasterium ad illud resarciendum, nisi quatenus ex eo Monasterium factum est ditius. *c. delictum de reg: Iuris in 6.* atque ita tradunt, *Molina, tom: 2. de iust: disp: 525. col: antepenult: vers: non solùm. Leonardus lib 2. de iust: c. 27. dub. 3. n. 12.* qui benè addit, idem dicendum esse si depositum sit apud Abbatem. Quia neque ex delicto peculiari Abbatis tenetur Monasterium; siquidem Monasterium rem illam non accipit in depositum, nec Monasterium tenetur de damno per Monachum dato, nec ipsum Monachum pro noxa tradere: vt bene docet *Nauar: commen. 2. n. 62. de Regular:* Quòd Religiosus sit liber homo, res inæstimabilis, & ideò commutari nequeat pro noxa æstimabili. Quare minùs benè *Florianus. l. si seruus communis. §. serui autem. n. 2. ff. ad legem Aquiliam,* ait, teneri Abbatem de damno dato per seruum fugitiuum. Nec quando res depositæ erant apud Monachum, vt nullo modo teneatur Monasterium de illis; nec competit actio aliqua Abbati circa illas, sed soli Domino, quia nullum ius habet in illas Monasterium. Sic *Innoc: c. cum olim. el 2. n. 4. de priuileg: & ibi Hostien: n. 14. D. Antonin: 3. p. tit: 16. c. 6. §. 7. Rossela v. Monachus. n. 9.* & ibi *Tabien: q. 12. n. 13 Sylu: v. Religio. 6. q. 8.* Quòd tamen ad hunc sensum intelligo, vt non possit Abbas res illas petere actione rei vendicationis. Cæterum si in eo conseruando delinquat Monachus, poterit puniri ab Abbate, tanquam à suo legitimo Superiore: vt bene docet *Molina, tom: 2. de Iust: disp: 525. col: antepenult. vers: non solùm* Item poterit Abbas præcipere Monacho,

ne ami-

ne ampliùs depositum retineat, vel illam rem depositam auferre, vt securiùs in Monasterio custodiatur.

QVÆSTIO CX.

An si Superior Regularis videat res apud Monachũ depositas surripi à Monacho, vel aliâs culpa illius perire, nec obstet, potens facilè obstare, teneatur de deposito?

RESP: Quòd aliqui dicunt peccare quidem, sed non teneri Monasterium, aut ipsum Abbatem restituere, Monacho non restituente; quòd res illæ soli personæ Monachi commendatæ fuerint: sed potest ampliùs probari, quòd Superior Religionis in solorum Religiosorum bonum, & vtilitatem creatus sit, non autem, vt indemnitati aliorum prospiciat: sicut probabilissima sententia sustinet, Confessarium omittendo obligare pœnitentem ad restitutionem, non esse restitutioni obnoxium, eò quòd eius officium in solam pœnitentis vtilitatem institutum sit. Atque ita docet, *Hostien: c. 1. n. 14. de deposito. Tabien: v. Monachus. n. 13. q. 11.* & ibi *Armilla, n. 13.* limitans, nisi Abbas esset talis persona, quæ prohibere debuisset. Sed veriùs est, teneri restituere; quia latum est discrimen inter Religionis Prælatum, & Confessarium: hic n. in solam pœnitentis vtilitatem institutus est; ille autem, & si per se primò in Religiosorum bonum, est tamen institutus etiam vt Iudex Religiosorum, & vt illos tanquam Iudex coerceat, & puniat. Quare sicut lege Iustitiæ tenetur Religiosum cogere, vt depositum illud Domino poscenti restituat: ita eadem lege tenetur impedire damnum, quod inferri ab ipso videret, & posset impedire. Et confirmatur, quia etsi confessarius à creditore requisitus, vt compellat pœnitentem ad restituendum, ommittat compellere, non tenetur restituere, quia non est Iudex inter partes: At Prælatus Religiosorum, non compellens Religio-

ligiosum restituere parti petenti, tenetur vtique, & ideò hanc partē sustinent, *D. Antonin: 3. p. tit: 16. c. 6. §. 7. S, l: v. Religio. 6. q. 8. Tapia auth: Ingressi. §. sua. c. 18. n. 17. de sacris Eccl.*

QVÆSTIO CXI.

An Monasterium iuuari poßit beneficio restitutionis in integrum, quando dolo in re depositâ deliquerit; & quando depositum factum censeatur Monasterio?

RESP: Minimè iuuari benef: restitutionis in integrum; quia Ecclesia æquiparatur minori, *c. 1. de restit: in integrum.* Ac minor non restituitur, quando præcessit dolus, *Sfortias Oddo, de restit: in Integr: p. 2. q. 83. tit: 10. art: 2. Atque ità docent Io: And: c. 1. n. 2. de deposito. & ibi Imola. n. 6. & ibi Card: n. 2. notab: 2.* Quòd si solùm esset in lata culpa, *dicunt Io: And: & Card.* ibi, adhuc non competere sibi restitutionis beneficium, quòd lata culpa æquiparatur dolo.

QVÆSTIO CXII.

An Religiosus ad Episcopatum promotus, teneatur ad vota Religiosi status?

RESP: Veriorem opinionem esse Religiosum creatum Episcopum, in primis non absolui à voto castitatis, & obligatum esse obedire Pontifici peculiari voto obedientiæ, vltrà generalem ab omnibus fidelibus obedientiam, & vltrà peculiarem debitam ratione iuramenti obediendi ipsi, quod omnes Episcopi præstant. Quod in proprijs terminis tradunt *Henriquez lib. 10. de sacr: ord: c. 33. Suarez tom: 2. de Relig: tract: de voto. lib. 6. c. 7. n. 10.* & clarè colligitur ex S. Bonauent: & Ricardo, dicentibus obedientiam debitam Prælatis Religionis deberi post Episcopatum Papæ, & ex Soto, Emanuele Sà, & Pe-

tro Ledeſma dicentibus, mutari obedientiam Prælatis debitam, in obedientiam ipſi Pontifici. Immo, cum Pontifex ſit generaliſſimus, omnium Religionum Prælatus, cui cùm potiſſimum à Religioſis emittitur votum obedientiæ, non mutatur obedientia aliorum Prælatorum in hanc, ſed ea ceſſante, manet hæc. De voto autem paupertatis non leuis eſt inter Doctores controuerſia: & veriſſima ſententia eſt, eum non abſolui à paupertatis voto, nec effici Dominum redditúum Eccleſiaſticorum, ſed ſolùm adminiſtratorem: & ratio potiſſima eſt, quia vota à talibus Epiſcopis in Religione emiſſa non relaxantur, nec limitantur, niſi quatenus illorum obſeruantia obſtet executioni muneris Epiſcopalis, tanquam maiori bono. Sed huic minimè obſtat abdicatio omnis dominij, dummodò tales Epiſcopi liberam habeant adminiſtrationem omnium bonorum Eccleſiaſticorum, vt ea in quoſlibet vſus decentes expendant. Nec obſtant, quæ in contrarium adduci poſſunt, quòd Religioſus creatus Epiſcopus eximitur à paupertatis voto, & efficiatur verus Dominus redditúum Eccleſiaſticorum inſtar Epiſcoporum ſecularium. *ex c. vnico, 18. q. 1.* vbi de Religioſo Epiſcopo ſic dicitur. Velut legitimus hæres, paternam ſibi hæreditatem poſtea Iure vendicandi poteſtatem habet: ſi enim ſibi acquirit, vendicatque, verum dominium habet. Vendicare enim, & ſibi acquirere, ſolis veris dominis competit. *l. in rem. ff. de rei vendicat.* Quia reſpondetur cum Gloſſ: *in d. c. vnico. verbo legitimus.* iuncto verbo *Reſtituat.* Religioſum Epiſcopum factum non acquirere ius ſucceſſionis per Epiſcopatum: ſi illud antea habebat, exiſtens Monachus, vt conſtat *ex c. ſi qua mulier. 19. q. 3. & l. Deo nobis. C de Epiſc. & Cler:* ſed per Epiſcopum fit, vt quicquid in poſterum acquirat, non Monaſterio, vt priùs acquirebat, ſed ſuæ Eccleſiæ comparet. Quare vt optimè ait, *S. Tho: q. 88. art. 11. ad 4. & q. 185. art. 8. ad 3. & 4. ſentent. diſt. 38. q. 1. art. 4. quæſtiunc: 1. ad 5.* non vendicant paternam hæreditatem,

quaſi

quaſi propriam, ſed quaſi Eccleſiæ debitam: nec enim confertur eis ea facultas, vt acquiratur dominium, ſed vt fiat acceſſio bonis Eccleſiaſticis, quæ adminiſtrant, ſicut fieret ex omnibus alijs bonis, quæ quomodocunque tales Epiſcopi acquirerent; ita, vt quemadmodum omnia quæ acquiſiuiſſent, cùm erant Religioſi, pertinerent ad Ordinem ſuum: ita, quæ poſtea facti Epiſcopi acquirunt, comparent ſuæ Eccleſiæ. Neque obſtat, quòd vlterius in contrarium dici poſſet: quod eodem prorſus modo adiudicatur ſua portio Epiſcopo ſeculari, ac regulari; cum libera transferendi in alium dominij adminiſtratione, & propterea nihil deeſt, quominùs dominium habeat. Quia reſpondetur negando eodem modo adiudicari, quia Epiſcopis ſecularibus adiudicatur tanquam veris Dominis: at regularibus non committitur diſpoſitio eorum bonorum tanquam dominis, ſed tanquam adminiſtratoribus, & œconomis Eccleſiæ.

QVÆSTIO CXIII.

An integrum ſit Epiſcopis Religioſis teſtari de bonis patrimonialibus, aut propriâ induſtriâ acquiſitis; & an de licentia Summi Pontificis, & quid tunc in licentia teneantur exprimere?

R*Eſp*: Quòd verior, & tutior opinio eſt, non eſſe integrum eis teſtari. Ratio eſt, quia paternam hæreditatem, & quicquid aliud vndecunq; acquirit Religioſus Epiſcopus, acquirit ſuæ Eccleſiæ, cum ſola libera adminiſtratione, vt conſtat *ex c. vnico. 18. q. 1.* Adminiſtratio autem morte finitur, ex qua teſtamentum incipit valere, *ad Hebr: 9.* Ergo non eſt ei integrũ diſponere poſt mortem, quod per teſtamentum, & ita docent. *D. Tho: 2. 2. q. 185. art: 8. ad 3. Io: Andr: in c n. 6. de teſtam: & ibi Ant: n. 9.* & quàmplurimi alij Doctores, relati *à Sanchez lib: 6. c. 6. n 10. operis moralis.* Religioſum autem Epiſcopum ob-

 tinen-

tinentem à Pontifice licentiam testandi, etiam ad pia opera, teneri explicare duplex impedimentum, vt dispensatio legitima sit; alterum se esse Religiosum, alterum autem se esse Episcopum. Quod duplici hoc impedimento ad testandum affectus sit. Ita docet *Henriquez lib: 10. de Sacr: Ordin: c. 33. n. 3. & n. 4. & Sanchez, loco cit.* Quod intelligendum est in casu, in quo talis Episcopus vellet testari de bonis acquisitis intuitu Ecclesiæ; de his enim solis nequeunt testari Episcopi seculares. Si autem velit de omnibus patrimonialibus, vel propriâ industriâ acquisitis per testamentum disponere, sufficit explicare se esse Religiosum; quia huic testandi facultati, non Episcopalis status, sed solus Religiosus obstat.

QVÆSTIO CXIV.

An Religiosus Episcopus teneatur ad obseruantias Regulares, & si, eas transgrediendo, culpam aliquam incurrat?

RESP: Quòd *D. Tho: 2. 2. q. 185. art: 8.* triplicis generis obseruantias Regulares distinxit. Primi generis sunt, quæ Pontificio muneri non obstant, immò valdè conferunt: vt potè, quæ iuuant ad promouendam, & custodiendam perfectionem, quam Episcopalis status profitetur; vt sunt oratio, abstinentia moderata, & similes. Secundi generis sunt, quæ ipsi muneri exequendo sunt obstaculo; vt nimiæ vigiliæ, abstinentiæ immoderatæ, silentium, solitudo, & aliæ eius generis, ad quas quoque reduxit *D. Thom: vt testantur ibi, Caiet: dub: 1. Sotus eo: art: vlt: col: 5. vers: circa secundum. Valen: eo: punct: 8. col: 2.* eas obseruantias, quæ & si officio non obstét, dedecent tamen dignitatem Episcopalé. Tertij generis sunt obseruantiæ mediæ, quæ non semper obstant, nec semper iuuant, sed aliquando obstare possunt iuxta varias circumstantias occurrentes. Diuus ergo Thomas dicit, ad obseruantias primi gene-

mi generis teneri Religiosum factum Episcopum: ab obseruantijs autem secundi generis ipso iure absolui, vt pote quæ maius bonum impediunt: & demùm ab obseruantijs tertij generis non absolui, sed posse secum dispensare, quando circumstātiæ id exigentes occurrerint; sicut possunt Prælati Religionis dispensare secum in ijs, & probat D. Tho: ratione petitâ ex rerum naturalium similitudine: nam sicut adueniente præstantioris formæ perfectione, non excluditur dispositio conseruans illam, sed solùm quantum ad id, in quo repugnat perfectioni; ita adueniente statu Episcopali, qui ad Religiosum se habet tanquam forma perfectior ad imperfectiorem dispositionem: ille enim est status Magistri perfectionis, hic autem discipuli; ac proinde huius vita est, quasi dispositio ad illum; non excluduntur obseruantiæ statûs Religiosi iuuantes ad promouendam status Episcopalis perfectionem, sed illæ solæ, quæ ei obstant. Eandem sententiam sequuntur *Franc: rubr. de test. in 6. n. 75. D. Antonin: 3. p. tit: 20. c. 2. §. 7. Ang: v. Monachus. n. 7. Sylu: v. Religio 6. q. 10.* & alij quàmplurimi DD. Religiosus autem Episcopus liberatur à iugo regulæ, *c. vnico, 18. q. 1.* Et ideò transgrediens in nullam incidit culpam: atque ita expresè docent *Sotus lib: vlt. de Iust: q. vlt. col. 6. & 7. Valent: 2. 2. disp: 10. q. 3. puncto 8. Idem clarè sentit. Azor: lib. 12. instit: moral: c. 7. q. 4.* dicens solùm teneri ex honestate rationis, & vinculo morali. *Idem ait Host: in Summa, tit: de statu Monachi. n. 5. vers: & quamuis.* vbi ait posse dici hunc non teneri ex necessitate, sed ex solâ quadam honestate, ad obseruantias Regulares, quas commodè seruare potest. Idem clarè significant *Bonif: Clem: 1. n. 83. de Regul: Nauar: lib: 3. cons: in 1. edit: tit: de Regul: cons: 15. n. 11. in 2. tit: de donat: cons: 6. n. 11. Emmanuel Sà, v. Episc: n. 11.* dicunt enim hunc eximi ab omnibus obseruantijs in Regula præscriptis. Quare optimè ait Sotus, non magis obligari ad regulas Religiosum ad Episcopatum prouectum ex D. Dominici familia, in qua ille ad nullam culpam obligant, quàm

prouectum ex familia D. Francisci, in qua multa sub mortali astringunt: cum vterque regulas transgrediens, sit omnis culpæ immunis, vtpotè qui ad eas ex sola honestate tenetur. Quare diuersum esse ait in Principe, qui ideò suis legibus ipsum non dedecentibus, & non abrogatis, sub aliquâ culpâ tenetur; quia dedecet ipsum cum cæteris Reipublicæ membris, cum quibus vitam socialem transigit, non conformari. At Religiosus non agit vitam cum cæteris Religiosis, sed ab ipsorum consortio seiunctus est, eo ipso, quòd Episcopus creatur, & ideò nulla obligationis ad culpam ratio superest.

QVÆSTIO CXV.

An Religiosus Episcopus teneatur diuinum officium iuxta suæ Religionis ritum persoluere?

RESP: Negatiuè, quia ea obligatio ex Regulæ præscripto consurgit, à quo liber est Episcopus; tum etiam, quia debet suæ Ecclesiæ ritum sequi. *Abb: c. penult: in fin: de vita, & honest: Cler: Azor: lib: 10. instit: moral: c. 7. q. 4.*

QVÆSTIO CXVI.

An Episcopus Religiosus, gaudere debeat Priuilegijs suæ Religionis?

RESP: Negatiuè, & ratio est, quia sicut liber est ab omnibus Regulæ obseruantijs, iugoque Monasticæ disciplinæ, ita quoque priuilegijs suæ Religionis non gaudet: vt bene docet, *Mendoſ: de priuileg: ad instar: Gloſſ: 3. n. 11. & Manuel: Rodrig: tom: 2. Regul: q. 58. art: 4.* & affert propriū motum Sixti. V.

QVÆ-

QVÆSTIO CXVII.

An ſtatus Epiſcoporum, ſit perfectior ſtatu Religioſorum?

RE*ſp*.: Quòd S. Thomas *2.2.q. 164. art: 7.* aſſerit eſſe perfectiorem. Quod ratio ipſa concludit: ſicut n. (teſte Dionyſio in cœleſti Hierarchia c. 5.) Angeli alij alijs ſunt perfectiores, quia nimirum alij alios illuminant, purgant, & perficiunt: Sic in Eccleſiaſtica Hierarchia, Epiſcopi ſunt cæteris perfectiores, quoniam eorum eſt illuminare reliquos, purgare, atque perficere. Deinde, Religioſi id vitæ genus ſuſcipiunt, quod perfectioni comparandæ, ſedulò, & diligenter ſtudent: at verò Epiſcoporum munus eſt, Chriſtianæ vitæ perfectionem docere. Vnde Epiſcopi ſunt perfectè vitæ Magiſtri, Doctores, & duces. At plus eſt perfectionem docere, quàm ſtudere perfectioni acquirendæ, quod eſt Religioſi inſtituti proprium. Epiſcoporum igitur munus eſt quoddam vitæ perfectæ Magiſterium; Religioſorum Ordines, ſunt diſcendæ perfectionis ſcholæ. Religioſus ſuo muneri, & officio ſatisfacit, ſi vitæ perfectionem diſcat, ſi ad eam aſpiret, ſi ei ſtudeat: Epiſcopus autem munus non explet, niſi perfectionem vitæ doceat ac tradat. *Ex his, S. Thom: deducit 2.2. q.18. art: 5.* duplicẽ eſſe in hac vita perfectionis ſtatum, vnum Epiſcoporum, alterum Religioſorum: illum eſſe ſtatum perfectionis docendæ, hunc addiſcendæ, & comparandæ: illum docentium, hunc addiſcentium: illud quaſi ducum ad victoriam hortantium, hunc militum pro victoria pugnantium. Non quòd Epiſcopi ſint perfecti ea perfectione, quæ in præceptorum obſeruatione poſita eſt: ſed quòd eam Prouinciam ſuſcipiunt, quæ ſtudium & curam confert ad eam vitæ perfectionem docendam, quæ non ſolùm præcepta, ſed etiam conſilia obſeruare contendit. Hinc fit, vt quamuis ipſi præditi charitate non

ſint; in ſtatu tamen perfectionis conſtituti dicantur, quia Eccleſiæ, cui præſunt, ſunt obligati ad eam illuminandam, purgandam, atque perficiendam. Ergo ſi ſuo ritè munere fungi velint, coguntur perfectionem docere: ſicut etiam Religioſi, licet per peccatum à charitate decidant; in ſtatu tamen perfectionis ſunt, quoniam vitæ genus conſectantur tribus votis adſtrictum, quibus conſilia Euangelica profitentur: & proinde ad perfectionem aſpirant, licet eam nondum ſint aſſecuti, procedunt, in dies progrediuntur, quamuis nondum peruenerint, nondum perfectionem attigerint, nondum apprehenderint: ei ſtudent, licet eam nondum comparauerint. Et quamuis charitatem magnam non omnes conſequantur: in ſtatu nihilominùs perfectionis eſſe dicuntur, quia ex ſuæ vitæ inſtituto conſilia Euangelica profitentur, in his ſe exercent, vt ad omnium tum conſiliorum, tum præceptorum obſeruationem, quoad fieri poteſt, rectà perueniant.

QVÆSTIO CXVIII.

An Religioſus, qui ante profeßionem donauerat bona ſua Monaſterio, vel conſanguineis; ea recuperet, ſi ad Epiſcopatum promoueatur?

RESp: Quòd *Bar: in tract: minorum. lib: 4. diſt. 3. c. 2.* ponit exemplum in fratre minore facto Epiſcopo, vt non recuperet bona, quæ peruenerunt ad conſanguineos; quia per Epiſcopatum cenſetur reſtitutus priſtino ſtatui; reſtitutio autem, vel indulgentia, non extenditur ad bona alijs quæſita. *L. Gallus. §. quid ſi tantum. ff. de lib: & poſth:* Facit vulgare dictum, quòd Clericus depoſitus, reſtitutus ad priſtinum ſtatum, non recuperet beneficium alij collatum. *Gl: & DD. in c. ex parte. de reſtit: ſpol: cum ſimilibus, quæ adduci poſſunt.* eandem opinionem tenet *Bal: in auth: ingreſſi. C. de ſacroſ: Eccl: n. 22.* qui reſpondet quibuſdam dicentibus, quòd ſi poſt ingreſſum Patris naſceretur poſt-

tur posthumus, recuperaret bona ipse posthumus: sic etiam Pater deberet recuperare, quasi ipse idem sibi sit posthumus. *arg: ff. de cap. l. non vt à patre, & l. fine. in princ: ff. de iure patron:* sed ipse respondet, quòd iste non est actus, qui retrotrahatur.

Secundò pro hac opinione facit, quòd Religiosus effectus Episcopus, non desinit esse Religiosus, & tenetur seruare paupertatem. *Gl: in c. de Monach: 16. q. 1. & communis. de qua latè per Couar: in c. 1. de testam: n. 18.* Ergò non potest ampliùs habere regressum ad bona alijs deuoluta, & tantò magis spontè resignata, & donata. Tertiò facit *tex: notab: in c. vnico 18. q. 1.* vbi Monachus, factus Episcopus, non recuperat quæ Monasterio acquisiuit, tantum admittitur ad hæreditatem sibi delatam post Episcopatum: & sic videtur casus apertus, quòd bona, quæ ad Monasterium, vel alios peruenerunt per professionem sequutam, non possunt ampliùs recuperari, nec ab Ecclesia, nec ab alijs.

Quartò argumentatur Modernus Fabius de Anna Neap: *cons: 41.* quòd renunciatio realis, facit renunciantem haberi pro mortuo, *vt dicit And: de Isern: c. 1. de eo: qui finem fecit agnato de feudo patern: & successiuè*, cum habeatur pro mortuo in omnem casum pro tali est reputandus, & non habet habilitatem reuocandi, sed satis est, quòd fuerit habilis tempore renunciationis, & seruauerit solemnitates requisitas à Sac: Conc: Trid. Præterea arguit ipse, à sufficienti partium enumeratione, quòd reuocatio non potest fieri ex parte Monasterij; quia sequutâ professione, Monasterium nullum habet ius reuocandi talem renunciationem; vt clarum est; nec ex parte Episcopi, qui habetur pro mortuo, vt ipse dicit, cum sit renunciatio realis, & retinet incapacitatem, nec ex parte Ecclesiæ Cathedralis, cui præest, siquidem Episcopus bona illa acquirit Ecclesiæ cui præest, quæ post adeptum Episcopatum acquirit *ex d. c. vnico. 18. q. 1.* Præterea facit regula, quòd renunciantibus iura sua non datur regressus. *l. sequitur. §. si venditur.*

ff. de Edil: edict. & prædicta videntur facere tam quoad bona deuoluta consanguineis per possessionem Monasterij incapacis in communi, quàm de acquisitis Monasterio capaci in communi per possessionem, & tantò magis, quando bona fuerunt spontè donata, & resignata Ecclesiæ, vel consanguineis.

Item facit, quòd Religiosus Episcopus non solùm tenetur seruare paupertatem; sed nec indiget dictis bonis, cùm habeat fructus Ecclesiæ, ex quibus se, suosque alat: vt clarum est. *Eandem opinionem tenet Corp: de causa priuat. ob alien: n. 3. vbi dicit:* quòd emphyteuta effectus incapax propter ingressum Religionis incapacis, si efficiatur Episcopus, non recuperat emphyteusim, sed ad alios comprehensos, vel ad Dominum deuoluitur.

Pro contraria opinione facit, quòd renunciatio conditionalis euanescit, deficiente conditione. *l. cedere diem. ff. de verb. & rer: signif: l. qui heredi. §. fin: ff. de cond: & demonstr.* sed nunc deficit conditio, sub qua præsumitur facta renunciatio, videlicet si renuncians perseuerasset in Monasterio, successiuè dum ob Episcopatûs dignitatem non permansit, cessauit conditio, & euanuit renunciatio. Item, quia renunciatio præsumitur facta, re in eodem statu permanente, ita quòd si status mutetur, potest reuocari tanquam carens voluntate renunciandi. *l. si actionem. C. de pact: c. cum inter. de renunc: Bald: Paul.: Dec: in l. pactum. C. de collation: Surd: latè decis 163.* Sed in hoc casu res non permanet in eodem statu, quia non permansit in Monasterio, ergo potest reuocari donatio.

Idem facit, quòd Religiosus factus Episcopus, recuperat velle, & nolle, & non habetur amplius pro mortuo, ita, quòd potest reuocare testamentum factum ante professionem, vt tradunt *Bald: Ias: in auth: ingressi. C. de sacros: Eccl.* videtur igitur reuiuiscere, quo casu succedit alia Regula, quòd mortuus resurgens à morte, recuperet eius bona; quia idem homo esse di-

esse dicitur, prout erat ante mortem. *Bal: in l. 1. C. de sacros. Eccl: Imol: in l. si merito.* & de Lazaro resuscitato, quòd recuperauerit eius bona, tradit *Gl: in l. ex his. ff. de leg: & ibi Alberic.* eam communiter teneri. *Alex: in d. leg: si Marito.* His, & alijs rationibus hanc opin: tenet Moder: Doct: Molfes. *in cons: 1.* respondens rationibus. Fab: de Anna. Et ad primam, quòd Religiosus effectus Episcopus, teneatur seruare paupertatem, dicit, quòd satis est, quòd efficiatur capax bonorum, ad instar aliorum secularium, vt probat *tex: in d. c. vnico. 18. q. 1. & l. Deo nobis. C. de Episc: & Cler.* Ad secundam de renunciatione, vt faciat renunciantem pro mortuo, respondet, non procedere, in eodem statu non permanente. Ad tertiam, quòd Ecclesia, nec Monasterium possit reuocare, concedit: sed negat, quòd Episcopus non possit reuocare, sed quòd possit propter deficientem conditionem. Quid dicendum in hac quæst: Arbitror hanc posteriorem opin: esse veriorem. Pro qua ego adduco *tex: not: in c. quod ad te: de Cler: coniug.* vbi habetur, quòd si Clericus secularis Beneficiatus contrahit matrimonium, recuperat omnia bona, quæ donauerat Ecclesiæ seculari. & ibi optima Gl. dicit, quòd omnis donatio facta Ecclesiæ, vel Monasterio tempore ingressûs, tacitam habet conditionem posteriorem, vt duret eo ibidem perseuerante, ad instar dotis, quæ durat durante matrimonio, & subintelligitur hæc conditio. *l. vnica. §. cur autem. C. de rei vxor: act.* Et vera intelligentia illius tex: est, vt procedat, quando donatio fuit facta Regulari ratione ingressus: idem si Clerico seculari, quia tunc bona sequuntur personam, & possunt tacitè, vel expresè reuocari recedente de persona; secus vbi non essent accessoria ad personam, vt si longè ante ingressum in Ecclesiam Regularem, vel secularem, fuerint donata, vt optimè declarat *Abb: d. c. quod ad te.* Vbi in specie dicit, quòd Regularis effectus Episcopus non recuperat bona, quæ acquisiuit Monasterio ex industriâ suâ, sed bene recuperat bona Patrimonialia, quia vi-

 dentur

dentur ſemper accedere ad perſonam, licet expreſsè fuerint collata tempore ingreſſûs: Reſpondens ad *tex: in d. c. vnico.* vt procedat in bonis acquiſitis ex induſtriâ, quia illa remanent penes Monaſterium: ſecus in Patrimonialibus: & idem tenet ibi Cardin: Zabar: Cùm itaque id procedat in Clerico ſeculari, qui poteſt quandocunque donationem Eccleſiæ factam, per ſubſequens matrimonium reuocare, quia non videtur cogitare de matrimonio, & ſi cogitâſſet, non donâſſet, & ſacri Canones attendunt intentionem; nulla datur ratio diuerſitatis in Regulari, facto Epiſcopo, quòd ideò renunciauit, quia non poterat poſſidere, vnde ſi cogitaſſet, quòd erat habilitandus ad acquirendum per Epiſcopatum, non reſignâſſet. Item facit, quòd Religioſus non ſuccedat in feudo, donec agnatus ſupereſt. *c. 1. de mil: qui arm: bel: depoſ.* tamen ſi Papa diſpenſauit, quòd Religioſus fiat Comes, ſuccedit ad feudum apertum, tanquam poſtliminio reuerſus, & ad ſuccedendum habilitatus, vel nouo hominis eſt gratia reſtitutus, & habilitas aperta. *Ita. Bal: ſing: conſ: 174. vol: 2. alleg: l. Ariſto. ff. de manumiſſ: teſt: l. in quæſt: C. de ſent: paſſ.* Item facit, quòd pupillaris ſubſtitutio, per arrogationem expirat. ſed ſi poſtea liberetur impubes ab arrogatione, non conualeſcit de iure Ciuili, ſed bene ex æquitate Prætoris. Vt latè probat Vaſquez *de ſucceſſ. progreſſ. lib: 2. §. 14. n. 112.* multò magis id poteſt procedere de Iure Canonico, in hoc caſu ſimili, quod maiori innititur æquitate. *Ant: in c. ſicut literis. de ſponſ: & Bar: in l. ſed ſi vnius. §. ſeruus meus. ff. de iniur.* dicit Canoniſtas conſiderare magis animum, quàm effectum. Et ex his patet reſponſio ad rationem Bar: quòd Epiſcopus non dicitur verè reſtitutus ex gratia principis, qui promouet illum ad Epiſcopatum, quāuis acceſſoriè reſtituatur ad priſtinum ſtatum. *ad. l. ſi quis, nec cauſam. ff. ſi cert: pet.* Sed caſus noſter procedit in donatione, vel deuolutione bonorum, ad alios facta, ſub cōditione tacita perſeuerantiæ. Quare caſus eſt diſſimilis. Præterea ſi eſſet vera

reſtitu-

restitutio, adhuc extenderetur ad recuperationem bonorum, quando ius alteri quæsitum tradit originem immediatè à condemnatione. Vt trahit *Bal: in d. §. quid si tantum. & ibi Alex: Pet: de Anch: in c. quamuis. de rescript: in 6. latissimè Feli: in c. inter quatuor. de maior. & obed.* Sed reuera hic non agitur de restitutione, sed de promotione ad meliorem statum; cùm status Episcopalis sit perfectior statu Religioso. Vt latè probat. S. Tho: *2. 2. q. 69. & hæc opinio est magis consona veritati.*

QVÆSTIO CXIX.

An Regularis, effectus Episcopus possit de redditibus Episcopatûs emere bona immobilia Monasterio sui Ordinis, vel ea repetat Ecclesia sua Cathedralis?

R*Esp*: Quòd Ecclesia Cathedralis ea recuperet ob votum paupertatis, quòd adhuc adstringit Episcopum; ita quòd tenetur acquirere Ecclesiæ, quemadmodum acquiret Monasterio. *tex: est in c. vnico. 18. q. 1.* In contrarium facit, quia nulla est differentia inter Episcopos regulares, & seculares, habentes administrationem, quoad potestatem dispensandi: quia nec Episcopi regulares, nec seculares sunt domini, sed procuratores, œconomi, dispensatores ad erogandum pauperibus, deducto victu, & necessitatibus secundùm decentiam sui statûs. Quod quidem officium, ita benè, fideliterque Regularis præstare potest, sicut, & secularis, & quia ambo habent verum titulum Canonicum, & successiuè eandem potestatem disponendi, vt singulariter tradit *Card: Zabar: in Clem: 2. §. sed & tales. de vita & honest. Cler: Nauar: de redditib. Ecclesiæ. q. 2. n. 15. & ante eos Host: in c. 1. de test:* tenet, quòd ex quo Episcopus regularis habet administrationem, potest liberè disponere. Quid dicendum? hæc posterior opinio videtur verior. sed facit me multum dubitare *tex: in c. cum olim. il secondo de priuil:* Vbi Canonicus regularis, effectus Episcopus, donauerat Ecclesiæ suæ

Religionis, in qua fuerat Canonicus, duo millia Marabitonorum, qui post eius mortem fuerunt per sententiam restituti Episcopo successori, & donatio erat facta Ecclesiæ; & dicunt *Ioan: Andr: & Abb: contra Host: in d. c. 1.* quòd Episcopus regularis, quamuis habeat administrationem, non tamen debet vti redditibus Ecclesiæ, vt rebus proprijs, sed rebus Ecclesiæ; & Regularis effectus Episcopus, in omnibus compatibilibus cum dignitate, remanet regularis. *S. Thom: 2. 2. q. 185. art. fin:* Quare notabiliter dicit *Abb: in d. c. cùm olim.* quòd donata consanguineis, possunt repeti, nisi per modum eleemosynæ. *c. quisquis. 17. q. 1. & dicit ibi Abb: n. 7.* notabiliter, Nota, quòd Regularis factus Episcopus, per hoc habilitatur ad habendum proprium, & ad disponendum ad libitum de proprietate. facit *sing: decis: cons: Neap:* in qua fuit dictum, quòd Episcopus Liparensis, qui fuerat Regularis, & renunciato Episcopatu ex pensione ducentorum aureorum sibi reseruatâ, emerat quasdam possessiones in eadem Ciuitate, in quibus ædificauerat, easque consanguineis donauerat: fuit decisum in Cons: dictas possessiones cum fructibus, à tempore motæ litis, esse restituendas Episcopo successori. Et hæc opinio mihi videtur verior. *per tex: sing. in d. c. cum olim.* eamque intelligo in acquisitione vel donatione quantitatis notabilis, non per modum Eleemosynæ.

QVÆSTIO CXX.

An Pater, qui legauit filio Religioso tria millia aureorum, in casu promotionis ad Episcopatum, possit ea donare suo Ordini, vel consanguineis?

RESP: Quòd videtur dicendum, quòd illa tria millia aureorum legata à Patre filio Religioso, in casu promotionis ad Episcopum, acquirantur Ecclesiæ Cathedrali, nisi fuerint legata

gata pro expeditione Bullarum, & alijs necessarijs tempore promotionis, tunc quod superest, debetur Ecclesiæ Cathedrali. In hoc enim differt Episcopus regularis à seculari, quia de donatis, vel legatis sibi à consanguineis intuitu personæ, potest liberè disponere ac testari, *c. requisisti. de test:* Sed Episcopus regularis omnia sibi donata, vel relicta, acquirit Ecclesiæ Cathedrali, cùm retineat votum paupertatis: & ita deciditur *in d. c. vnico. 18. q. 1.*

QVÆSTIO CXXI.

An Episcopus poßit transire ad Religionem, sine licentia Papæ?

RESP: Negatiuè. *c. licet. de Regul.* quia status Episcopalis, dicitur perfectior statu Religiosorum: quoniam sicut maius bonum minori bono præponitur, ita communis vtilitas speciali vtilitati præfertur; & in hoc casu rectè præponitur doctrina silentio, solitudo contemplationi, & labor quieti: & propterea non licere Episcopo Monachum fieri sine consensu Papæ. *c. temporis. §. Item. 7. q. 1. c. Hoc nequaquam. ead: quæst: & causa cum duobus. cap: seq.*

QVÆSTIO CXXII.

An Monachus, poßit esse Episcopi Vicarius?

RESP: Quòd sic. *ità Ioan: Andr: in cap. fin: de Cler: ægro. allegat. 2. q. 7. cap: cum pastoralis.* & *16. q. 1. cap: nos autem.* Idē tenet Guil. *in Clem: & si principalis. de rescrip. vbi comm: Doct.* Debet tamen habere vnum socium de Conuentu secum; quia in his non debet stare solus. *c. 2. de stat: mon: Clem: ne in agro. §. adhæc. eo tit.* Religiosum tamen Ordinis mendicantium, non potest Episcopus Vicarium constituere, *Clem: 1. §. Prio-*

ratus

ratus. In Curia autem Romana obseruari vidi, quòd quoties Episcopus pro Ecclesiæ suæ necessitate alicuius Monachi operâ indiget, vt sui Vicarij officio fungatur, cùm neminem idoneum habeat ex Clero seculari, qui eo munere fungi possit, Sacram Congregationem Regularium consulit, quæ attenta exposita necessitate impartitur, vt Monachum in suum Vicarium constituere valeat.

Finis Primæ Partis.

Author protestatur, vt beneuolus Lector ex hac primâ parte sensum eliciat consonum sanctæ Sedis Apostolicæ decretis: non captiosè in damnum, & præter mentem, & intentionem proferentis: omniaq; Sacrosanctæ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ censuræ humillimè submittit.

INDEX ALPHABETICVS
Materiarum in his Controuersijs contentarum.

Can-

Domus

Licen-

An

V. *Vestiu.*

Opus
Contrav.
Int. Epos
Et
Regul.
Franc.